ACCVRATA VNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ SYNOPSIS.

239

Tomus Sextus.

SELECTIORES OMNES QVÆSTIONES DE ANIMA CONTINENS.

Authore P. IACOBO FOVRNENC Presbytero Congregationis Oratorij D. IESV, Doctore Theologo.



PARISIIS,
Apud Viduam SEBASTIANI HVRE',
ET
SEBASTIANVM HVRE', viâ Iacobæâ, sub signo Cordis Boni.

M. DC. LV.

Cum Priuilegio Regis, & Approbatione.

PROOEMIVM.

TAMETSI *nihil sit in vniuerso, cuius contemplatio nobis in ipsum Diuinitatis quasi vestibulum, & antelucanam inspectionem viam non preparet, cùm* à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter potuerit Creator horum videri: *atque ex rerum æqualitate, cursu, ordine, atque constantia sempiterna Creatoris sapientia, virtus, pulchritudo, atque immortalitas non obscurè sese prodiderint. Nihilominus, quod nunc aggredimur institutum, multò cæteris efficaciùs, nostro nos reddit Authori: Eiusque dum clariùs in nobis explanat imaginem, archetypam propiùs retegit Maiestatem: & Diuinitatis participandæ formam, dum imaginis lineamenta dispicit, prabet: Hic totius humanæ sapientiæ scopus est; ac palmare monumentū. Ad vnum hoc proloquium γνῶθι σεαυτον vniuersa veterum semper collineauit Philosophia: quo quid aliud disces, nisi eo fine vel præcipuè philosophandum esse, vt Deum in Te: ac Te ex Deo tandem nosse possis? Hoc autem præsens de anima Tractatus, vt reor, efficiet: eius enim naturam, dotesque omnes diligenter expendet, quibus perspectis, facile elucescet, quantum ac quale sit ipse supremi opificis inuentum, quamque immensis ab eo sit cumulatus beneficiis: quot denique quamque sinceras illi debeat gratiarum actiones, &c. Idcirco rectissimè D. Aug. 2. l. de ord. c. 5.* duæ sunt, *inquit*, præcipuè in omni Philosophia quæstiones, vna de anima, altera de Deo: illa efficit, vt nos ipsos nouerimus; ista, vt originem nostram. *Et Arist. 1. de anima c. 1. hanc vocat* notitiam bonorum, & honorabilium, & certorum, & mirabilium, & denique vtilissimorum.

Sap. 13.

Vide Tull. 1 Tuscul. Plotin. En. 4. l. 3 c. 1 Plat. Alcib. 1 Laert. l. 1. Plinium l 7 &c.

Interim pauca hæc præfanda suppetunt. Primum vix quidquam esse, de quo accuratius disseruisse Philosophos omnes inuenias; & tamen nihil esse, in quo magis errasse deprehendantur. Esse animam nulli dubitarunt; quid verò sit, nemo ferè ante refusum cœlestis Euangelij iubar, potuit vnquam exactè definire: horrenda illos caligo tenuit: vt qui cum nihil nisi animale sapuerint, instar brutorum, quoque animæ suæ, non intellexerint dignitatem. Ita Homo cùm in honore esset non intellexit, *& ideo*, comparatus est iumentis insipientibus. *Denique* sunt istæ plangendæ tenebræ, in quibus me latet facultas mea, quæ in me est, vt animus meus de viribus suis se interrogans, non facile sibi credendum existimet, quia & quod inest, plerumq; occultum est. *Neque sane hic Platonem excipio: nam licet in hac Philosophiæ parte cæteris Philosophis longo semper antestiterit interuallo, ac de animorum nostrorum dignitate detexerit, quidquid humana ratio primigeniæ lucis irradiatione potuerit vnquam indagare, adeo vt Tullius Cic. hæc de illo non dubitauerit profiteri,* A. errare mehercule malo cum Platone, quem tu quanti facias, scio, & quem ex tuo ore admiror, quam cum istis vera sentire. M. macte virtute: ego enim ipse cum eodem non inuitus errauerim: *tamen in nonnullis quasi vertiginem passus est: animæ naturam apprimè depinxit, at fœdauit originem: esse illum immortalem, spiritualem, Deo similem, liberrimo*

Psal. 48.

Aug. l. 10. Confess. c. 32.

dominio praditam, & si qua sunt eiusmodi ad excellentiam natura rationalis attinentia perspicacissimè nouit, definiit, demonstrauit: at dùm vnde in corpus insilit, quoue resiliat, vlterius inuestigare voluit, quia non ex apparentibus effectibus, sed ex arcanis Prouidentia Diuina decretis id pendet, fabulosa commentus est, laudabilior certe futurus, si solùm cacutiisset: Hinc in absurdas, putidasque Pythagoraorũ lacunas incautè prolapsus, metempsychosim si non verè sensit, saltem docere maluit, animas è cœlo lapsas esse in corpora, qua nimio plus amauissent: stellisque pares, & similia quadam, non approbanda, asseruit: licet quòd verum nescierit, commune id potius Ethnica superstitionis deliquium, quam priuata ignorantia argumentum censeri debeat: mentis enim humana captum superat ortus ille animorum: necnon futura eorumdem euasio. Sat ergo, imo plusquam satis fuit Ethnico ea potuisse demonstrare, qua docuit. Seruabatur hoc argumentum Christianis: nam, vt merito quidam ex SS. PP. olim scripsit, Multæ profectò sunt immortalitatis animæ demonstrationes apud Platonem & alios: sed illæ æquo longiores; & perceptu difficiles sunt: & vix iis, qui scientiis innutriti sunt, cognitæ: nobis verò ad demõstrationem immortalitatis ipsius satis superque est diuinorum oraculorũ doctrina, quæ in se fidei faciendæ vim habet, ideo quod à Deo inspirata est. *Quin & Plato ipsemet hoc agnouit: in Phædone enim post exantlatas omnes sua facundia vires ad hanc immortalitatẽ suadendam, hac ait.* Hoc enim vnum illis in rebus studiosè est elaborandum, vt aut discamus quomodo hæc se habeant, aut inueniamus: aut si fieri hoc non possit, humanarũ saltem rationum, ea quæ melior, firmiorque, id est, quæ minùs refutari possit, delecta ei quasi insideamus: vt illa tanquam rate vecti, vitæ istius pericula, difficultatesque enauigemus, nisi quis possit certiore, & tutiore modo; id est, DIVINO QVODAM VERBO traduci, atque transmitti: *& inferius humana intelligentia agnoscens infirmitatem, ait,* nihilominus præ rerum commemoratarum magnitudine, dum etiam humanam infirmitatem hisce explicandis imparem existimo, cogor his plenam adhuc fidem non adhibere.

S. Gregor. Nyss. l. de Anima.

Secundò principaliter pramonere hic nos oportet obiectum 3. lib. Aristotelis de anima, esse propriè corpus animatum. Cùm enim vniuersa Physica corpus naturale contempletur, hunc debuit seruare ordinem: primo corpus illud in genere considerauit in 8. lib. Phys. Deinde corpus caleste, tum corpus elementare: posteà mixtum generabile, & corruptibile, abstrahendo à perfecto: Hinc mixtum imperfectum, quo meteora continentur: mox mixtum perfectum inanimatum, quo fossibilia, gemma, &c. Denique corpus animatum. Ordo hic sanè optimus: quoniam tamen id quo corpus animatum talè constituitur, & à cateris distinguitur, est anima: Ideo hac debuit esse pracipuus scopus huiusce tractatus, quia sciri non potest, quid sit corpus animatum, nisi quatenus anima natura, & vires fuerint exactè ponderata. Addo vlterius, quòd cùm nihil sit in cateris animantibus, quod non ab anima rationali exerceatur in nobis: ideo pracipua cura hac nobis impendere debet, vt de hac potissimum edisseramus: idque tentabimus; quamobrem primum de ipsius essentia dicemus, tum de ipsius viribus & operationibus, 1. de vegetatiuis. 2. de sensitiuis. 3. de intellectiuis.

CAPVT PRIMVM.

DE ESSENTIA ANIMÆ.

§. 1.

Quid sit anima in Genere.

NOTANDVM est primò animę nomen vsurpari præcipuè consueuisse pro principali eius specie, nimirum pro anima rationali, & insuper pro intelligentiis mouentibus cœlos. Ideo Platonici vix nomen hoc formis brutorum accommodare audent: secus spiritus omnes, quibus insita est vis primaria sese, necnon corpora mouendi, animas vocant: & sic vocari Deum ipsum, prout mundanam fabricam intus agitat ac moderatur, diximus lib. de Mundo cap. 5. §. 1. Hinc tritum apud illos est planetas dici ætheria animalia: quin & Aristoteles Deum ipsum vocat animal τὸ ζῶον. Idque hinc fluxit, quòd communem hanc notionem animæ omnes amplexi sint: nempe animam esse id *quod primò, & à seipso se mouet: atque inde mouendorum corporum origo est, ac principium*: vt diximus lib. de mundo cap. 5. §. 2. 12. met.

Hanc tamen notionem non vsquequaque Aristoteles approbauit: ratus *quidquid mouetur, moueri ab alio*, nihil verò à seipso. Hoc tamen proximè concessit, cùm dixit animam esse *id quo viuimus, mouemur, sentimus, ac intelligimus*: hoc enim non puto aliud esse, quam sinceram explicationem mentis Platonis, cum in 10 de Legibus duplicem motum distinguit, vnum primarium, secundum quem animæ humanæ, ac cœlestes intelligentiæ non modo mouent, sed & mouentur: alterũ secundum, qui naturali corpori est proprius, *Vniuersa*, inquit, *quæ in cœlo sunt, quæ in terra, quæ in mari, suis motibus anima ducit: quibus nomina sunt velle, considerare, curare, consultare, opinari, lætari, dolere, & cæteris præterea motibus omnibus, qui horum affines, primique sunt: qui & secundos corporum motus suscipientes, omnia in augmentum, decrementumque deducunt, &c.* Ita solùm Plato voluit animam seipsam mouere motu intentionali, seu operationibus immanentibus, quod non est ab Aristotele alienum: nam ipse in 2. de anima cap. 5. fatetur animam in sensuum operationibus moueri, ac pati. Hinc Plato vocauit animam *numerum se mouentem*: quod quî debeat intelligi, dicetur infrà.

Aristoteles Animam secundum se considerans prout omnibus viuentibus conuenit: siue quatenus est principium vitæ in corpore, eam sic definit; *anima est actus primus corporis organici potentiâ vitam habentis.* Hanc definitionem omnes postmodum Peripatetici magno plausu amplexi sunt: verùm quid nomine actûs intellexerit, diu fuit disputatum:

alij actum primum interpretantur, aliud nihil eſſe quam formam, ſeu eſſentiam; alij talem actum intelligunt, qui ſit cum operatione coniunctus, qua ſcil. corpus animatur: vox Græca eſt ἐντελέχεια: cuius ſignificatum variè à varijs adducitur: quibuſdam hæc nihil aliud eſt quam *efficacia*, ſiue *energia*: aliis *continua agitatio* & ſcribitur per δ· ἐνδελέχεια: vt Ciceroni: Budæus verò ait ἐντελέχειαν dici quaſi ἐντελὲς συνοχὴν, *perfecti corporis comprehenſionem.* Quibus omnibus conſtat Ariſtotelem eo nomine voluiſſe aliquid amplius denotare, quam formam ſimplicem, & inertem: nimirum, vt opinor, formam ex ſe mobilem ſeu agitatricem, & vegetam: quæ iugem à ſe in corpus efficaciam deriuet, ac motionem: idque viuida efficacia poſſideat, perficiat, agitet, & gubernet. Hoc autem eſt quod ſubintellexit Plato cum animam voluit eſſe quandam eſſentiam, quæ ſe ſe numero harmonico moueat vt conſtabit ex iis quæ ſequuntur: vnde non lubens annuo iis, qui per actum primum putant talem intelligi qui ſit ab operatione ſeiunctus, & ſic diſtingui à formis inanimatorum: quia iſtæ ſuas naturales operationes quantum eſt ex ſe ſemper eliciunt: non verò anima, quæ à multis operationibus crebro abſiſtit: vt ab actu vegetandi, ſentiendi, &c. verùm id ariolari eſt, nec video cur ſit neceſſe talem huic voci affingere interpretationem: cum aliunde ſat multa ſuggerat propoſita definitio, quibus anima diſtinguatur à cæteris.

CONCLVSIO: definitio Ariſtotelis recta eſt: ita communiter omnes: patet, quia omni, & ſoli animæ propriè dictæ conuenit: eiuſque naturam, atque informandi officium exactè declarat, vt conſtat, ſi ſingulas particulas expenderimus. *Primò* dicitur *actus primus* ἐντελέχεια πρώτη quo nomine conſtat ex dictis non intelligi vt ſit aliquando, proximum procinctum ad operandum, ſed potius primum, atque formale operandi principium, cuiuſmodi eſt forma, eaque præſertim viuax, & efficax: quamobrem ſic diſtinguitur ab omni forma accidentali, & conſequenter à qualitate, quantitate, relatione, &c. vnde conuincitur non eſſe numerus, neque harmonia, vt dicetur inferiùs.

Secundò, *corporis organici*, id eſt, heterogenei atque ad exercendas varias vitæ functiones idonei: ita diſtinguitur à formis ſimplicium: itemque à formis artefactorum: ac præterea conſtat eo nomine non intelligi corpus merè mathematicum, ſed naturale.

Tertiò, *in potentiâ vitam habentis*; hæc particula non omnino ſuperfluit, ſed potius explicatio prioris eſt: ac perfectiorem notitiam ingenerat corporis, quod animatur. Poteſt namque eſſe corpus aliquod organicum & heterogeneum à propria quadam forma informatum, quæ non ſit anima: vt cadauer: ſed ei deſunt proximæ diſpoſitiones ad vitam: ideo forma, quæ tale quid informat, non eſt anima.

Dubitant tamen Peripatetici, quid nomine corporis naturalis intelligi debeat: Nonnulli enim totum compoſitum intelligunt, ſeu materiam primam prout informatam anima ſecundum gradum ſubſtantialem corporis: alij eandem materiam abſolutè ab anima ſecundum ſe to-

tam actuatam, ita vt sensus sit, id quod in composito animato se habet vt actus primus constitutiuus, esse animam: quare, inquiunt, sic anima est actus corporis naturalis, sicut color actus colorati, vel lumen actus perspicui. Alij materiam solam cum dispositionibus vitæ. Alij aliter. Ita in re facili inutiles in immensum difficultates comminiscuntur: nihilque tandem nisi de vocum pugna tædium parturiunt. Prima interpretatio arrisit *S. Thomæ 2. de anima cap. 1. Complutensibus hic, Bannesio in 1. p. q. 75.* ac defendi potest; si consideres definiri tunc actum constitutiuum per ipsam constitutionem subiecti, siue per rem constitutam, vnde negare poteris formam esse actum corporis, vt à se totaliter distincti: pari quoque subtilitate defendes & secundam: sed vix probabis: nam etiam tertia placuit *S. Thomæ qu. 1. de spirit. creat. a. 3. ad 2.* Ecquid enim obiicies, si mihi placuerit materiam, vt est ab anima informabilis, corpus nuncupare? fatebor in ea significatione non concipi tanquam corpus naturale actu constitutum, sed an non satis erit, si fuerit corpus naturale in potentia?

Platonici sua quoque huc torquent iacula: & dicunt ea definitione solum explicari naturam corporis animati, at ipsius animæ, nequaquam: & cuius sit, non quid: neque inde nos quidquam aliud scire de anima, quam quòd sit corpori causa viuendi; in quo sibi satisfactum non esse, forte haud immeritò, conqueruntur: quòd nulli dubium sit corpus per animam viuere, cùm tamen quid anima sit, maximè ignoretur: neque etiam quid vita sit, explicetur. Ideo & ipsi Platonis subtilitate subleuati vlteriùs in animæ natura indaganda, & explicanda progredi tentarunt, vt videbimus inferiùs. Hæc illi. *Plotin. l. 1. En. 4. Procl. in Tim.*

Interim nescio quid neoterici quidam sibi velint, cum definitionem Aristoteleam explodentes, hanc eius loco substituunt, *anima est actus constitutiuus compositi potentis elicere actiones vitales*: voces quidem diuersas lego: sed sententiam, si non eandem, certe falsam: nam cuilibet potentiæ vitali conueniet.

Aristoteles aliter animam descripsit hoc modo: *anima est id quo primo viuimus, mouemur, sentimus, atque intelligimus*: non quòd omnis anima omnia hæc efficiat: sed sensus est, quotiescumque videmus aliquam ex his operationibus exerceri, primum illud, ac principale principium internum, è quo emanant, esse animam. Ergo per illud *quo primo* exclusit facultates accidentales. Et cum addit, *mouemur*, intellexit motum, qui fit ab interno principio versus quamcumque loci differentiam: qua ratione à sola anima prodit. Ad hunc sensum D. Th. 1. p. q. 75. a. 1. definit animam *principium vitæ in his, quæ apud nos viuunt.* q. d. omnium vitalium functionum: quæ apud nos exercentur, principium est anima: illæ autem sunt vegetatio, quam τῷ *viuimus* subnotauit Arist. motus spontaneus, de quo suprà: sentiendi actus: & denique ratiocinandi, id est, loquendi, disserendi, disputandi, &c.

Ex hac definitione S. Thomas demonstrat animam nō esse corpus hoc modo: corpus vt corpus non est principium vitæ: alioquin omne *1. p. q. 75.*

corpus viueret: ergo viuit solum id, quo viuum corpus constituitur: id autem est actus corporis, non verò corpus.

Ex hac item Platonici colligunt naturam corpore; animam naturâ: & mentem anima superiorem esse.

§. 2.

Quid sit anima rationalis, secundum substantiam.

DEFINITIONEM communem animæ hactenus attulimus: sed nihil interim ferme dictum est, quo animæ nostræ natura sit nobis facta perspectior. Ex quo nouimus nos esse homines, an non pro comperto habuimus esse in nobis spiritum, qui corpus nostrum in reliquis vitæ functionibus exercendis agitet, ac vigorem impertiatur? sed quis ea notione contentus est? quis se nôsse propterea quid sit anima, gloriabitur? Tentandum ergo aliquid amplius: sed priùs veterum opiniones breuiter referamus: id quod equidem à me non posse commodius fieri reor, quam si verbis ipsis Theodoreti vtar: sic enim ait: *Cæterùm vt ingens illorum dissidium deprehendamus, age iterum ostendemus, qualia sint quæ de anima celeberrimi philosophorum opinati sunt, & quopacto eos inanis gloria, vt Homerus ait pugna contendere suasit: quæ autem Deo duce dicam, ex Plutarchi, & Porphyrij, Aëtijque commentarijs dicam. Thales igitur animam appellauit immobilem naturam: Alcman verò, eam per seipsam mobilem dixit; Pythagoras numerum esse, qui seipsum moueat: cuius opinioni assensus est & Xenocrates. Plato autem intellectilem substantiam ex se mobilem. Stagyrites* ἐντελέχειαν πρώτην *corporis organici: quod aptum sit vitam accipere. Endelechiam vero energiam actumve appellauit. At Clearchus quatuor elementorum harmoniam esse ait. Anaximenes & Anaximander, & Anaxagoras, & Archelaus aëriam dixerunt animæ naturam. Stoïci spiritualem quidem, sed quæ calidi plurimum habeat. Parmenides, Hippasus, & Heraclitus, igneam hanc nuncuparunt. Epicurus Neoclis filius, commixtionem quatuor quarumdam qualitatum, ignea videlicet, aërea, ac spiritualis, quartaque præterea, quæ nomen non habeat. Empedocles, mixtionem ex atheria, aëriaque substantia. Critias ex sanguine & humido constare. Alij rursus alia, & contraria nugati sunt*: & infrà, *Pythagoras, Anaxagoras, Diogenes, Plato, Empedocles, & Xenocrates animam dixerunt incorruptibilem esse. Heraclitus verò animas hominum corporibus liberatas in mundi totius animam concedere ait, vt quæ sit eiusdem generis ac substantiæ: Stoïci eas tunc per ipsas superstites viuere, sed imbecilliores exiguo temporis spatio, validiores vsque ad mundi conflagrationem. Democritus, Epicurus, & Aristoteles animam corruptibilem esse liberè asseruere.* Et paulò pòst: *Horumque rursus alij animum esse sui Dominum, moderarique affectus, vt velit. Alij vero & necessitatis & fati seruum esse dixerunt, agique Parcarum filis, & de cœli rotatu, syderumque congressu omnes eius actiones, viresque pendere. Plato autem his contrariam de anima sententiam docuit: liberam enim dixit, dominamque perturbantium affectuum; & sponte sua huc, illucque ferri, suaque ipsius*

Grac. affect. serm. 5. de nat. hom.

ipsius voluntate vincere, vel succumbere, &c. Hactenus ille subiungens ad hoc probandum multos Platonis textus, quibus euidenter euincit ex eius sententia *nos malam naturam sortitos non esse, neque necessitate, aut violentia cogi ad peccandum, neque Parcarum filis agi, neque astrorum congressu ad agendum compelli: sed esse animæ cum ipsa certamen, vincendique habere facultatem, si inclinare ad virtutem velit. Trahereque quidem ad se cupiditatem; trahere & iram ex aduerso: vtrum autẽ pareat necne, liberam esse potestatem, quippe quæ ad aurigæ partes constituta sit, vt agat ipsa, non vt agatur. Hactenus ille.* Ex quibus patet quam difficilis sit ipsius de animæ natura veritatis inquisitio, cùm tot opinionum sectas pepererit: patet insuper quænam fuerit Aristotelis & Platonis opinio: cum quibus sequentia concludam.

Conclvsio prima. Anima rationalis non est harmonia. Ita Plato in Phædone: qui ad hoc refutandum triplici vtitur ratione; *primam* eruit ex eo quòd anima sit prior corpore: hoc est, priùs saltem naturâ per se subsistit, quam corpus, & ab eo separabilis est: at harmonia, (siue consonantia qualitatum, vel si mauis ipsorum elementorum) est posterior corpore, sicut harmonia fidium fidibus ipsis superuenit, & non præit: nec per se subsistit, sed solum per ipsas, & in ipsis est: Ergo anima nostra non est harmonia. *Secunda* ratio est, quia omnis harmonia non est ab iis partibus, ex quibus constat diuersa, sed easdem potiùs sequitur: atqui animus à corpore diuersus est, vt ex eius viribus, actionibus, & repugnantiis cum illo constat. *Tertia*, cùm vitium maxima sit animi dissonantia, sequeretur maximam dissonantiã esse in harmonia, neque hanc per illam dissolui, &c. *Quarta*, omnis harmonia suscipit magis & minus, & vna magis harmonia est, quam alia: id de anima dici nequit. Ergo, &c. *Quinta*, nulla harmonia sibi repugnat, neque organo suo. Atqui animus corpori sæpe aduersatur. Ergo. Vide S. Gregor. Nyss. lib. de anima, qui adductis præcedentibus argumentis addit sequentem: quòd etiam in suscipiendis contrariis pars sit substantiæ, & subiectum: harmonia verò sit quantitas, & in subiecto. Hinc patet à fortiori animam non esse temperamentum contra Galenum: id enim probat S. Greg. cit. sic. Si temperamentum corporis sit anima, cum omne corpus saltem mixtum, temperamento sit præditum, sequitur omne mixtum esse animatum *Secundo*, temperamentum mutatur per ætates: non anima. Ergo *Tertio*, temperamentum non aduersatur concupiscentiis, imo cooperatur: secus anima. *Quarto*, temperamentum est qualitas, quæ abest & adest sine subiecti interitu; secus anima. *Quinto*, quia ex temperie naturali robur, sanitas, & pulchritudo nascuntur. Ergo si anima sit temperies naturalis, omne viuens semper esset robustum, sanum & pulchrum, &c. Hactenus S. Greg. Nyss. qui deinde pari contentionis ardore definitionem animæ ab Aristotele traditam vellicat, quòd *corpus vitale, opus animæ, animam vocet, seiungens ab ea quod rationale est*: cùm *oportuisset*, inquit, omnem simul animam, etiamque humanam *accipere, & non ex parte, eaque infirmissima, de-*

toto sententiam dicere. Item quod videatur asserere *corpus potestate vitam habere in seipso*: & tamen *oportet corpus vitam habens potestate, prius operatione corpus esse: atqui non potest corpus actu esse, priusquam acceperit formam*: multa eiusmodi accumulat ex Platonicis aduersus Aristotelem, quæ legi possunt, neque enim vrgere id cupio: solum aduerti peruelim illi maximè displicere, quòd dici solet à Peripateticis, animam non moueri per se, sed solùm per accidens: corpus verò ipsum per se: existimat enim verè animam esse substantiam, quæ se primò ex se moueat: ac secundariò corpus: sed de hoc infrà.

CONCLVSIO secunda. Anima non est numerus: ita Platonici omnes quemadmodum & Peripatetici. Probatur euidenter quia numerus est quantitas; est quid discretum: est par aut impar: anima verò nihil horum est. Item anima, inquit cit. Doctor, *per se mobilis est, sed numerus determinatus immobilis est; item numerus manens naturâ idem, non variatur qualitatibus: sed anima, cùm vna sit secundum essentiam, mutat subinde qualitates, ex inscitia, ad scientiam; & ex vitio ad virtutem migrans. Ergo anima non est numerus.*

CONCLVSIO tertia. Anima simpliciter est substantia per se mobilis apta per se ad corpus actuandum. Ea descriptio eruitur ex dictis: confirmaturque ex iis quæ diximus in lib. de mundo cap. 5. vbi præter motus Physicos, & naturales, diximus dari alium Platonicis maximè familiarem, qui sit perennis quidam vigor, isque substantificus, à suo principio tantùm pendens, & semper prodiens: nullique subiecto mancipatus, & cum nullo corpore cōmunicans, corporearum tamen, & accidentalium motionum commune instrumentum existens. Iam alias talem descripsimus vitam ex Alexand. Alens. in Phys. cap. 14. §. 3. Et licet motum eiusmodi non approbes, inficiari tamen non potes, quin vita in actu secundo sit quædam motio immanens à principio interno essentialiter prodire exigens, atque animæ primo ac per se, corpori verò per animam co[n]ueniens. Ex quibus necessariò sequitur animam esse substantiam per se mobilem: vnde à formis non viuentium distinguitur: quod verò additur, *apta per se ad corpus actuandum*, eam ab Angelis disterminat.

Notes tamen hic velim, hac descriptione potissimùm comprehendi animam rationalem, quia hæc est principaliter, ac per excellentiam anima. Cæterùm ne quid desit ad clariorem eius essentiæ notitiam: ratus sum non fore lectoribus ingratum, si diuersas eius definitiones ex diuersis excerptas huc congessero, sic enim melius innotescet quid sit. Primò à S. August. sic describitur *anima est substantia quædam incorporea, rationis particeps, regendo corpori accommodata*: à Seneca *spiritus intellectualis ad beatitudinem in se, & in corpore ordinatus*: ab Alex. Alens. *Deiforme spiraculum vitæ*: ab authore lib. de spir. & lit. qui Hugoni Victorino adscribitur potius quam S. August. dicitur anima ad similitudinem solius sapientiæ facta, omniumque rerum in se gerere similitudinem: *vnde & à Philosopho,* inquit, *definita est omnium similitudo.* His varij animæ

respectus explicantur, ac præcipuæ illius prærogatiuæ: *prima* tamen magis essentialis est. *Secunda* propter quid condita sit, declarat, vt nimirum sibi, ac corpori, (in quo differt ab Angelis) æternæ, ac diuinæ beatitudinis dotes asciscat. *Tertia* qualem habeat ad diuinum suum exemplar imitaminis rationem, edisserit; simulque modum creationis explanat, alludens ad id quod in Genesis 2. dictum est, *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ: & faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quæ quanta sit eius prærogatiua, mirari quidem possumus, effari nunquam: *eo enim imago Dei est, quo capax eius est, & particeps esse potest*, vt ait D. August. & quidem immediatè, ipsa nimirum distincta & plena comprehensione, fruitione, possessione, transformatione: vide S. Bonauent. in 2. d. 16. q. 1. S. Thomam 1. p. q. 93. Denique quarta definitio amplitudinem, symmetriam, proportionem, & affinitatem ostendit, quam ipsa cum rebus omnibus habet, velut centrum omnium, compendiumque omniforme: ipsamque diuinæ Sapientiæ artem sigillari quadam, ac miro referens essentiæ suæ contextu, vti mox ex Platone sumus inspecturi. 10. *de Trin. cap.* 8.

§. 3.

Quomodo verum sit animam componi ex numeris harmonicis.

DISGRESSIO PLATONICA.

PLATO in Timæo explicans Pythagoricum de animæ symbolum, talem descriptionem adhibuit, quæ ingens Platonicis explicandi, Peripateticis, redarguendi negotium facessiuit. Sic enim mundi animam depingit: *Sed nos multa tanquam fortunæ participes, inconsideratè & temerè loquimur. Ille verò*, sc. mundi opifex *tam generatione, quam virtute priorem animã corpore constituit, vtpote quæ obedienti corpori esset imperatura, ex his videlicet & hoc pacto, Ex ea substantia, quæ indiuidua; & semper eadem, similisque est; & ex ea rursus, quæ circa corpora diuidua fit, tertiam substantiæ speciem commiscuit mediam, quæ rursus esset natura IPSIVS EIVSDEM, & natura IPSIVS ALTERIVS particeps: eamque per hac mediam constituit inter indiuiduam substantiam, & eam quæ circa corpus diuiditur. Ea cùm tria sumpsisset, in vnam speciem omnia temperauit, vbi naturam eius quod alterum vocamus, commixtioni repugnantem, cum eo quod idem dicitur, vi quadam conciliauit. Postquam verò illa duo cum substantia commiscuit, & ex tribus vnum fecit, rursus id totum in ea, quæ decuit membra partitus est: quorum quodlibet ex tribus, eodem, altero, substantiaque constaret.* Hactenus animæ substantiam ænigmaticis coloribus inumbrauit: ex quibus alius vires eius delineet. *Fuit*, inquit, *talis illa partitio: vnam principiò accepit ex vniuerso portionem. Secundam autem, primæ duplam. Deinde tertia, quæ secunda esset sesquialtera, primæ*

tripla: tum quartam, secundæ duplam: Quintam deinceps, tertiæ triplam, Sextam primæ octuplam. Postremo septimam, quæ partibus sex, & viginti primam excederet. Posthæc dupla & tripla interualla repleuit, &c. Ænigma proposuimus: quis nobis Oedipus aderit? præsto est. Ipse nimirum omnis Philosophiæ dux, & Magister, qui mentes humanas arcanis semper radiis, sicut & quando vult, illustrans, iis non raro dat veritatis lumen ex tenebris humanarum ambagum eruere: eo itaque fauente ex inuolucris illis profundissimis sic animæ splendorem, & dignitatem eruemus: His enim verbis videtur mihi Plato voluisse significare animam rationalem eximia Verbi diuini participatione, atque imagine fuisse ab authore suo Deo decoratam: & cum diuinitatis participatione gerere secum miram cum corpore symmetriam: esseque in essentia simplicem: multiplicem viribus, quas omnes concentu absolutissimo temperat: omniumque in se se proportionum atque harmoniarum tam intus percipiendarum, quàm extrinsecus exprimendarum facultatem ex ineffabilis sui archetypi communicatione referre. Talem Plato concepit, talem adumbrauit; talem expressit animæ pulchritudinem. Quomodo, inquies? en paucis.

Recolenda sunt primo quæ diximus in Log. cap. 21. §. 2. in ordine Diuino esse primo loco ipsum primum & supremum principium omnium, quod IPSIVS VNIVS nomine designabant: tum sequi PRIMAM MENTEM, eamque imparticipatam, quam *mundum intelligibilem* appellabant: in hac quinque 1. genera intelligibilium collocabant: *Essentiam*, in qua ideæ omnium effulgere dictitabant, *idem, alterum, motum, statum.* His adde quæ diximus in Phys. cap. 3. §. 1. & 2. Hinc enim disces VNIVS nomine Deum, necnon vniuscuiusque Ideam: multitudinis verò, materiam, vel omnem potentialitatem. Præterea constat à Platone per *naturam eandem* intelligi diuinam, immortalem, & intelligibilem: per *alteram* verò, materialem, & corruptibilem. His suppositis,

Anima dicitur ex substantia indiuisibili, atque vniformi, itemque ex diuisibili tanquam tertia species resultare, horum primorum generum *ipsius einsdem* & *ipsius alterius* particeps: quia cùm sit media inter Deum & corpora: actu simplicitatem Dei per participationem imitatur; & virtute corporum multiplicitatem per eminentiam continet. Hinc incorporea est, atque indiuisibilis in substantia; materialis, & multiformis in virtute: quatenus diuinam *identitatem* participat, vires corporum in reliquis dispersas, imo & in sensibus discrepantes in vnam adunat essentiam: quatenus verò *alteritatem*, facultates habet actu distinctas. Paucis ex indiuidua substantia componi dicitur, quatenus, vt merito Plotinus interpretatur, *anima vna est, & Deo similis, intelligibilisque natura*; ex diuidua verò, quatenus, *corpori alligata, sensibus corporeis vtitur: vnde & in parte sensibilium merito potest computari.* Ideo quodammodo diuisibilis euadit, manens interim semper indiuisibilis: *Profectò*, inquit Plotinus, *natura hæc partibilis simul, atque impartibilis, quam esse dici-*

mus animam, non sic vna est, quasi quoddam continuum, aliam partem, aliamque habens, sed partibilis quidem est: quoniam partibus omnibus eius, in quo est, seipsam communicat: impartibilis autem, quoniam tota est in omnibus, & tota in qualibet eius portione. Hinc *Aristander & Numenius* animam definiunt numerum ex indiuidua vnitate, & dualitate diuidua constitutum. *Seuerus* Geometricum subiectum ex puncto indiuiduo, interualloque diuiduo. *Plutarchus & Atticus*, animæ partem rationalem appellant indiuiduam, irrationalem siue sensualem, diuiduam.

Sed quid sibi vult, quod sequitur: *vnam accepit ex vniuerso portionem: secundam autem primæ duplam, &c.* His enim animam cōparat triangulo ex numeris harmonicis conflato, ita vt vnitas in apice sursum emineat; hinc verò numeri pares 2.4.8. illinc impares 3 9.27 collocentur sic:

1
2 . 3
4 . . . 9
8 27

Explicatio difficilis quidem: sed profundissima eruditione præpollet: continent enim hi numeri quiquid proportionum excogitari ab animo sapientissimo, vel ei arridere potest, tam in geometricis magnitudinibus, quam in arithmeticis calculis, aut musicis instrumentis. His autem potissimum animam mundi adumbrare Plato voluit: & fortè secundario nostras: quoad animā mūdi triplicem inuenio apud Platonicos opinionem. Alij per eam intelligunt meram harmoniam, siue symmetriam admirabilem, qua partes omnes vniuersi secum mutuo ad vnum vndique absolutum opificium conspirant. Ita *Serranus in Timæum Plat.* Fauet *Porphyrius*, qui prædictorum numerorum rationem soli ordini, siue dispositioni mundanorum corporum attribuit, ita vt quantum est à terra ad lunam interuallum, sit duplum à terra ad solem; (quem vtique Plato & Aristoteles immediatè supra lunam collocabant:) & triplum à terra ad Venerem, & ita deinceps. Huic consentit quoque *Macrobius 2. in somn. Scip.* sed repugnant alij Platonici. Alij opinati sunt talem mundi animam esse Deum ipsum; prout hunc mundum regit, qua ratione vocatur à nonnullis idea, fonsque omnis animæ, quemadmodum idea boni vocatur, prout bonorum omnium author est. Certè quotus quisque est qui passim scriptum non legat, quòd Deus in mundo est, id in corpore nostro esse animam? *In hoc enim,* inquit S. Bernardus, *gerit anima similitudinem quandam cum Deo, quod non solum est vita, sed etiam viuificans.*

Ita ergo Deo sub notione animæ Plato adhibuit illa quinque genera *esse, idem, alterum, &c.* & cum his speciem siue ideam animæ, vnâ cum vniuersa omnium proportionum origine, in quo enim, omnium proportionum, quæ possunt in perfecto aliquo artificio elucere, primam originem, ac fontale principium quæras, nisi in ipsa principalis opificis arte: artisque principio, quod est anima intelligens formandis corporibus applicata?

Alij intelligunt spiritum creatum, & intelligentem à Deo distinctum, per omnem mundi machinam diffusum, eo modo, quo animus noster nostro corpori adest vbiq; totus. Hoc Platonici Ethnici communiùs se-

quuntur; sed Catholici respuunt, & meritò vt diximus in II. de Cœlo, c. 5. Hinc autem illi ad animam nostram transferunt, quæcumque hic Plato de anima mundi simpliciter affirmauit. Quos etiam multi è SS. PP. imitati, hanc animæ nostræ definitionem amplexi sunt: *Anima est numerus se mouens*, vt S. Gregor. Nyss. cit. *Pythagoras certè qui per notas semper comparare & Deum, & omnia numeris solitus erat: etiam animam definiebat numerum seipsum mouentem. Huic etiam Xenocrates adhærebat, non quod assentiretur animam esse numerum, sed quod censeret, eam in rebus numerabilibus esse, atque multitudine comprehensis: & quod anima sit, quæ res discernit, formas & figuras singulis conuenientes attribuens. Hæc enim est, quæ species à speciebus separat, & differentes à se delarat: tum diuersitate generum, tum multitudine numeri, propterea efficiens, vt res numerabiles euadant, vnde non vsquequaque à ratione communicandi cum numeris exempta est.*

Sed age mysticum illum triangulum numeris harmonicis designatum clariùs explicemus. In primis sese præbet vnitas, deinde numeri pares, & impares: tertiò eorum proportio & harmonia; vnitas numerorum principium est, in iisque omnibus, & singulis adest actu, vel potestate ipsaque semper eadem manet. Nam vnitatis nonnisi vna ratio est, cùm sint tam multæ numerorum. Ideo principaliter vnitas Deum, ipsaq; prima intelligibilia, siue ideas declarat, vt diximus in Phys. c. 3. §. 1 & 2. per participationem verò, & similitudinem exprimit animam intelligibilem, ac spiritualem, quæ principium est eorum quæ fiunt in corpore: eiusque omnibus adest partibus, &c. Trianguli typo repræsentatur, quia vt triangulus ab vno apice in duo latera distinguitur, sic animus ab vna intelligibili, diuinaque natura profluens in corpoream desinit, eamque diuisibilem; tum quia vt optimè notat Proclus tria potissimum in anima sunt *essentia, potentia, & operatio*, ὕπαρξις, δύναμις, ἐνέργεια. Numeri autem impares naturam intelligibilem, intelligibilesue notiones designãt: quia diuidi nequeunt: pares verò, naturam corpoream, & eius attributa. Enimuerò dualitas, quæ prima est vnitatis dissolutio, prima corruptionis radix, & corruptibilium symbolum iure habetur, & quo magis duplicata fuerit, eò maiorem fluxilitatem, ac minorem subsistendi vim arguet. Triplex autem est numerus par: triplexque impar: quia secundum naturam corpoream tria illa superiùs enumerata, sc. *substantia, potentia, & operatio*, æquè reperiuntur, ac secundum naturam intelligibilem. Nam pars inferior animæ, quæ sensualis nominatur, tenet locum substantiæ corporeæ: huic facultas irrationalis, & operatio. Hæc autem nonne sunt tria sibi mutuo subordinata & proportionata? vt enim quatuor ex duobus; & octo ex quatuor procedunt: sic potentiæ ex essentia: & operationes ex potentiis. Qua item proportione 4. fiunt ex 2. eadem 8. fiunt ex 4. & vt 4. componunt numerum ampliorem, & magis diuisibilem quam 2. & 8. quàm 4. sic qua proportione & analogia potentiæ fluunt ex essentia; eadem operatio ex potentia, & vt potentiæ plures ex vna essentia, sic ex vna potentia plures operationes e-

grediuntur. Similiter ex parte intelligibilium tria ſunt, pars ſuperior animæ, potentia rationalis, operatio. Tres numeri impares 3. 9. 27. ſunt indiuiſibiles, vnitate ſcilicet terminante omnes eorum medietates, ita illa tria indiuiſibilia ſunt, quia incorporea: eademque inter hæc analogia obſeruatur ac in prioribus. Aliter myſtici huius trianguli latera poſſemus interpretari, ſi nimirum per vnitatem ipſum omnium principium intellexerimus: per pares numeros ordinem corporalium: per impares, ſpiritualium: nam præter ſupradicta & hoc interuenit, quòd vt pares numeri ſunt minores imparibus, ita corporea incorporeis cedant efficacitate, ac excellentia. In vtroque autem ordine tria poſſumus diſtinguere, primùm, eorum ideas: ſecundò, naturas participatas: tertiò, vmbras, nempe in ordine corporalium, ſpectra, imagines intentionales, &c. in ordine incorporeorum entia rationis, ſpecies intelligibiles, &c. Iam vt naturæ participatæ ſunt vmbræ idearum; ſic imagines intentionales ſunt vmbræ naturarum ſubſiſtentium, &c.

Sed cur numeri harmonici adhibentur? Certè vt pateat Deum tanta cum induſtria humanam animam condidiſſe, vt miro concentu vires eius mutuò concinant. Sed notandum eſt priùs prædictis 7. numeris, ſcilicet 1. 2. 3. 4. 8. 9. 27. omne genus proportionum, integramque muſicæ harmoniæ conſonantiam contineri. Sex enim ſunt principales proportiones quæ ad concentum pertinent, & quinque ſymphoniæ, vt ex Macrobio & Boëtio conſtat: prima proportio eſt *ſeſquitertia*, cum minorem numerum maior ſemel continet, & tertiam inſuper illius partem, vt 4. ad 3. ſecunda eſt *ſeſquialtera*, cum maior minorem continet, & ſemel mediam eius partem vt 3. ad 2. tertia eſt *dupla* cum maior minorem bis continet vt 2. ad 1. ſeu 4 ad 2. quarta eſt *tripla*, quando maior minorem ter continet, vt 3. ad 1. quinta eſt *quadrupla*, quando maior minorem quater habet, vt 4. ad 1. ſexta eſt *ſeſquioctaua*, cum maior numerus minorem continet, & octauam eius partem, vt 9. ad 8. & dicitur tonus. Ex his 5. ſymphoniæ, ſiue conſonantiæ conſtituuntur, prima eſt diateſſarom, quæ ex duobus tonis & ſemitonio conſtat & reſpondet proportioni ſeſqui tertiæ, vnde à muſicis *tertia* nuncupatur: ſecunda eſt diapente quæ ex tribus totis & ſemitonio, ferturque ad ſeſquialteram & vocatur *quinta*: tertia diapaſon quæ conſtat 6. tonis, nimirum 5. perfectis, & 2. ſemitoniis, & reſpondet duplæ: ac vocatur *octaua*: quarta eſt diapaſon, & diapante, quæ conſtat ex *octaua & quinta*: i. ex 9. tonis, ac vno ſemitonio: & reſpondet triplæ: quinta eſt diſdiapaſon, quæ ex duabus octauis fit, i. ex duodecim tonis, ac reſpondet quadruplæ: ſunt quidem adhuc quædam aliæ, vt diapaſon & diateſſaron, quæ continent proportionem, ſuperpartientem, qualis eſt inter 8. & 3. & talis conſtat octaua & tertia, ſeu 8. tonis & vno ſemitonio: Item aliæ, ſed omnes ad enumeratas referuntur. Ita vides tonum, ex quo reſultant ſymphoniæ, componi ex nouem minutulis interuallis, ideoque non poſſe diuidi in duas partes æquales: ſed in vnam minorem, quæ vocatur à Platone λῆμμα, & à Pythagora dieſis: & in alteram maiorem, quæ dicitur apoto-

me; vnde musici tertiam minorem, & tertiam maiorem distinguunt. Sed hæc sufficiant.

Vt enim ad propositum reuertamur, dicendum est animam his dici constare numeris: *primò*, quia Deus animæ dedit vim conciliandi, & temperandi omnes vires, partesque corporis: licet admodum dissimiles inter se, ac repugnantibus temperamentis, & organis præditas, ita vt præsidente anima, omnis illa facultatum, & temperamentorum varietas in miram harmoniam temperetur: *secundò*, quia eidem animæ Deus inseuit & intertexuit primordia, siue rationes innatas omnium proportionum, in quibus potissimum ineffabilis eius sapientia elucescit. Quo fit vt inter omnes animantes solus homo harmonia, proportionibus, & puchritudine delectetur. Et à proportione quodammodo denominatur rationalis: proportio enim propriè vocatur *ratio*, vt ratio vnius ad alterum, vel duorum ad tertium, &c. & Græcè quoque λόγος appellatur. Ita ratio nostra tota proportio est: proportio, inquam, non accidentalis, seu quantitatiua; sed substantialis, & originalis, vix aliàs quam per proportiones numerorum explicanda. Istud intelligetur clariùs, si repetas ea, quæ diximus in Log. c.53. §. 3. Item c. 47. § 4. & in Phys. c.3. §. 1. Hoc ergo ipsum, quod anima rationalis habeat in essentia sua vim omnem discernendi, amandi, & exprimendi proportiones, est propria differentia Hominis; hac prærogatiua non modo cæteris supereminet animantibus: sed proximè ad diuini verbi expressionem eleuatur, eiusque Sapientiæ sigillarem, & ectypam imaginem gerit: in nulla enim re magis illa elucescit, quam in fingendis, constituendisque rerum proportionibus, & harmoniis, vt sæpius dictum est.

Notandum est præterea in illis numeris dispositis, vt suprà, hæc quatuor conuenire, *aspectum rectum, reflexionem, duplicem coordinationem, & identitatem*. Adspectus rectus est simplex progressio à minori ad maiorem, vt cum dicimus 1. 2. 3. 4. &c. reflexio fit, dum ex vna parte collocaueris pares, & ex altera impares, tunc addita vtrimque vnitate, pares reuocabuntur in seriem imparium: & contrà. Adde enim vnum duobus, fient 3. adde vnum tribus fient 4. &c.

Duplex coordinatio parium & imparium constat in superiori figura, in qua hinc pares, inde impares vides esse dispositos. Identitas contingit sic: cogita omnes impares aspectu recto positos, v. g. 1. 3. 5. 7. 9. 11. &c. Sume primum quadratum, nempe bis duo, siue quaternarium: Huic adde imparem proximè sequentem, scilicet 5. fient ter tria; qui numerus est quadratus: huic adde proximum quoque imparem, scil. 7. resultabit pariter quadratus numerus 16. nimirum quater quatuor (numerus enim quadratus vocatur is qui ex se per seipsum multiplicatur:) ita deinceps; hoc in paribus non obseruatur. Ideo in imparibus identitas est, siue vniformitas ob iugē illam quadrati numeri processionem, quæ symbolum quoque æternitatis, firmitatis, & perfectionis esse potest: in paribus verò diuersitas, seu multiformitas consideratur, radix ac symbolum corruptibilitatis, infirmitatis, &c.

Hæc

Hæc autem sic applicari solent: si de Cœlo sermo fuerit, adspectus rectus denotabit *axem*; reflexio, *conuersionem*; duplex coordinatio, *duplicem motum*, proprium scilicet & raptus; identitas, *regularem primi mobilis motum*; diuersitas, *Planetarum excursus*. Si verò de anima nostra; tunc adspectus rectus *intelligentiam*; reflexio, *rationis discursum*; duplex coordinatio, *vim intelligendi, & sentiendi*; identitas *indiuisibilem essentiã*; diuersitas *multiplicitatem operationum & organorum*. Vide Toletum, Iauellum, D. Thomam, Ficinum, Philoponum, Plutarchum, Chalcidium, Proclum. &c.

Adde vlterius id quod optimè notat S. Thomas in 1. de anima lect. 7. numeros qui sunt ex vna parte maximè congruere cum iis; qui sunt ex altera. Nam *primo* ambæ illæ series parium & imparium coüniuntur in vnitate velut in communi radice: *deinde*, si illis qui sunt in serie imparium addatur vnitas, fient pares, & è conuerso, vt per se patet: *tertio*, qui sunt in vna serie habent quãdam proportionem cum iis, qui sunt in alia, vt 3 ad 2. sesquialtera: 4. ad 3. sesquitertia; 9. ad 8. sesquioctaua, &c. vnde inferimus *primo*, vires sensuales & intellectuales in vnitate eiusdem essentiæ velut in communi radice coüniri: *secundo*, actiones sensuum ex affinitate, & participatione rationis eleuari quodammodo ad ordinem rerum intellectualium; & contrà, operationes intellectus propter communem radicem descendere ad ordinem animalium, & sensualium: quia homo per operationes sensuum proficit in spiritualibus: & per operationes intellectus prouidet sensualibus, &c. *tertio*, potentiæ atque operationes partis sensitiuæ, cum illis partis intellectiuæ miram seruant proportionem & congruentiam, &c.

Denique quoad numerum septenarium, quo prædicta harmonia constat, notandum est septem gradus posse in homine distingui secundum 7. obiecta, quæ potest intelligere: & quorum excellentiam ipse complectitur: *primo*, sunt elementa; 2. mixta imperfecta; 3. mixta perfecta inanimata; 4. vegetatiua; 5. sensitiua: 6. spiritualia pura; 7. humana. *Ficinus*, *Foxius*, & alij, sic septenarium numerum interpretantur, vt sit *primo*, vnitas essentia; 2. intelligentia; 3. ratio; 4. voluntas: 5. imaginatio; 6. vis connectendi partes heterogeneas: 7. vis generandi. Alij sic, *primo*, inquiunt, est essentia; 2. infinitas, id est, ratio potentiæ & generis: 3. terminus, id est, ratio differentiæ & actus; 4. alteritas; 5. identitas: 6. motus: 7. status. Ita ex hisce numeris infinitæ propemodum conceptiones erui possunt: omnes quidem maximè conformes Platonicæ sapientiæ. Sed hactenus ista sufficiunt.

CAPVT II

DE ANIMÆ HVMANÆ immortalitate.

§. 1.

Errores veterum excluduntur.

SCRIBIT Cicero 1. Tuscul. Pherecydem Syrum primum, quod literis extet, dixisse animos hominum esse immortales; vixit autem ille tempore Seruij Tulij, fuitque Pythagoræ magister: sed potuit ipse non legisse antiquiores, cum tamen multo ante Pherecydem Trismegistus idem defenderit: neque vlla vnquam fuit ætas, aut regio, vbi arcano rationis dictamine, vel publico sapientum eloquio insinuatum non fuerit; animas nostras fore corporibus superstites. Nihilominus quemadmodum multi negarunt Deum esse, tametsi Deus ipse interius in conscientiæ adytis esse se proclamaret, ita impij nimirum multi fuere, qui manifestam hanc veritatem pessimis tenebris conati sunt obtegere. Hinc malignè Plinius ista effutiit: *Omnibus à suprema die, eadem quæ ante primam: nec magis à morte sensus vllus corpori aut animæ quàm ante natalem; eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat, & in mortis quoque tempora ipsa sibi vitam mentitur: aliàs immortalitatem animæ, aliàs transfigurationem, aliàs sensum inferis dando, & manes colendo, Deumque faciendo, qui iam etiam homo esse desierit. Ceu verò vllo modo spirandi ratio homini à cæteris animalibus distet, aut non diuturniora multa in vita reperiantur, quibus nemo similem diuinat immortalitatem, &c.* Neque illo melior Seneca: nam en quid senserit *Ego diu mortem expertus sum, quando, inquis? antequam nascerer. Mors est non esse: id autem quale sit, iam scio. Hoc erit post me, quod ante me fuit: si quid in hac re tormenti est, necesse est, & fuisse antequam prodiremus in lucem, &c.* Idem quoque & adhuc clarius repetit in lib. de Consolatione ad Martiam & si quandoque meminit, gaudiorum, quæ post mortem in Cœlo bonos manent; & malorum, quæ apud inferos: hæc in citato libro vocat fabulas. *Illa,* inquit, *quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est, & ..... mors nec bonum, nec malum est, Id enim potest aut bonum, aut malum esse, quod alquid est: quod verò ipsum nihil, & omnia ad nihil redigit, nulli nos fortunæ tradit, &c.* En quo tandem ducat præsumptuosa illa & arrogans Stoicorum sapientia!

l. 7. c. 55.

ep. 54.

Idem ex professo docuere *Democritus, Lencippus, Epicurus, Lucretius,* paucis quotquot atomos constare omnia dixere. *Aristoteles* verò hac in

re vafer eſt, & admodum lubricus. Nuſquam de immortalitate animi ex profeſſo egit: nec de ipſius mortalitate, quam de immortalitate pauciora conſcripſit, vt meritò eum Atticus ſæpiæ piſci comparauerit, quòd quemadmodum hæc atramento in aquam effuſo eam conturbat ne capiatur, ſic ipſe in hac quæſtione ſua ſe ambiguitate tueatur. Quin antiqui fere omnes ſic eius interpretati ſunt de animo ſententiam, vt eum abſolutè mortalem faceret. Ita Iuſtinus martyr in paræneſi ad Græcos, Gregor. Nyſſ. & Theodoretus cit Nemeſius in lib. de Nat. hominis, Origenes, & alij. Ex prophanis verò Plutarchus, idem aſſeruit, Alex. Aphrodiſæus nobiliſſimus Ariſtotelis Interpres: Iandunus in 3. de anima quæſt. 5. Caietanus, &c. idem ipſi adſcribunt: Heruæus verò quodlib. 1. q. 11. Scotus in 4 d. 43. dubium eum faciunt. Albertus M. S. Thomas, & alij deinceps affirmant eum aſſeruiſſe animam immortalem.

Etenim ex vna parte, quod animam fecerit mortalem patet ex eo quod aliquando dicat animam intellectiuam, ſolùm potentia contineri in ſemine, quemadmodum & reliquas: *Animam*, inquit, *vegetalem in ſeminibus & conceptibus, ſcilicet nondum ſeparatis, haberi potentia ſtatuendum eſt, non actu, prius quam eo modo, quo conceptus, qui iam ſeparatur, cibum trahant, & officio eius fungantur. Principio enim hæc omnia vitam ſtirpis viuere videntur. De anima quoque ſenſuali pari modo dicendum eſt, atque etiam de intellectuali, omnes enim haberi potentia priùs, quam actu neceſſe eſt.* Quid clarius? Aliquando ait poſt mortem nullam fore reminiſcentiam, quia intellectus paſſiuus corrumpitur; vbi etiam euidenter diſtinguit mentem agentem, ſiue illuminantem ab intellectu diſcente, ſiue paſſiuo, quo intelligimus, & addit mentem agentem eſſe ſeparatam, (id eſt, non informantem,) & ſolam immortalem. Item *ſi intelligere*, inquit, eſt ipſa phantaſia, vel non ſine phantaſia, non contingere animam ſeparari. At conſtat ſecundum illum animam noſtram nihil poſſe intelligere ſine phantaſia. Interdum ait mentem vti & corpus ſuo quoque ſenio affici: aliàs docet, *nihil mortuo reſiduum boni vel mali remanere; ideoque mortem eſſe maximè reformidandam: quia eſt finis omnium.* Item *voluntatem, ſeu electionem eſſe impoſſibilium, vti immortalitatis.* Item nullam poſt mortem ſperandam eſſe fœlicitatem, &c.

l. 2. de gener. anim. c. 3.
l. 3. de anima t. 10.
2. Polit.
Ethic. 3. c. 9 & 4.

Aliunde quod animæ immortalitatem aſſerat hinc patet, *primò*, quòd in 2. de anima à t. 151. ad 155. probat intellectum, neque phantaſiam eſſe, neque aliud vllum ſenſum: alibi docet mentem deforis aduenire, & eius operationem non communicare cum corpore; alibi laudat Alcmeonem & Anaxagoram, quod dixerint animam eſſe immortalem: denique in 3. de anima vult intellectum, quo intelligimus eſſe immixtum cum corpore, impaſſibilem, diuinum, &c.

l. 2. de gen. anim. c. 3.
l. 1 de anima.

At dubium inſuper augetur ex eo quòd ſimile quid de reliquis formis merè naturalibus dixiſſe inueniatur. Nam 1. Phyſ. eas diuinas ap-

pellat. 1. de anima, partem sensitiuam & vegetatiuam vocat impatibiles, & 2. de gen. anim. c. 3. calorem eum qui in semine fœcunditatis est causa, diuinum esse, &c. quod Ciceroni in 1. Tusc. & D. Augustino post illum in 22. de Ciuit. Dei causam dedit asserendi animam intellectiuam è quinta essentia, cœlesti scilicet esse constitutam secundum Aristotelem. Propterea Iandunus cit. putat, id quod equidem lubens crediderim, secundum Aristotelem distinguendam esse mentem intellectiuam ab anima informante, ita vt mens sit principium internum intelligendi à corpore, neque loco, neque subiecto distinctum, nequaquam tamen informans, esseque conferens, sed assistens, & vnum in omnibus: vti Piccolominæus, excellens alioquin Peripateticus, multis probat lib. de mente humana. Vnde sequeretur, vt totus homo constitutus foret ex illa, vt ex forma assistente, atq; ex corpore propriâ, eaque humana forma, quam cogitatiuam vocat, informato. Id quod Iandunus cit. plurimis textibus probat: ac tandem addit mentem dici immortalem, non verò propriam formam hominis, eam scilicet, quæ dat esse corpori, speciemque humanam: quamque aliquando intellectiuam vocat, aliasque aliter, &c. Ita de mente Aristotelis, discipuli eius digladiantur: verùm quid ad nos: veritatem inquirimus, non apologias.

At inter Orthodoxos disputatur *primum*, an animæ immortalitas demonstrari possit ratione naturali. Scotus enim, Caietanus, & alij post Iandudum censent sola fide certos nos de hoc fieri: nec posse demonstrari. Hinc *secundò*, quæritur, quatenus de fide sit animas nostras esse immortales: aliqui enim arbitrati sunt fide non esse definitum, quod animæ sint naturâ incorruptibiles. At communiter Philosophi Christiani docent, *primò*, demonstrari posse, quòd anima sit immortalis; *secundò*, etiam de fide esse, quòd sit naturâ suâ immortalis.

CONCLVSIO: de fide est animam humanam esse immortalem. Hoc omnes fere omnium scriptorum Ecclesiasticorum paginæ resonant. Hic
c. 22. sufficiet egregius ille textus S. Matthæi, vbi Christus Dominus de Resurrectione loquens ait: *De Resurrectione autem mortuorum, non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? non est Deus mortuorum, sed viuentium.* Item, *Qui odit animam suam in vitam æternam custodit eam.* Item: *Animam autem non*
l. 16. c. 10. *possunt occidere.* Innumera sunt eiusmodi. Idem definitum fuit in Cõcil. Viennensi sub Clem. V. & in Lateran. sub Leone X. vbi inter alia expressè definitur, quòd anima humana non per se, & essentialiter est forma corporis, sed etiam immortalis. Ex quibus colligere debemus erroneum saltem esse dicere, quòd solùm ex priuilegio, non ex propria natura sit incorruptibilis anima.

Atque hinc aliunde refelluntur hæretici, qui detestandas Ethnicorum de mortalitate animi fabulas sequuti sunt: quos citant D. Damasc. in hæres. 90. Castro de anima, hær. 7. &c.

§ 2.

Rationes pro immortalitate Animæ.

CONCLVSIO, Demonstratione quoque naturali manifestatur hæc veritas. Communis est hæc conclusio inter Doctores Catholicos: ambigitur tamen de argumentis, quibus adstruatur. Verùm hic non censerem immorandú, nisi ex rationibus infra referendis præclara multa documenta eruerentur. Omnes autem immortalitatem eius ex immaterialitate potissimum inferunt, quia penitus incorporea, & indiuisibilis, & per se subsistens est priùs corpore, & sine corpore. Peripatetici id vel maximè conficiunt ex eo quòd hominis Mens reflecti queat in se, suasque operationes, quod naturam corporum omnino s. pergreditur: sed cum reflecti lumen, colores, & alia quæ putantur corpora, dicant Democritiani, & Epicurei, forte inde hoc eludent argumentum I. item quoque id inde maximè iuxta doctrinam Aristotelis credunt euinci, quòd mens nostra omnia corpora intelligat: id quod non posset, si esset corpus: quia intus existens prohibet externi perceptionem: sed hoc in sensu interno grauissimas patitur instantias.

Nonnulli moderni totam vim demonstrandæ huius immortalitatis ponunt in hac cogitatione, qua homo dicit apud se, *Ego cogito:* inde enim sic procedunt: veritas huius pronunciati *Ego cogito, ergo ego sum, siue existo*, adeo certa & euidens est, vt nulla queat fingi ratio dubitandi. Et cum possim fingere cætera non esse: hoc vno excepto, quòd cogitem, & existam, sequitur, inquiunt, hominem esse rem quandam, siue substantiam, cuius tota natura, siue essentia in eo sit, vt cogitet, & quæ, vt existat, non indigeat vlla re naturali: quamobrem necesse erit, vt homo, id est, Mens per quam solam, inquiunt, homo est, sit res à corpore planè distincta. Verùm reponi posset ab Epicureis, hanc cogitationem elici posse ab imaginatione: neque quidquam in illa esse, quod corporeæ operationis fines supergrediatur, nisi reflectionem, & abstractionem à loco, & tempore. Quamobrem totum huius ratiocinationis robur pendebit ex principiis illis duobus, quæ copiosiùs & antiquiùs à Platonicis, Peripateticisque stabilita iam sunt. Ideo nihil video vtilius aut rectius, quam antiqua reuoluere argumenta: eaque potissimum, quæ Plato suggerit: nam quidquid dicant eius oblatratores, hac in quæstione palmam semper retulit. Tantamque vim habuit immortalitatem persuadendi, vt Cleombrotus Ambraciota præcipitem se in mare dederit: & Cato Vticensis sibi violentas manus iniecerit, alijque permulti mortem constantissimè pertulerint, lecto dialogo Phædonis, in quo mirè hoc tractat argumentum; non quòd inducat in sui occisionem; ab hoc enim nos maximè dehortatur, exemplo militis, cui non licet vnquam è castris fugere iniussu Imperatoris; aut rei, quem nefas putat infringere carcerem, aut exire, nisi post sententiam iudicis: sed

quòd talem ac tantam exhibuerit futuræ vitæ felicitatem, vt nihil possit esse optatius. Addam denique SS. Patres maximè consueuisse olim argumentis à Platone desumptis animæ perennitatē statuere. Ideo illa sic breuiter, dilucideque stabilire proposui. PRIMVM ergo argumentum eruit ex antiqua opinione, & cōmuni hominum persuasione, qua cuncti natura duce immortalem esse hominem putant: ab hoc enim ipse suas omnes probationes exorditur: quemadmodum Cic. in 1. Tusc. *vt Deos esse natura opinamur, qualesque sint, ratione cognoscimus: sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium, &c.* patet autem hoc vel maximè ex Mercurio Trismegisto. *Immortalis*, inquit, *est homo substantialis, cunctorumque arbitrium obtinet: cætera vero viuentia quæ mortalia sunt, eius fato subijciuntur.* Item ex Valerio Maximo, aliisque historicis, qui quam multa exempla referunt eorum, qui desiderio, & spe immortalitatis mortem generosè oppetierunt. Idem quoque patet ex vniuersa fere omnium gentium conspiratione in decernendis statuis, aliisque monumentis æternitatis: perinde ac si animę superstites inde maius felicitatis auctoramentum acquirerent. Hinc superstitiosa hominum in Deos translatio & apotheosis, Deorumque penatum & indigetum veneratio sumpsit exordium, quæ nunquam in mentem hominum venisset si extingui morte animas credidissent. Quid dicam de Poëtarum quoad Elysios, vel Tartaros figmentis, quæ tanto cum omnium applausu semper placuerunt? Itaque *consensio omnium gentium lex naturæ putanda est, ob idque nulla gens tam fera, tam barbara est, cuius mentem non imbuerit Deus.* Cic. 1. Tuscul. *Confirmatur* hoc *ex Pontificis iure, & ceremonijs sepulchrorum, quos* per omnem antiquitatem *maximis ingenijs præditi, nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorum mentibus mortem non interitum esse omnia tollentem, atque delentem.* Cic. ibid.

c. 1. Primæ.
l. 2. c. 1.

SECVNDVM est eiusmodi: cui per se, ac primò conuenit vita, tanquam proprio & adæquato susceptiuo, id reuera est immortale: Sed anima est eiusmodi. Ergo Mai. patet, quia quod ita vitam habet, repugnat habere contrarium vitæ, sicut repugnat ternarium habere contrarium imparitatis, & euadere parem, quia est per se impar. Contrarium autem vitæ est mors: Ergo repugnat animam mori, quia est per se viuens. Minor patet, quia anima definitur per viuendi principium; tum quia nisi animæ vita sit conueniat, nulli conueniet. Denique anima ipsa per essentiam suam, eamque solam, & immediatè participat vitam diuinam: non enim eam participat per corpus, cùm eam potius corpori contradat: id quod considerans S. Dionys. 4. de diuin. nom. ait, *animas humanas habere ex bonitate diuina quod sunt intellectuales, & quod habeant substantialem vitam inconsumptibilem*: ergo viuit independenter à corpore: ergo potest viuere sine vnione cum corpore: ergo etiam soluta à corpore.

Hac ratione vsus est S. Bernardus in Cant. Cantic. *Vita*, inquit, *anima est, viuens quidem, sed seipsa; & per hoc non tam viuens, quam vita, vt*

150

propriè de ea loquimur: inde est quod infusa corpori, illud viuificat: vt sit corpus de vitæ præsentia, non vita, sed viuens, &c. Idem habet S. August. seu quisquis est author lib. de spir. & anima c. 39. *Vita*, inquit, *Deus est: vita anima est, similis, & dispar: similis, quod vita, quod seipsa viuens, quod non tantum viuens, sed etiam viuificans, sicut & ille hæc omnia est. Dispar quoniam ille Creator est, ista creatura.*

Huc etiam reuocari potest ratio D. Thomæ, qua sic argumentatur: *Id quod secundum se conuenit alicui, est inseparabile ab ipso: esse autem per se conuenit formæ, quæ est actus: ergo, &c.* Id autem debet sic intelligi, vt esse nequeat separari ab eo, quod eius est proprium, adæquatum, & immediatum susceptiuum: nam ex quo quid est hoc modo, per se est & subsistit. Ita si semel concessum fuerit animam esse tale susceptiuum vitæ, negari non poterit, quin sit immortalis. Id autem mox euincetur ampliùs: de formis verò cæterorum viuentium id dici non potest; non enim ipsæ habent vitam, sed totum compositum: nec ipsam vitam perfectè, atque absolutè participant; sed analogicè & imperfectè, & inadæquatè vt dicemus inferiùs: vita enim secundum se est actus nobilissimus, simplicissimus, primaque motio immanens, ex qua pendent reliquæ: ideo per se mentis est propria: *Dices*, si anima per essentiam est viuens: sicut ternarius est impar: ergo semper fuit viuens, neque potuit neque poterit vnquam non esse viuens. Resp. nego consequentiam, quemadmodum & eam negat Plato in Timæo, asserens animas cælestes sola Dei voluntate subsistere. *Dij Deorum*, (id est, animæ regentes sydera,) *quorum opifex ego, & pater sum, attendite. Quæ à me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt.* Ratio est, quia anima est ens participatum: ideo vt essentiam, sic vitam habet à Deo: sed vtique ab eo solo, & non dependenter à corpore. 1 p. qu. 75. a. 6.

TERTIVM ARGVMENTVM Plato ducit ex Reminiscentia. In hoc tamen Plato multa ex putidis Pythagoræorum lacunis deprompta, nempe de metempsychosi admiscet; sed qui sincerè, & attentè verba eius põderauerit, inueniet hoc solùm hinc ab eo intendi, quòd anima existat per se independenter à corpore, & priùs ipso, naturâ an tempore, haud refert; vnde sic concludit: *dictũ est animam nostrã sic existere vel priusquam in corpus veniat, vt eius essentia dici queat verã entis, quod existit, appellationem sortiri.* q. d. sermonẽ de reminiscentia eò solùm tendere, vt palam fieret, quòd anima sit verè ens per se subsistẽs. Istud autẽ inde potest efficacissimè demonstrari sic. Quod habet principia operandi independenter à corpore, & priùs illo; per se subsistit indepẽdenter à corpore, sed anima humana est eiusmodi. Ergo. Ma. patet, quia principia operandi supponunt principia essendi, vt operatio supponit esse. Mi. etiam efficacissimè patet ex iis, quæ de præcognitionibus, & reminiscentia diximus in Log. c. 41 § 5. & c. 45. 52. & 53. Etenim principia intelligendi, & ratiocinandi sunt regulæ quædam inconcussæ, ac immutabiles, principiaque vniuersalia, & æternæ veritatis, quas impossibile est è sensibus hauriri; vt quæ solum à prima veritate anticipatè ante omnem vsum corporeorum

sensuum descendere debeant. Hinc voluit Plato in animo diuino omnia esse à Deo scientiarum omnium inseminata primordia, vt mens per conuersionem ad ideales irradiationes possit disciplinas quasi habitu latentes & sopitas discendo actu excitare: modum vero excitandi ostendit: *Non enim assentior, cum qui res in rationibus contemplatur, in imaginibus aspicere potius, quàm qui in operibus intuetur. Veruntamen hac via iter direxi meum, supponensque rationem semper, quam esse iudico validissimam, quæcumque huic consonare videantur, puto equidem tanquam vera: idque ago & circa rerum causas, & circa reliqua omnia. Quæ verò dissonant, vera esse nego.* Huc ergo reuocatur tota vis reminiscentiæ Platonicæ: per rationem autem intelligit formam intus in animo desuper radiantem, secundum quam iudicamus de veris & approbamus recta; quam esse independentem à corpore constat, quia hæc semper vniformis, & incommutabilis est: cum omne corporeum nusquam idem saltem diu permaneat: atque inde ducitur.

QVARTVM ARGVMENTVM ex similitudine, affinitate, cognatione, atque connexione, quam habet anima cum Deo, ideis, & cum rationibus æternis simplicibus, incorporeis, & incommutabilibus. Sic autem digeri poterit hoc argumentum. Quidquid corruptibile est, ex multis partibus compositum est: ideoque omnis corruptio, solutio est: atqui anima nostra non est quid compositum, sed simplex spiritus. Ergo. Maiorem ne vel ipsi Epicurei negare possunt; cùm nullum corpus ita simplex admittant: neque est, quòd radium solum obiicias: nam quis nescit eum ab illis, & quidquid fingi aliud possit, ex multis corpusculis contexi? Ma. verò probatur ex eo quòd cum sint duo entium genera, vnum spirituale, quod simplex & vniforme est: alterum corporeum, quod compositum & variabile; certum est animam nostram priori similem esse, atque cognatam, vt ex intelligendi eminentia constat; Deum enim cognoscit eiusque sempiterna mysteria & ideas, vnde sic licebit argumentari. Quod est cognatum & quodammodo continuatum enti æterno, simplici, & incommutabile, debet esse *aliquid omnino indissolubile, vel propinquum enti omnino indissolubili.* (Hæc sunt verba Platonis volentis indicare animas nostras non esse omnino incommutabiles, aut simplices, sicut Deum, & diuina, sed modo quodam imperfectiori.) Atqui anima nostra est eiusmodi: ergo: sed ipsum audiamus. *Nam & hoc*, inquit Plato, *euenire in superioribus dicebamus vt cùm anima ad aliquid considerandum socium sibi corpus assumit, vel per visum, vel alium sensum . . . . tunc quidem à corpore trahatur ad ea, quæ nunquam eodem modo sunt, atque ipsa aberret, perturbeturque, &c. At verò, quoties ipse animus per seipsum excogitat, illuc se confert ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habens: & tanquam ipsius cognatus semper inhæret ipsi, quoties redierit in seipsum, eique liceat: cessetque ab errore, & circa illa semper secundum eadem, eodem modo se habet: vtpote qui iam talia attigerit, &c.* aliam item similitudinis rationem affert his verbis: *Quandiu in eodem sunt anima & corpus, hoc quidem seruire, atque subesse natura iubet: hanc vero præesse, at-*

qu

que dominari. Secundum hæc rursus vtrum tibi videtur simile esse diuino, vtrum mortali? an non putas diuinum quidem tale esse natura, vt præsit, & ducat: mortale verò, vt subijciatur ac seruiat? &c. Animaduerte iam o Cebes, cum hæc ex omnibus quæ dicta sunt, consequantur: videlicet ipsi diuino, immortali, intelligibili, vniformi, indissolubili, semper eodem modo & secundum eadem seipsum habenti, animam esse simillimam: humano verò, mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili, &c. simillimum esse corpus. Hinc infert corpore in cineres redeunte, animam ad Deum euolare, &c. Hanc rationem Cic. 2. Tuscul. copiosè admodum prosequitur. Quamobrem bene nouit Plato, vt ait Lactantius, *fieri non posse, quin sit immortalis animus humanus, cuius miranda solertia inueniendi, & celeritas cogitandi, & facilitas percipiendi, atque discendi; & memoria præteritorum, & prouidentia futurorum, & artium plerumque innumerabilium scientia, qua cæteræ careant animantes, diuina & cælestis appareat: quia & origo animi, qui tanta capiat, tanta contineat, nulla reperiatur in terra: siquidem ex concretione terrena nihil habeat admistum; sed necesse esse in terram resolui, quod est in homine ponderosum & dissolubile: quod autem tenue, atque subtile, id verò esse indiuiduum, ac domicilio corporis velut carcere liberatum, ad cælum, & ad naturam suam peruolare. Hæc fere Platonis collecta breuiter, quæ apud ipsum latè, copioseque explicantur.* Hactenus Lactantius 7. lib. de præm. diu. cap. 8. post hæc nihil restat nisi vt illud Sap. 2. adiungamus: *Deus fecit hominem inexterminabilem: ad imaginem suæ similitudinis fecit illum:* vocat autem hic animam hominem. Hinc recte Claud. Mamert. *de vero homine*, inquit, *hoc est de hominis anima quærimus: non est hæc æqualis Deo, sed similis: vtique similis, quantum incorporea incorporeo; inferior, quantum creata Creatori: similis, quantum intellectualis lux luci intelligibili: quantum mutabilis creatura, immutabili Creatori dissimilis. Aliud namque est veritas, aliud imago veritatis, &c.* lib. 2. de statu animæ. *7. l. de diu. præm. c. 8.*

Ex his possumus sequentes demonstrationes contexere. *Prima*, omnes naturæ, quæ iisdem principiis constant, & ad eadem obiecta referuntur, eandem quoque habent essendi conditionē: sicut omnes oculi quorumcumque animalium. Atqui anima nostra iisdem constat principiis, eademque obiecta percipit, ac Mentes abstractæ, quæ sine dubio sunt immortales. Ergo, &c. Mi. patet, quia summum quod illis intelligentiis potest competere, est quod intelligendi principium habeant, quòd Deum, ideas, vniuersales, & abstractas rerum rationes percipere possint. At hæc conueniunt animo rationali, licet minus perfectè. Ergo, &c.

Secunda, id quod tam in cognoscendi, prouidendi, & reminiscendi nobilitate, quam in potestate dominandi super corpus, eiusque functiones dirigendi, moderandi, ac prohibendi perfectam gerit Dei participationem, & imaginem, debet eum quoque proximè imitari in essendi simplicitate, perfectione, atque independentia à corpore: sed anima nostra est eiusmodi. Ergo.

Tertia, quod eſt cognatum, affine, & connexum rationibus æternis incorporeis, & ſimpliciſſimis, debet eſſe incorporeum, &c. ſed anima noſtra eſt eiuſmodi: tum quia inter potentiam cognoſcentem, & obiectum ſemper debet maxima ſimilitudo, necnon ſympathia, & commenſuratio intercedere: vnde cognitio cognatio dicitur: tum quia potentia debet informari ab obiecto vel per propriam eius naturam, vel per eius ſimilitudinem formalem: tum denique quia vt non poteſt anima corporum qualitates modo corporeo percipere, niſi quatenus organo corporeo affecta eſt, ita non poteſt immaterialium abſtractiones modo incorporeo fingere, niſi prout à corpore exempta eſt.

Quarta, quod habet modum cognoſcendi oppoſitum modo potentiarum corporearum, non eſt corporeum: ſed anima habet modum cognoſcendi eiuſmodi: etenim potentia corporea operatur vergens ad exteriora, & à vehementi obiecto læditur, ad exteriorum permutationem fluctuat, & perturbatur: Anima verò dum intelligit intrò ſe reuocat, à ſenſualibus omnibus ſe retrahit: in quiete apud ſe, & in ſe videt ea quæ nec ſub ſenſus cadere, neque in exterioribus apparere poſſunt: nullius obiecti magnitudine læditur, &c. vt ait *Ariſtot. lib. 3. de anima cap. 4.*

Quinta, quod perficitur per ſegregationem à corpore, non eſt corporeum: ſed anima noſtra perficitur per ſegregationem à corpore. Ergo, Mai. probatur, quia vnumquodque perficitur per acceſſum ad principium, ex quo conſtat. Ergo à contrario, quod perficitur per ſegregationem à corpore, non conſtat corpore: vt enim ea quæ aliquo tẽperamento conſtant, eò deſtruuntur, quòd illo priuentur. v. g. quorum conſtitutio tota terrena eſt, ea tantum à naturali ſua perfectione degenerant, quantùm ab eiuſmodi concretione recedunt: Ita, &c. Mi. patet multis modis; *primo*, quia mens noſtra ſpeculando perficitur: ſpeculatio autem prædictam à corpore ſegregationem exigit: vnde Philoſophia, mortis imago à Platone eſt appellata. *Secundo*, quia non contemplatione ſolùm perficitur anima, ſed & virtutum exercitiis, quæ corporis vt plurimum voluptates, & perfectiones expugnant: ſecus in formis reliquis naturalibus exprimitur: quia merè corporeæ ſunt, ideo illarum perfectio, & excellentia pendent à corporis viribus, & abundante curatione. Contrarium autem fit in nobis; qui volunt excolere animum, neceſſe eſt, vt attenuent corpus: qui verò curando corpori, vt pecudes vacant, ij etiam animum degeneri corruptela in quandam feritatem deiiciunt.

Sexta, quod ab incorporeis immediatè, per ſe, ac naturaliter perfici exigit, id incorporeum ſit, oportet: etenim perfectibile cum proprio, & connaturali perfectiuo eiuſdem debet eſſe ordinis, ac ſub eodem gradu entis. Sed anima per ſe ſic exigit perfici ab incorporeis, nempe ab vniuerſalibus, à Deo, ab ideis, &c.

Septima, quod perficitur per actus incorporeos, & immateriales, id immateriale eſt, indiuiſibile, & incorruptibile. Sed anima eſt eiuſ-

modi. *Primo*, enim quot elicit actus intellectus, qui nullo modo sub corporis facultatem venire queunt, vt actus credendi, opinandi, discernendi spiritualia à corporeis, iudicandi de rebus abstractis, de mathematicis, de Deo, de intelligentiis, de veritate, & essentiis rerum maximè incorporearum, vt ipsius boni, ipsius pulchri, &c. *Secundo*, in voluntate, quot actus eiusmodi? nimirum charitatis erga Deum, Religionis, timoris, spei, &c. merito ergo Plato dixit in Theætheto multa intelligi à nobis, quæ sine instrumento corporeo cognosci per se exigunt: est igitur incorporea, & consequenter immortalis.

QVINTVM ARGVMENTVM est eiusmodi: quod à seipso se mouet, id sempiternum est; sed anima est eiusmodi: Ergo. Hoc petitur ex 10. de Leg. verùm à multis carpitur. Sed nihilominùs à Cic. sic probatur: *Solùm quod seipsum mouet, quia nunquam deseritur à se, nunquam ne moueri quidem desinit: quin etiam cæteris, quæ mouentur, hic fons, hoc principium est mouendi. Principij autem nulla est origo, nam ex principio oriuntur omnia ..... quòd si nunquam oritur, ne occidit quidem vnquam, &c.* Simile quid vrget S. Athanasius sic: *si anima corpus mouet, nec ab alio mouetur; consequens est ipsam à se moueri, & postquam corpus terra inhumatum est, ipsam rursus à se ipsa moueri. Non enim anima est, quæ moritur: sed ob eius discessum corpus moritur: si igitur illa à corpore moueretur, consequens esset, discedente motore ipsam mori: quod si anima mouet corpus, multò magis necessum est sibi seipsam motricem esse: & quia à se mouetur, necessarium est eam post mortem corporis viuere, ac superstitem esse.* At S. August. negat animam à se esse, aut à se moueri, sed à Deo: Fatetur tamen eandem sua se voluntate mouere; sed hanc voluntatem à Deo illi esse priùs traditam. Neque inde multùm abludit Plato, cùm in 10. de Legib. postquam dixisset primum omnium motuum, atque antiquissimum, & potentissimum eum esse, quo quid seipsum mouet, quippe à quo pendeant reliqui, exponens postea quis ille sit, enumerat *velle, considerare, curare, consultare, &c.* vt suprà diximus: vnde sequentes demonstrationes possumus edere. 1. Tuscul. Orat. cont. idol.

Prima est huiusmodi: quod habet in se, & ex se sufficiens principium sese mouendi, suam item in se, ac ex se vitã possidet: quid enim vita nisi motus eiusmodi? quod autem tale est, nunquam desinit viuere: quia nunquam deseritur à seipso, atqui anima talis est: etenim ea nõn mouet corpus, nisi efficacitate ipsius motus, quo ipsa se priùs mouet: v. g. non mouetur corpus ad locum nisi prius anima velit moueri: nec videt oculus, nisi anima velit hunc applicare obiecto, &c. Ita motus corporis nihil est aliud, quam quædam resultantia & sequela prioris operationis, ac motus, quo priùs seipsa mouet: Ergo anima se sola se mouet, id est independenter à corpore, supposito nimirum influxu primæ causæ. Ergo in genere causæ creatæ sibi suum est per se, ac sufficiens operandi, & consequenter viuendi principium.

Secunda: cui per se conuenit motus antecedenter & independenter à corpore, id per se subsistens est independenter à corpore, quia subsistere

prius est, quam operari: ergo dissoluto corpore non perit: sed anima est eiusmodi. Ergo.

Tertia, cui primus, antiquissimus & potentissimus motus, præcisè soli & quatenus ipsum, conuenit, id non habet in corporibus contrarium vllum, à quo destrui queat: sed animę is conuenit. Ergo.

Quarta, cuius actio est causa omnium corporearum actionum, & illis toto genere nobilior, & excelsior, id nulla corporea actione destrui potest: sed motus primus, quo anima se mouet est eiusmodi actio; est enim motus intellectualis, independens à loco, à tempore, & à materia: cum enim omnis actio corporea ad his essentialiter pendeat, & ab alia priori animæ operatione necessariò dirigatur, & ortum ducat: necesse est hanc ab his eximi, & consequenter esse altioris cuiusdam ordinis: alioquin hæc esset & corporea, vti reliquæ: nec posset esse prima motio: sed priorem supponeret, idque in infinitum, &c. Ergo.

Quinta, quod positis omnibus influxibus omnium causarum corporalium, habet potestatem se determinandi ad propriam suam actionem, vel ad eius oppositum, habet principium operandi superius omni agente corporeo, & independens ab omni eius actione: quod autem tale est, nulla vi corporeorum agentium, neque cælestium, neque elementarium dissolui potest: at anima est eiusmodi. Hoc autem est propriè se mouere: ideo propriè bruta non se mouent, neque se agunt, sed aguntur, &c. Astris non dominantur: sed seruiunt: non curant, non considerant, non deliberant, non metiuntur media ex finibus, neque conferunt: neque per æternitatem simplici intelligentiæ motu excurrunt: eam nec actu elicito expetunt: neque in seipsis pro solo nutu sine vllo corporum occursu in se cogitationes reflectunt, &c. Sunt enim hæ animorum propriæ motiones, quæ vim omnem astrorum, & quarumlibet causarum corporalium effugiunt, excedunt, superantque: ipsisque intelligentiis omni adspectabili mundo superioribus conueniunt. Inde scitum est illud Ciceronis de Socrate in lib. de Fato, qui cùm naturâ bardus, & libidinosus à Physiognomo notaretur, talem se futurum confessus est, nisi Philosophiæ præceptis didicisset corpori, atque astris omnibus dominari. Hoc ergo est propriè se mouere, & quidquid hoc modo se mouet, absolutam & perfectam rationem animæ habet; estque immortale: quidquid secus, id certè neque est, neque nomen animæ meretur, nisi secundum quid, diminutè, ac per modum inadæquatæ participationis, vti dicemus infra de animis brutorum.

Concludo hanc rationem hisce præclarissimis verbis Claudiani Mamerti; *In Phædro*, inquit, *Plato de anima sic nunciat: anima, inquit, immortalis est, quæ semper à seipsa mouetur: & alijs causa motus est; corpus autem per se non mouetur. Non aut, tantum mouet alia, sed alijs causa motus est: animaduertens equidem vir excellentis ingenij fore nonnullas quibus sit moueri proprium, vt sunt lapides, &c. Quidquid enim voluntariè mouetur, per se sibi causa motus est: quod autem mouetur vel nesciens vel inuitum vel nescientem, vel cogentem, causas motus habet:* subdit autē illico *prin-*

cipalem motionum cardinem in Deo esse. Quoniam idipsum à Deo illi est, vt sponte moueatur, &c.

Sextvm argvmentvm est quod in 10. de Rep. pluribus explicat; potestque sic breuiter contrahi; quod corruptibile est, tandem à proprio suo malo corrumpatur, necesse est, quod si eo corrumpi non potest, signum est manifestum istud corruptibile non esse: atqui anima non corrumpitur à proprio suo malo, quantumuis excedente: quandoquidem proprium eius malum, est vitium; eo autem tametsi summo, quis vnquam animus extinctus est?

Septimvm ducitur ex infinita propemodum capacitate animi, cùm in cognoscendo, tum vel maximè in appetendo, corporum enim vires omnes angustis terminis limitantur: neque enim à finita molecula, quidquam immensi prodire potest. Sat est si iuxta determinatam corpusculorum mensuram effluxus inde promanantes temperentur: animorum verò vis qualis & quanta? quacunque mole proposita, an non poterit in immensum maiorem cogitare? nullum tam amplum numerum poteris meminisse; quin maiorem fingere valeat: nec tot mundos multiplicare, quin possit plures: ita quolibet audito bono, sublimius adhuc concipit; quid denique memorem ipsam memoriam, & eam infinitam rerum innumerabilium? vt vero in cognoscendo nullus est finis: nullus est quoque in appetendo. Formæ corporeæ, si quid appetant, eo possesso satiantur; visus lumine, auditus sonis, &c. Sed nulla re corporea satiatur appetitus humanus: allici semper aliunde se sentit, quam ab iis quæ extra se sentit. Immensum nimirum est aliquod bonum, quod nullo sensu percipi potest, à quo tamen arcanis illecebris cor supra omne sensibile bonum rapitur, & effertur. Hinc amor æternitatis, & deiformitatis; itemque beatitudinis purissimæ, plenissimæ, sempiternæ, necnon consortij beatarum & abstractarum mentium, adeoque Dei Optimi Maximi: amor inquam eiusmodi arcano instinctu in corde itidem subnascens, nedum ab obiecto vllo externo, & præse intellectus, sed vel absentis ac futuri boni apprehensione, vel à præsenti aliquo bono, sed sensum omnem superante, & sine vlla sensione percepto, atque gustato proritatus, quid aliud quam naturam æternitatis affinem, & incorpoream arguit? belluæ nihil tale possunt appetere, semper quidem appetunt viuere: sed non appetunt viuere semper: hoc est, quandiu viuunt, viuere appetunt, & refugiunt mori, præsentis scilicet vitæ dulcedine, quam experiuntur, delinitæ, aut dolore mortem anteuertente prouocatæ; sed non cupiunt vitam protogare per totam æternitatem, quam vtique præuidere non possunt: neque futuram vitam inquirunt, neque aliam præsente puriorem, &c. Sed finitus earum appetitus tantulâ præsentis boni sensibilis perceptione saturatur; secus appetitus hominis, quippe immensus, &c.

Octavvm denique argumentum idem Plato nobis in Phædone suggerit. Finitis enim reliquis demonstrationibus, tandem subdit. *Graue periculum fore putandum est, si quis neglexerit animam: si enim mors totius*

dissolutio esset, nimirum improbi lucrarentur, cùm & à corpore, & ab eorum prauitate cum anima liberarentur: nunc autem cùm anima immortalis appareat, nulla superest malorum declinatio, nulla salus, nisi vt optima, & prudentissima fiat, &c. q. d. nisi sperare debeamus immortalitatem, pessimè humano generi prospectum fuisse, quatenùs soli nefarij homines, & impij fœlices censendi essent, quia soli fermè præsentis vitæ commodis potiuntur. dum probi ab iis vel ob virtutem abstinent: vel malorum circumuentione ablactantur. Id verò minimè obuenturum, si anima sit immortalis, &c. quia continget *quemlibet hinc emigrantem ab eo dæmone, quem viuens sortitus fuerat, in locum quendam duci, vbi oporteat omnes vna collectos iudicari*: vt nimirum quisque prout in vita meruerit, iustum vel æternæ felicitatis præmium, vel punitionis supplicium referat, &c.

Huc adde illud S. Chrysostomi: *Si nihil post hanc vitam est: neque Deus erit.* Cur? Quia *si Deus est, iustus est, si iustus est, iuxta merita vnicuique distribuit: si autem nihil est post hanc vitam, vbi nam accipiunt singuli pro meritis suis*? sed nunquid in hac vita? haudquaquam: *Multi enim*, inquit, *in hac vita bene habent, & in honore habentur, licet mali, alij affliguntur, licet iustè viuant. Si igitur posthac nihil est, emigrabunt iusti afflicti iniuria: & iniusti immeritò fœlicitate potiti.* At, inquies, fortè cum Scoto; rationem hanc fundamento admodum dubio nixam esse, quòd scilicet Deus naturaliter agnoscatur bonorum remunerator, & vindex malorum: nam & hoc impij negant, *qui nescierunt sacramenta Dei, nec mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum.* Ideo fidei meritum est, non rationis elenchus, quòd accedentes ad Deum credant, *quòd Deus est, & inquirentibus eum remunerator est.*

Serm. 4 de Prouident. siue de fato.

Sap. 2.

Hebr. 11.

Contrà primò, antiqui Philosophi hac ratiocinatione vsi sunt: ergo vel sola ratio demonstrat Deum esse vindicem malorum, & remuneratorem bonorum. Ant. patet ex Orpheo, & Speusippo & Apuleio, qui non aliunde persuasi sunt animos corrupto corpore permansuros.

Contrà secundo: Ratio superior supponit agnitionem Dei: eosque vrget maximè, qui iam, quid Deus sit, quantum humana potest intelligentia naturaliter ex insitis & primigeniis anticipationibus demonstrare, cognouerunt. Atqui nemo est, qui Deum esse hoc modo comprehenderit, & hunc malorum esse vindicem neget; omnibus ipse iustitiæ suæ sensum nulla obliuione delendum, nullaque iniquitate vincendum inseruit: vnde ista est atheorum apud Cic. exclamatio aduersus eos, qui Deum adstruebant: *Imposuistis in ceruicibus nostris sempiternum dominũ, quem dies, & noctes timeremus: quis enim non timeat omnia prouidentem, & cogitantem; & animaduertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & plenum negotij Deum?* Ad hæc naturaliter demonstrari potest Deum esse, ac moderari vniuersa; esseque omnium Dominum, æquum iudicem, cũ & vel inter Ethnicos Philosophos perpauci sint, qui talem eum non agnouerint: si verò secus aliqui sensisse legantur, excessum impietatis hoc arguit, non defectum demonstrationis. Nam sæpe

l. 1. de nat. deor.

animus vitiorum suorum granditate sic obcæcatur, vt quidquid est lucis naturalis, extinguat. Hinc Hierocles Pythagoreus: *Non vult*, inquit, *impius animam suam immortalem, ne ad conspectum illius iudicis æqui pœnis torquendus adueniat. Itaque seipsum morte potius condemnat*, apud Eugub. Steucum l.9. de peren. Phil. c.32. Quare cum de vero aliquo demonstrabili agitur, non quid proteruientes respondeant, sed quousque ratio sana consentiat, videndum est: alioquin ad Scepticorum, & Pyrrhoniorum incertitudinem redigenda essent omnia: quia nulla vnquam adducta demonstratio est, de qua non extiterit quis, qui dubitarit. His ita cõstitutis audenter pronuncio tam veras, tamque efficaces demonstrationes esse eas, quas hactenus adduximus, vt firmiores in vniuersa Philosophia non sint vllæ.

Ex his omnibus patet animam esse substantiam incorpoream, & per se subsistentem: nam quæcumque probant eam esse immortalem, talem quoque esse demonstrant, & vtrumque de fide est. Ideo in Concil. 6. Constant. actione 11. dicitur, quòd *Verbum diuinum assumpsit carnem & animam rationalem, atque incorpoream.* Quod etiam in Concil Lugdunens. reperitur: item in Conc. Later. 4. c.1. *Natura humana constituitur ex corpore & spiritu, &c.* Nihil quoque solemnius est in sacra scriptura, quam quòd anima nostra vocetur spiritus, eoque nomine à corpore distinguatur: vt cum Lucæ 24. legitur, *Spiritus carnem & ossa non habet.* Ideo S. Augustinus Tertullianum exagitat, quòd animam corpus esse crediderit. *Nec mirum*, inquit S. Aug. *hunc errorem eum habuisse, qui in tantum errauit, vt assereret etiam ipsum Deum esse corporeum.* Nimirum nihil posse per se subsistere crediderit nisi corpus. Ideoque omnem substantiam reuera consistentem corpoream facit.

l.1. sup. gen. c.25. & ep. 157.

Dice.: contrarium olim fuisse definitum in Synodo septima generali, vbi Ioan. Thessalon. Episcopus præsidens pronunciauit hæc verba: *De Angelis & Archangelis, & eorum potestatibus quibus & nostras animas adiungo, ipsa Catholica Ecclesia sic sentit: esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes & inuisibiles: verùm tenui corpore præditas, & aërio, siue igneo*: & infrà, *nemo vel Angelos, vel dæmonas, vel animas dixerit incorporeas.* Idem quoque sensisse leguntur plures alij SS. Patres, & reuera non dixisset Ioannes ille, sic sentire Catholicam Ecclesiam, nisi alios bene plures eadem secum persuasione teneri cognouisset. Denique non est fide definitum, quod Angeli sint incorporei: ergo neque quòd anima.

S. Athanas. S. Basil. S. Damasc. S. Methed. S. Hieron.

R. Multa hic esse adnotanda; *primò*, non fuisse tunc præcipuè quæstionem de Angelorum, vel animarum substantia: sed solùm de illorum imaginibus aduersus Iconoclastas defendendis. Has enim hæretici coli sine crimine idololatriæ posse negabant: secus piè coli eas oportere, vt nũc facimus, orthodoxi Patres definiere. Hoc solùm Thessalonis. Episcopus intendebat: hoc Patres vniuersi: quod insuper addidit Angelos & animas corpore circumuestiri; idque sentire Catholicam Ecclesiam, ex suo addidit, non ex Concilij sensu: ideo decipi eum in eo potuisse ni-

hil vetat, & reuera deceptus est: an verò ita senserint SS. Patres, dicemus infra.

Quoad illud verò de Angelis, R. 1. etsi definitum non sit eos esse incorporeos, tamen id modo cõmuniter in Ecclesia Catholica propugnari: ideoq; non posse contrarium sine temeritate defendi. R. 2. non item esse de Angelis, ac de anima rationali: quia sacra Scriptura, Concilia, & SS Patres, clarè id de anima definiunt: de Angelis verò, haud quidquam certi determinant.

§. 3.

Soluuntur argumenta opposita.

ADVERSVS supradicta obiici nonnulla possunt, sed quæ reuera nullius sunt roboris.

Ex Sacra Scriptura primum potest adduci quod dicitur Sap. 2. *Fumus enim afflatus est vita nostra, & spiritus diffunditur, quasi mollis aer.* Secundò, Eccles. 3. *Vnus est interitus hominis, & iumentorum, &c.* Tertiò, Iob. 14. *Homo cum emortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, vbi quæso est? &c.* Quartò, 1. ad Timoth. 6. Deus dicitur solus habere immortalitatem. Quintò, in Concil. Constantin. Act. 11. definitur inuisibilia & intellectualia non habere naturam immortalem, sed per gratiam solum à morte coerceri. R. ad primum, ea esse verba impiorum quos sapiens loquentes inducit, vt constat ex illo exordio, quod initio cap. præponit: *dixerunt enim cogitantes apud se non rectè.* Et concludit sic: *Hæc cogitauerunt. & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum: & nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ: nec indicauerunt honorem animarum sanctarum. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, &c.* Hinc etiam R. ad secundum similiter, quod scilicet Ecclesiastes referat verba quæ solent impij effutire: vel certè de vita præsenti, eiusque deliciis, necnon de fœlicitate loquitur, qualem viri voluptuarij & belluini solùm æstimant, & perquirunt: quæ tota æquè mortè hominis, ac bruti euanescit. Ad 3. Resp. quod homo mortuus nusquam est secundum totum suppositum: vbi verò quoad animam ignoratur. Denique solùm admonet Iob vitam istam præsentem sicut aquam fluuij præterlabi: nec ampliùs vitæ restitutum iri, nisi cum sæculi consummatio fiet. Ad 4. Resp. quod solus Deus habet ex essentia sua, atque imparticipatè immortalitatẽ: Anima verò à Deo, liberè ac participate, eam recipit, & quasi precariò ex libero Dei beneplacito sine fine conseruat: quod beneplacitum à Concilio per gratiam intelligi haud indubiè debet.

Secundò, Ex Epicureis & Democriticis, Lucretius 27. obiectiones excerpsit, quas habes fusè relatas apud Petrum Gassendi: sed nullo fundamento innixas: præcipuas hoc vno complectar syllogismo: quod patitur

tur affectiones corporis, est corporeum: ergo solubile: sed mens nostra patitur affectiones corporis. Habet enim senium in decrepitis & pueritiam in infantibus. Læsis item organis vis intelligendi læditur dementia, puerilitate, obliuione, stupore, ab his quoque medicinis curatur: corporeo nexu materiæ tenetur alligata; pendet à tẽperamento sensibili: efflatur ore, ceu aura prætenuis: idem ac corpus initium habet, & quemadmodum ab eo pendet vt sit: ita quoque necesse est ab eo illam pendere, vt conseruetur. Ergo, &c. Resp. negando Min. ad probationem dico, iis hoc solùm effici, quod anima sit forma corporis ad conflandum hominem ordinata, qui vt neque sentire, neque vegetari sine anima: sic neque mente vti nunc potest sine corpore. Quare duo hinc inferuntur verissima; *primum*, quod intelligendi functio quoad vsum pendeat à corpore, quatenus ob sympathiam mentis ad phantasiam, mutuo sese illæ ad operandum prouocant: neque mens quidquam, nisi à phantasia excitata, cogitare; neque euagari, aut ligari phanthasia valet, nisi menti occasionem simile quid patiendi apponat, ideo læsis, vel reparatis organis corporeis, inordinatè, vel rectè suas animus functiones exercet. *Secundum*, quod infertur est, quòd vnio animæ cum corpore pendeat à temperie corporis, at non anima ipsa; neque efflatur instar auræ; sed solum tunc corpus deserit, quando vltimum è corde suspirium trahitur: & licet tunc solum esse incipiat, quando incipit informare: non tamen pendet à corpore, vt simpliciter sit; sed quia ipsa est solum propter compositum, speciemque naturæ rationalis, ideo non debuit priùs creari, nec aliter, quam formatio talis, aut talis corporis postulat.

Tertiò, possumus ista opponere. *Primum*, inter formam & materiam debet esse proportio, ita vt in vnum aliquid valeant consociari: sed inter merum spiritum, & materiam nulla est eiusmodi proportio. Ergo. *Confirmatur*, quia suprà diximus perfectibile & perfectiuum esse semper eiusdem ordinis, & si quod perficit spirituale sit, tale quoque necessariò esse quod perficitur. Ergo corpus non potest perfici, neque informari à spiritu.

Secundum, de essentiæ omnis formæ est, vt sit in subiecto formabili, cum quo faciat vnum tertium: sed anima est forma hominis. Ergo. Ma. probatur, quia forma est essentialiter id quo totum existit: imo est ipsa ratio, ac species totius ex Arist. vt diximus in Phys. c. 7. Ergo non potest corrumpi totum, quin ipsa pereat. *Confirmatur*, quia forma omnis est propter compositum. Ergo destructo composito, ipsa superflua est.

Tertium, quod per se informans est, id neque per se, neque per accidens potest opposito informationis subiacere, sicuti supra diximus id quod est per se viuens, non posse vllo modo obnoxium esse vitæ opposito, scilicet morti, sed omnis forma est per se informans. Ergo. *Confirmatur*, quia si natura rationalis animæ sit informare: ergo contra naturam eius erit, separatam existere. Cui autem contra naturam est per-

manere, id sane secundum naturam perire exigit, &c.

Quartum, natura sensitiua est per se corruptibilis, sed anima est natura sensitiua. Ergo.

Quintum, Anima nequit esse sine operatione, sed operari non potest sine phantasia Ergo.

Resp. ad primum, negando Mi. Anima enim nostra continet eminenter omnes proportiones formarum corporalium: aliunde materia per organizationem illam admirabilem, qua Deo auctore præparatur, ad debitam proportionem eleuatur; paucis, solum, requiritur proportio actus formalis ad potentiam passiuam, hanc autem non repugnat esse inter spiritum & corpus; cum vt corpori, patiendi potentia; sic spiritui, potissimum actuandi, formandi, ac mouendi energia conueniat. In eoque potissimum elucet mirabilis ars conditoris, vt naturas à Deo dispares, corpoream scilicet, ac intellectualem in vnam speciem coalescere fecerit: vnamque ex extremis oppositis, quasi harmoniam concinnarit. *Ad Confirm.* Resp. aliqua posse dici eiusdem ordinis duplici ratione: *primò*, quia mutuo ad se referuntur: & sic anima & corpus eiusdem ordinis sunt. *Secundò*, quia sunt in eodem genere abstractionis; & sic se habent potentia, & obiecta, vt patet inductione: non verò forma & materia, saltem necessariò, ac semper: disparitas est quia potentia perficitur ab obiecto, secundum quòd illi cognata est: materia verò à forma, vt turpe à pulchro, &c.

Ad secundum Resp. de essentia formæ vt sic, esse vt sit in subiecto formabili, actu vel potestate. Ideo destructo composito superflua non est; præsertim si sit per se capax operandi, & sic confirmationi occurritur.

Ad tertium, maiorem veram esse de eo quod per se solum est informans actu: aut cui ex natura conuenit actus informandi, tanquam adæquatus actus essentiæ: falsam verò de eo quod ex natura solum aptitudine informandi officium sibi vindicat. At talis est anima rationalis; ideo negatur prima consequentia subiectæ confirmationis.

Ad quartum Resp. naturam sensitiuam prout eminenter continetur in anima rationali, solum esse corpoream virtute, ac eminenter.

Ad quintum Resp. negando Mi. vt constabit inferiùs.

CAPVT III.

DE ANIMÆ RATIONALIS origine.

§. I.

Errores veterum notantur.

PRIMVS error fuit eorum, qui animam essentia incommutabilem, & æternam dixere: eiusmodi certe ipse Aristoteles voluit esse intellectum Agentem, cum velit esse purissimum actum, ita vt eius operatio sit ipsissima eius natura, & essentia, vt patet ex 3. de Anima.

Secundus eorum, qui creatam à Deo; sed ab initio mundi: omnesque simul incepisse. Ita censuisse videtur Plato, idque postea euidenter docuit Origenes, & quotquot sequentes sententias professi sunt. Interim quod Plato voluerit animas intellectiuas esse à Deo creatas patet euidenter ex Timæo, vbi tametsi Pythagoreis symbolis, ac Poëtico lepore vsus; euidenter nihilominus ait quod Deus *animam* mundi *procreauit*: quodque secundis causis concurrentibus ad corporis humani formationem, ipse solus animam suppeditet. Hinc Plutarch. 1. de Plac. Phil. ait quod Plato facit *animam non Deum, sed opus æterni Dei.*

Tertius eorum, qui dixerunt animas è cœlo in corpora nostra modo demitti, ob peccatum sc. aliquod ab iis in cœlo patratum, veluti si cœlestis beatitudinis nauseâ terrenarum voluptatum desiderio exarsissent. Id multi ex antiquis hæreticis tenuere vt Origenes, Priscillianistæ, Barulitani, &c. Interim Aug. Steucus Eugub. nobis author est hanc persuasionem inter Græcos increbuisse quòd à Chaldæis didicissent hominem ob præuaricationem è paradiso deiectum fuisse: famamque antiquam fuisse ob magna quædam peccata viuere homines in corpore. Ita peccati originalis nonnihil præcalluere: vnde tam sæpe corruptos à natura homines ij conquerebantur: quamquam nec desunt textus Platonis, quibus clarè doceat à Deo animas in corpora inspergi, seu infundi, non has sponte à Deo sese distrahere amore corporum: sic enim ait in Timæo: *fusis & quasi sparsis à Deo animis per singula singulis congrua temporum instrumenta, fore vt nasceretur animal religiosissimum*, &c. *De Peren. Philos l. 8. c. 1.*

Quartus, dicentium animas è corporibus humanis in belluina, & rursus ex his in illa perpetuo circuitu commigrare. Id ex Pythagoræ schola desumptum, varias apud Platonicos habet interpretationes: sed hic ea sufficiant, quæ diximus in Logica c. 53 §. 1.

Quintus, eorum qui animas ex substantia Dei, quasi scintillas ex igni erupisse. Is error à nonnullis Platoni, Ciceroni, Philoni, aliisque celeberrimis viris adscribitur; sed infrà hi ab hac calumnia vindicabuntur. Interim hæreticos multos ita sensisse constat; cuiusmodi fuere Carpocrates, Manichæi, Dicarticæ, &c. qui omnes docebant animam humanam esse, vel Dei substantiam, vel ex Dei substantia: iique consequenter Deum vti corpus aliquod tenuissimum concipiebant infinitis particulis contextum, instarque lucis immensæ, corporeæ tamen, ac partibilis.

Sextus fuit eorum, qui dixere animas nostras esse particulas animæ mundi. Hic error attribuitur Platoni propterea quòd in Timæo hæc scripserit. *Illius animalis simillimum mundum esse dicamus, cuius animalia cætera, & singulatim, & generatim partes sunt.* Verùm miror quomodo sint aliqui tanto in Platonem odio lymphati, vt omnia eius dicta contrà expressam eius interpretationem semper in peiorem sensum detorqueant: nam quæ sequuntur satis declarant quid senserit. *Volens, itaque*, inquit, *Deus omnium quæ intelligi possunt pulcherrimo & perfectissimo* (scilicet exemplari) *mundum hunc simillimum reddere, animal vnum ipsum effecit adspectabile animalia cuncta natura sua conuenientia intra suũ limitem continens.* Hoc autem adhuc clariùs infrà explicat scribens sic: *Sed quia mundus hic nondum animalia omnia intra suum ambitum continebat, ex ea parte deficiebat ad illud exemplar imaginis huius similitudo, Hoc igitur quod deerat, superni illius exemplo Deus explebat: quot igitur, & quales mens ideas, in eo quod est animal, inspicit, totidem & tales hoc mundo contineri oportere excogitauit.* His itaque Plato diuinus diuinè ac mirabiliter explicuit, quomodo species omnes, numerique animantium in hoc mundo degentium, non ex mera necessitate naturæ, vt voluit Aristoteles, neque casu, vt Democritus; sed voluntate sapientissimi opificis, nempe Dei, qui *pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens*, vt ait Boëtius, formas, ac præsertim animas in materia procreat æternis suis ideis assimiles, *Similique ab imagine format*: mundum ergo intelligibilem vocat animal diuinum: Nostrates animantes illius partes sunt, quatenus idearum in illo prælucentium participatione fiunt. Quamobrem nihil aliud Plato voluit nisi animas nostras esse participationes quasdam ideæ, quam Deus habet animarum, quamque αὐτοψυχὴν vocat, fontemque animarum, seu vt Procli vtar voce, fontem animalis vitæ in quo animarum omnium origo est. Plotinus idem asserit; & alij quam multi, atque hoc modo sequentia Platonis verba interpretantur. *Hæc præfatus Deus, in eodem rursus cratere, in quo mundi totius animam permiscens temperauerat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit: modo quidem eodem: non tamen perfectas similiter, sed & secundo & tertio gradu à primis deficientes.* Per craterem hunc, inquiunt Plotinus lib. 1. de dubiis animæ, Theodorus Asineus, Proclus, &c. αὐτοψυχὴν, & *ipsammet animarum ideam, in Dei mente sitam, ad cuius imaginem animæ omnes singulares fiunt*, intellexit. Hinc enim animas genere qui-

dem pares, tametsi perfectionis gradu inæquales processisse docuit quatenus tres differentias animarum agnouit, nimirum cœlestium, dæmonicarum & humanarum: vel forte per animas secundo & tertio gradu à primis deficientes intellexit Angelicos & humanos spiritus suis ideis haud suppares, vel animas brutorum & plantarum ab intellectualibus degenerantes. Quidquid sit, simile quid Trismegistus ante illum cecinerat, dum in Pimandro, nomen ac Hieroglyphicum crateris explicans ait eum *esse ipsam diuinam Mentem, in qua cunctorum ideæ collocatæ sunt:* & adhortatur Tatium, vt in illo se cratere contemplando immergat, vt vera Mens fiat cognitionis participatione. Quod verò Plato nihil aliud velit, vel inde manifestissime constat, quòd Deum & animas vsquequaque defendat omnino ac simpliciter indiuisibiles, indissolubiles, spirituales, & summè simplices, &c quales ergo particulas diceret inde posse discindi? Paulò rudiùs scripsisse videntur alij quidam Philosophi, vt Epictetus, Philo, Cicero, &c. Quos tamen sic excusat Augustinus Steucus Eugubinus: *Pergit etiam,* inquit, *Epictetus, vt qui nunquam Christianus fuit, fuisse ob doctrinæ bonitatem videatur: omnia inquit connexa, atque apta inter se sunt: auditoque quasi imperio Dei cuncta parent, cuncta cientur; at animorum, qui eousque sunt connexi, & copulati Deo, ceu sint particulæ eius, & abscissiones, nonne motum ceu proprium & coniunctum sentiet Deus?* tum subdit, *Aduertere commodum est hoc loco, hanc copulationem non esse substantialem, quod ipse quoque dixit Epictetus: sunt enim animi, ut Philo quoque disertissimè aiebat, vsus eodem nomine, ac Epictetus, ἀποσπάσματα abscissiones quædam & auulsiones ex Deo. Dico autem abscissiones, non substantiales. sed quales innuit Moses, afflatus, aspirationes, emissiones à seipso occultæ. Quod alio clariore nomine Philo declarat ἀπαυγάσματα scintillæ, radij ex illa luce diuina auulsi, & abscissi, separatique. Beneque nouit Trismegistus animos non esse de substantia Dei ad Asclepium. Mens,* inquit, *non est abscissa ex substantia Dei, sed quasi explicata, veluti solis lux.* Hactenus Eugub. Nihilominus quidquid sit de sensu ac mente huiusmodi Philosophorum, fatendum profectò est has loquendi formulas esse omnino vituperandas, & sonare nescioquid erroris & caliginis adhuc in illorum animis adhærescens: quippe quibus nondum plena diuinæ veritatis lux orta fuerat: ideo in illis excusandis haud ita nos decet laborare: solum addiderim huc referri oportere impium Amalrici Dogma, docentis Deum esse ipsammet rerum omnium essentiam ac formam.

SEPTIMVS error fuit dicentium animam propagari cum semine. Id clarè docuit Aristot. lib. 2 de gen. anim. cap. 3. vt suprà diximus. Sed & perdifficilis semper hæc quæstio visa est: de hac enim audi, quid S. Greg. scribat: *Quæstio de origine animæ inter sanctos Patres non parua versata est, sed vtrum ipsa ab Adam descenderit, an certè singulis detur, incertum remansit: eamque insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Grauis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi. Quia si de Adam substantia anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si verò cum carne non* *l. 7. epist. 53. ad Secundinum.*

nascitur: cur in ea carne, quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur?

Epist. 7. 28. 99. 157. &c. At S. Augustinus quantùm in hac discutienda sententia laborauit, quam anceps fuit, quam dubius? testantur id epistolæ, sed præcipuè lib. 7. & 10. super Gen. Anceps eadem de re fuit D. Cyprianus prologo serm. de Natiu. Chr. Anceps Ruffinus, imo magna Orientalium pars vt testatur S. Heronymus epist. 61. Id autem affirmanter asseruit Tertullianus, audacter proferēs animam rationalem per generationem ex traductione, non per creationem ex nihilo prodire, vt testatur S. August. Epist 157 & lib. de hær. c. 86. & 87. qui idem quoque ascribit Luciferianis. Idem quoque recenter Dan. Sennertus Medicus celeberrimus in Academ. Vvittembergensi defendit hyponnemate 4. cap. 10.

§. 2.

Refutatio prædictorum errorum.

CONCLVSIO PRIMA. Abominanda hæresis est dicere quod animæ nostræ ita sint de substantia Dei, vt vel eiusdem sint cum illo naturæ, vel eius portiones. Id ita iam sæpius definitum est ab Ecclesia. Epist. 71. *Quam impietatem*, inquit Leo I. *ex Philosophorum quorundam & Manichæorum opinione manantem, Catholica fides damnat, sciens nullam tam sublimem, tamque præcipuam esse facturam, cui Deus ipse natura sit.* Idem ipse anathemate damnat in Concil. Tolet. cap. 21. Honorius similiter primus in Conc. Bracearensi I. *si quis animas*, inquit, *humanas, vel Angelos ex Dei credit substantia existere, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Communiter SS. Patres inter quos vide præcipuè S. Chrysost. in 2. gen. homil. 13. Iustinum in Colloq. cum Tryph. D. Hieron. epist. 18. Bedam in lib. de mundi cœlest. & terrestr. constitutione. Lactantium de opificio Dei cap. 19. ex quo patebit, quam falsò Ludouicus Viues ipsi errorem contrarium imposuerit, quòd lib. 2. cap. 13. dixerit hæc: *ficto corpore spirauit ei animam de vitali fonte spiritus sui, qui est perennis.* Sed reuerà his nihil aliud vult, quam Deum esse principium efficiens, ac exemplare animæ, cui vitam immortalem & spiritualem afflatu æterni sui Spiritus impertiuit. D. Augustinus etiam sæpissimè talem insaniam aduersus Manichæos insectatur, potissimum, quòd *si anima pars Dei esset, omnino incommutabilis, atque incorruptibilis esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius, &c.* Hinc in 7. lib. in Gen. suggillat Manichæos, quod non trepidarent Dei substantiam tam turpiter commutabilem dicere, vt nullum esset herbæ, seu vermiculi genus, vbi eam non esse permixtam, vel quò reuolui non posset mirabili opinarentur insania: vide D. Thomam 1 p. qu. 90. a. 1. qui adducta ratione S. August. mox ad originem huius erroris transuolat: & duos fontes præcipuè notat, (quidquid contrà dicat Crispus quidam Gallopolitanus, in Platonem plusquam furibundus:) primus fuit error eorum, qui Deum fecere corporeum: Secundus eorum, qui vnicam omnium ani-

mam esse dixere: vtrumque autem impossibile est. Ergo. Error porro iste duxit initium ex illo Gen. 2. *Inspirauit* Deus *in faciem eius spiraculum vitæ*, quasi Deus ex sua substantia illam eructauerit, quemadmodum *homo, dum suflat aliquid, id de seipso eycit in flatu.* Sed Respondet August. *animam sic à Deo tanquam rem, quam fecerit, non tanquam de natura, cuius ipse est, siue genuerit, siue quoquo modo protulerit.* Et paulò pòst subdit: *imo verò ex hoc verbo satis apparet ita non esse, cùm enim anima sufflat, anima itaque ipsa subiacentem sibi naturam corporis mouet, & de illa non de seipsa flatum facit*: at meliùs pòst, *hoc ipsum est sufflare, quod flatum facere, hoc est, animum facere*: quare ille flatus intelligendus est, sicut ille de quo Zachar. 12. *Hæc dicit Dominus extendens Cœlum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.* *l. 7 in gen. c. 2.*

Conclvsio secvnda, animæ nostræ creatæ sunt à Deo immediatè: de fide est, *Credimus* enim *in vnum Deum, visibilium omnium & inuisibilium factorem*, vt fert Symbolum primi Concilij, Nicæni: & in Concil. Tolet. cap. 21. de regulis fidei: *animam hominis creaturam dicimus Dei voluntate creatam*: & communiter SS. Patres docent animas nostras condi ex nihilo, vt videbimus inferiùs. Cæterum D. Thomas 1. p. demonstrat non potuisse animam aliter fieri nisi per creationem, quia cum sit forma per se subsistens, per se quoque fit: at non ex præexistente materia, *neque corporali, quia esset natura corporea: neque spirituali, quia sic substantiæ spirituales inuicem transmutarentur.* Verùm hoc infra paulò diffusiùs examinabitur. Duo textus sacræ Scripturæ supra cit. ex 2. Gen. & 12. Zachariæ id sat manifestè declarant. Prætereа istud eximiè sic probat D. Bonauent. *Animarum creationem*, inquit, *Deus sibi solum debuit reseruare tum propter earum dignitatem, tum propter earum immortalitatem. Propter animarum dignitatem, quia cùm animus sit imago Dei, & nata immediatè ferri in Deum, & beatificari in ipso, diligendo eum ex toto corde, totum suum esse immediatè ab ipso habere debuit, vt ipsum toto corde teneretur diligere. Decuit etiam hoc propter animarum immortalitatem: cùm enim solus Deus sit, qui habeat vitam in semetipso, & vitam indeficientem, solus est, qui potest producere principium vitæ perpetuum.* *qu. 90. a. 1.* *in 2. d. 18. q. 3 a. 2.*

Conclvsio tertia, Animæ non fuerunt omnes simul ab initio creatæ. Imo neque ante corporis formationem: ita vnanimis Ecclesia Catholica sentit: & oppositum omnino proscribit: & quidem quòd non fuerint omnes in cœlo conditæ, ac deinceps propriæ voluntatis nutu, aut in pœnam cōmissi sceleris in corpus demersæ, de fide est: *Si quis*, inquit Synodus quinta Constant. *dicit, aut sentit, hominum animas veluti prius extantes intellectuales mentes, siue naturas, & sanctas virtutes praeextitisse, contemplatione verò diuina exsatiatas, atque in deterius prolapsas, & quod in eis charitas Dei refrixerit, indeque ψυχὰς, id est, animas quasi refrigentes nominatas, & pœnæ gratia in corpora demissas esse, anathema sit, &c.* Idem asseritur in Concil. Bracar. 1. can. 6. & Constantin. 6. 2. 11. &c. ita communiter SS. Patres, & Theologi. Rationes lege apud D. Th. 1. p. sed potissimum apud Sixtum Senensem 5. biblioth. vbi quam plu- *Cl. Strom. 3. & 1. S Aug. l retract. & 12. de ciuit.*

c 26. Tertul. de anim. Epiph. hær. 64 Guil. Paris. l. de vni. p. 2. c. 13. & seq. D Th. 1. p. q. 65. a. 2. &c.

ra ex SS. PP. & præcipue ex S. Cyrillo argumenta collegit: sane dum sacra Scriptura testatur fabrefacto humano corpore spiritum à Deo fuisse continuò inspiratum: & animam in hunc mundum venientem ab eodem Deo illuminari, clarè ostendit, non punitionis causa corpus animari; sed hominis potius formandi gratia: neque beneficium Dei foret humana fæcunditas, neque prolixior vitæ conseruatio, &c. Eccur denique Deus tam admirabilem humani corporis fabricam effinxisset, si non sanctæ animæ domicilium, sed sceleratæ carcer existeret? Quod si amore corporis peccassent animæ, quomodo viuentes in corpore Deo placere potuissent: & cum testatur Plato hinc Deo spargente animas, istinc causis secundis præparantibus corpora, fore vt animal nascatur omnium maximè diuino cultui deditum, quid aliud indicat, nisi quòd non hac incorporatione Deus punire animas delinquentes; sed veros adoratores sibi formare voluerit? &c. vide Guillelmum Parisiensem, qui multis argumentis subtiliter id refellit, quæ vel huc omnia collimant, quod inclinatio animæ ad suum corpus sit naturalis & consequenter à Deo ipsi inserta: ergo eius impletio quoque erit necessariò naturalis, & à Deo per se intenta: at incorporatio ipsa huiusmodi appetitus impletio est: neque appetitus ille peccato, neque incorporatio pœnæ potest imputari.

1. p. de vniu. p. 2. c. 13.

Quod verò animæ non sint quoque ante formationem corporum creatæ, licet non ita manifestè definitum sit in Conciliis, certè non minùs asseueranter à SS. Patribus pronunciatum fuit. Nam Leo Papa sic olim rem istam definiuit: *Omnes eos Catholica fides à corpore suæ vnitatis abscidit, constanter prædicans, atque veraciter, quod animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab vllo incorporātur, nisi ab opifice Deo, qui & ipsarum est Creator, & corporum.* Theodoretus, *Animam,* inquit, *dicimus esse simplicem & ratione præditam, & immortalem, non tamen ante corpus existere.* Magister sent. 2. l. d. 17. *Quidquid de anima primi hominis æstimetur, de alijs certissimè sentiendum est, quod in corpore creentur: creando enim infundit eas Deus, & infundendo creat.* Beda, *Est autem,* inquit, *indubitatæ fidei, nec inde animas nasci, vel creari, vel aliunde adduci, sed similiter cum ipso corpore nasci.* Guillelmus Parisiensis cit. hoc ita probat perfectio naturalis non habet esse, nisi in eo cuius est naturalis perfectio: animas autem vocamus eiusmodi perfectiones: ergo non habent esse naturaliter extra corpora: vide D. Thomam 1 p. q. 90. & Bannesium ibid. Quibus omnibus adde, quòd cum animæ non multiplicentur numero, nisi à corporibus, quibus immerguntur, & proportionantur, vti demonstrauimus in Phys. cap. 8. Necesse est eas vel ex primo suæ creationis momento corporibus coaptari; & cùm Deus creando animam, hominem principaliter intenderit condere, à quo pro rebus omnibus corporeis coleretur, frustra eam tandiu ante creauisset, quam opus, cuius gratiâ ipsa factâ sit, posset existere. Atque hæc sufficiant ad refellendum errorem Origenis, qui asserebat animas initio creatas; & corpora non fuisse condita ex prima Dei intentione, neque proposito

Epist. ad Turibium Asturic. Episc.

l. 5. de decret. diu. cap. de homine.

diuinæ

diuinæ suæ manifestandæ bonitatis, sed solum vt ergastula, & in supplicium animarum, quæ deliquissent: & ad hoc probandum multis abutebatur sacris textibus, vt illo Psal. 65. *Induxisti nos in laqueum*: & 89. *Domine refugium factus es, &c.* & Ier. 28. *Catenas ligneas contriuisti, &c.* idem docuit in lib. περὶ ἀρχῶν. tom. 1. in Ioan. in Ephes. 1. &c. & ob id passim eum apud antiquos SS. Patres refutatum inuenies. *Epiph. lib. 2. Panarij. Theoph. l. 1. Paschal. Hier. ep. ad Pammach. Cyrill lib. in Ioan. Meth Dam. Gregor. Nyssen. &c.*

Conclvsio qvarta, non minus hæreticum, quam ridiculum, & insanum est dicere animas in belluina corpora transmitti. Hoc ita pudendum est, vt nullo sit opus argumento ad id repudiandum præter naturalem horrorem, quo cuiusque animus tam fœda comméta exhorrescit, & vix persuaderi me sinam fuisse aliquos olim, qui hoc vt ore, scriptove testabantur, corde sentirent: & si Marsilio Ficino credere volumus, *Proculus vnà cum communi Platonicorum schola negat intellectualem animam ferino corpori admodum alieno sic accommodari posse, vt ei quandoque in vita communicet: communicare verò cum brutis aliquando putant in quadam similitudine vitæ, idque sensisse Platonem.* Et quidni de tanto viro id crediderim, qui certissimè nō ignorauit proportionem apprimè exactam, quæ corpus inter, & suam formam requiritur, vnde in Phædro docuit non posse in hominem venire animam bruti: quomodo credidisset posse in brutum animam hominis? quid, quòd tam sæpe docet animas exutas corpore, & à Deo iudicatas ad Deum ipsum reuerti, si bonæ; vel in Tartaros deprimi, seu loca putida, & horrenda, si malæ extiterint? tamen recole quæ diximus §. 1. hac de re. Cæterum S. Augustinus in 10. de ciuit. Dei cap. 30. ita scribit, *Hanc sententiam Plato doctor tenuit, Platonis discipulo Porphyrio tamen iure displicuit, in hominum sane, non sua, quæ dimiserant, sed in alia noua corpora humanas animas redire arbitratus est: puduit scilicet illud credere, ne mater fortasse filium in mulam reuoluta vectaret; & non puduit hoc credere, ne reuoluta mater in puellam filio forsitan nuberet.*

§. 3.

Vltimus error de propagatione animarum discutitur.

Triplex sensus potissimum dari potest huiusce animarum ex traduce originis: primus est, quem tangit S. Th. 1. p. q. 90. *Animas hominum præcessisse corpora non secundum actum, sed secundum quandam similitudinem generis, qua anima cum Angelis conueniunt in intellectuali natura.* Secundus est, animas in materia corporali secundū quasdam rationes seminales prælatitare, quemadmodum animas reliquorum viuentium. Tertius est, præcedere rationes seminales animarum nostrarum in materia quadam spiritali, quam Deus initio creauerit, quæque deinceps à parētibus traducatur in filios: vt sic ab anima genitoris traducatur anima geniti sicut caro ex carne: aut vt quemadmodum ab vna candela multæ aliæ accenduntur, sic ab anima vna per sui multiplicationem

absque diminutione viuificentur multa corpora. Primum sensum admittit S. Thomas, nec communis Doctorum opinio improb. b t: Secundum impugnant omnes, quotquot animam rationalem incorpoream adstruunt, inter quos præcipuus est S. Augustinus. In tertio denique ipse hæsit, vixque inde extricare se potuit: en autem quomodo sententiam ipse suam declaret: *Sicut caro, excepto quod iam caro est, in qua natura, vel proficit, vt pulchra; vel deficit, vt deformis sit: habuit etiam materiam, id est, terram, de qua fieret, vt omnino caro esset; sic fortasse potuit & anima antequam ea ipsa natura fieret, quæ anima dicitur, cuius vel pulchritudo virtus, vel deformitas vitium est, habere aliquam materiam pro suo genere spiritalem, quæ nondum esset anima; sicut terra, de qua caro facta est, iam erat aliquid, quamuis non erat caro.* Sed en quanto illico difficultatum turbine agitetur? *Sed enim*, inquit, *iam terra implebat mundi infimam partem, antequam de illa corpus hominis fieret: conferens vniuerso totum suum: vt etiam si nulla ex ea caro fieret animantis cuiusquam, specie tamen sua mundi fabricam, molemque compleret, secundum quam dicitur mundus, cœlum, & terra. At verò illa spiritalis materies, si fuit vlla, vnde anima fieret; vel si est vlla, vnde animæ fiunt, quid ipsa est, quod nomen, quam speciem, quem vsum in rebus conditis tenet? viuit an non? si viuit, quid agit? quid confert vniuersitatis effectibus? beatamne vitam gerit, an miseram, an neutram? viuificat aliquid, an ab hoc etiam opere vacat, & in quodam secreto vniuersitatis ociosa requiescit, sine vigili sensu, motuque vitali? si enim nulla prorsus adhuc vita erat, quomodo esset vita futura quædam incorporea, nec viua materies? aut falsum est, aut minùs latet. Si autem iam viuebat nec beatè, nec miserè, quomodo rationalis erat? Quòd si tunc rationalis facta est, cùm ex illa materie natura humanæ animæ facta est, irrationalis ergo vita, materies erat animæ rationalis, id est, humanæ, &c.* Ita dubietatem exponit suam, nesciens an reuera ex nihilo creetur anima: an verò ex aliqua materia spirituali sobolescat, quę vlterius ex anima Adami promanarit: sicut nostra corpora ex eius corpore pullularunt: & in 10. lib. soluit rationes & authoritates sacras, quæ in vtramque partem adduci possent.

l.7. in gen.

CONCLVSIO QVINTA, Animæ nostræ non fiunt ex traduce. Is est communis Ecclesiæ sensus, à quo sine graui errore, & infandæ temeritatis nota discedere debet nemo; probatur autem ex prioribus, quia si anima creetur ex nihilo tunc quando infunditur, certè non propagatur: atqui creatur hoc modo, vt iam constitit: & expresse docet Clem. *lib. 8. const. Apost. cap* 16. Hieron. *lib. 2. contra Ruffinum, & 2. contra Luciferianos.* Chrysost. *hom.* 23. *sup. 6 Gen.* Damasc. *l. 2. c. 2. de fide Orth. cap.* 12. Greg. Nyss. August. *lib. de Eccles. Dogmat. cap.* 14. *&c.* Ex Scriptura textus hi solent excerpi: Gen. 2. *inspirauit Deus in faciem eius spiraculum vitæ.* Eccles. 12. *Reuertatur puluis ad terram, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum:* 2. Machab. 7. *neque enim spiritum & animam donaui vobis, sed Deus:* Zachar. 12. *fingens spiritum hominis in eo.* Verum Respondet D. Augustinus solùm his probari primam animam immediatè à Deo produisse, cæteras verò ab eodem mediatè per

primæ traductionem, quemadmodum corpus nostrum dicitur modo è terra venisse, quia propagatum est ex eo, quod immediatè è terra est fabrefactum. Denique dici posse quod Deus dederit, aut finxerit animam, sicut dicitur quod Deus donauit nobis linguam & manum, quod finxit oculum, &c. Nihilominus hanc explicationem, non ita laudat, quin oppositam quæ magis congruit Conclusioni nostræ, multum esse probandam opinetur: Et merito quidem quia sincerior est, & menti sacrorum Authorum conuenientior: quare cum videamus eam nō modo recentium omnium Theologorum calculis approbatã, sed & pari veterum Patrum consensu roboratam, atque vt orthodoxam apud omnes audiisse, merito nefas esset ab illa discedere.

Rationem hanc reor optimam, quam Alex. Alensis ex Hugone Victorino desumit, quòd anima sit substantia simplex, nullo modo diuisibilis in partes eiusdem rationis, alioquin esset corporea, atqui substantia simplex propagationem non facit, quia vel tota in gignente remanet, vel tota transit in genitum: neque augeri, neque multiplicari ea sic potest, vt ex ea portio quædam defluat, quæ in sobolem aliam pullulascat. Et sic deinceps: Sic enim videmus carnem ex carne propagari. Ergo impossibile est animam rationalem ex anima gigni: quomodo nãque tota in gignente remaneret, si tota in genitũ flueret, aut quomodo tota in genitum demearet, si tota in gignente sine defluxione, aut abscissione consisteret? aut omnes animas consubstantiales esse fatendum erit, ita vt natura simplex in propagatione filiorum personaliter multiplicetur, essentialiter interim non diuisa: vel eas esse divisibiles instar corporum: vel propagari non posse. *Primum* incredibile est, imo & impossibile: *primò*, enim sequeretur vnam, & eandem essentiam infinitis beatitudinis gradibus; itemque simul damnationis omniumq; miseriarum generibus affici, quod quis credat? *secundò*, repugnat vnam essentiam, quæ tota primùm fuit in vno supposito, & deinde in innumeris aliis reproducitur, non multiplicari numericè, realiter, & intrinsecè propter rationes, quas adduximus contra vniuersale Scotisticum in Log c. 8. §. 2. Secundum nimirum quòd aĩæ non sint diuisibiles instar corporum, demonstratum est suprà, & efficacissimè idem demonstrat S. Aug. in 7. super Genesim: ex eo quòd, si sic essent diuisibiles, tribusque dimensionibus contexerentur, nihil possent vel intelligendo capere, nisi eo modo dimensum, quod tamen falsum est, quia lineam sine latitudine, & profunditate; punctumque sine his omnibus percipiunt. Ergo relinquitur tertium, quod non propagentur cum semine.

2. p. q. 60. m. 3 a. 3.

Dices, non repugnat dari materiam spiritualem: quæ neque quantitatis, qua extendi; neque priuationis, qua induci mutatio valeat, ferax sit, aut origo, sicut materia corporum. Ergo quidni opinio S. Augustini defendi poterit? Antecedens ostenditur auctoritate grauissimorum virorum, qui eam adstruxere. In primis, eam supponit D. Augustinus, neque vllo modo vocat in dubium. Deinde Alex. Alensis cit. supra idem tenet. *Dicendum*, inquit, *quod anima humana dicitur com-*

2 p. q. 61. in 1.

posita ex forma & materia intellectuali: nullatenus autem sic habet materiam, & formam, sicut dicuntur corpora habere materiam & formam, siue sint cœlestia, siue inferiora: materiæ enim corporalis terminus est magnitudo: spiritualis autem materia non est terminus. Idem tradit de Angelis q. 20. n. 2. Similiter omnino sentit discipulus ipsius D. Bonau. sic enim in 2. s. d. 17. q. 2. scribit: *Et ideo tertius modus est dicendi, scilicet quod anima rationalis, cùm sit hoc aliquid, & per se nata subsistere, & agere, & pati, mouere & moueri: quod habeat intra se fundamentum suæ existentiæ, & principium materiale, à quo habet existere; & formale, à quo habet esse. De brutali autem non oportet hoc dicere cum ipsa fundetur in corpore. Cum igitur principium, à quo est fixa existentia creaturæ in se sit principium materiale, concedendum est animam humanam materiam habere: illa tamen materia sublenata est supra esse extensionis, & supra esse priuationis, & corruptionis, & ideo dicitur materia spiritualis.* Pari quoque ratione talem ipse in Angelis admittit, d. 3. q. 1.

Ita etiam Richardus & alij. Resp. primo, negando consequentiam. quia quod propagatur non quauis materia, sed corporea & diuisibili debet compaginari: talis autem non est materia spiritalis, si detur. R. secundo antecedens solere communiter à Doctoribus negari, vt patet ex D. Thom. in 1. p. q. 75. eiusque interpretibus.

„ Cæterùm ne quid dissimulem, crediderim materiam posse dupli-
„ citer concipi: *primo*, tanquam commune quoddam subiectum trans-
„ mutationis, à diuersis formis, successiuè informandum: *secundo*, tan-
„ quam subiectum informe rationis specificæ: primo modo est natura
„ de se informis, apta tamen, vt sine sui multiplicatione reuera in mul-
„ tis suppositis existat, à diuersis formis vtique actuanda: secundo mo-
„ do solum est gradus substantiæ, secundum quem in eo quod per se
„ existit, & operatur, ac patitur, concipitur proprium susceptiuum
„ rationis specificæ, principiumque passiuum ipsius esse, & acciden-
„ tium, &c. Primo modo certum est materiã etiam spiritualem non re-
„ periri in animis nostris, neque in Angelis: quia sic radix esset corru-
„ ptionis, & transmutationis inter illos, quod falsum est. At secundo
„ modo non ita certum est, qui enim eam adstruunt, considerant nul-
„ lam esse substantiam, quæ intra gradum substantiæ sit æquè simplex,
„ ac diuina: vnde Boëtius ait, *in omni eo quod est citra primum esse hoc,* (*In l. de Trinit.*)
„ *& hoc*: & D. Dionys. *post monadem sequi binarium*. Prima autem com-
„ positio substantialis est ex potentia informi, & actu formante: aliunde
„ nulla substantia creata, inquiunt, est ipsa sua ratio specifica: imo ne-
„ que secundum se totam perfectè illam participat: alioquin secundum
„ nihil sui, aliæ cum aliis conuenirent, gradumve substantiæ potentia-
„ lis exprimerẽt: quare, cur non erit congruum admittere actum essen-
„ di, qui sit proprius actus ideæ specificantis, ipsaue pura eius expres-
„ sio: & aliud quiddam potentiale proximum nihilo, in quo prior ille
„ actus recipiatur? quod si concessum fuerit, ille actus vocabitur for-
„ ma, eique formandi, specificandi, distinguendi, mouendi, atque

„ agendi principium competet, & differentiæ graduum suppeditabit: „ illud verò potentiale dicetur materia, eiusque proprium erit formari, & perfici: cōmmune item erit omnibus substantiis incorporeis, & secundum illud gradus generis desumetur, & participatio ideæ limitabitur: & fortè propter tale quid etiam in Angelis reperietur multiplicatio indiuiduorum sub eadem specie. Qui sic sentiunt haud scio an efficaciter à quoquam refelli posse queant: quia tamen singularis sententia est, paucosque patronos habet, nolo illam tanquam certam asserere. Sua cuique sententia sedeat.

„ Duo solùm subdiderim: primum, non posse negari, quin gradus „ entis potentialis, & actus specificantis intra terminos substantiæ cuiusuis subsistentis reperiantur: an verò distinguantur re, an ratione sola, dubium: Equidem distingui mallem: Secundum, vtcumque hæc sint in anima, tamen eiusmodi ea esse debere, vt constituant solùm substantiam incompletam, aptamque vlteriùs informandi, non quidem materiam spiritalem & inextensam, sed corpulentam, sensilemque: eoque ipsam distingui ab Angelo. Vtraque tamen hæc creatura, nimirum Angelica, & rationalis simplex est respectu corporū, composita verò, crassa, & limitata respectu Dei: absolute interim indiuisibilis. Qui communem sententiam præoptauerit, quæ omnem negat eiusmodi materiam spiritalem, legat D. Thomam 1. p. q. 50. & 75. eiusque commentatores: nobis enim ad alia properantibus dicta sufficient.

Sennertus, de quo suprà, aliam viam iniit, finxit enim vi diuinæ benedictionis in semine parentum multiplicari animas rationales, & ita cum eo ipsas propagari. Idemque de animis brutorum ac plantarum adstruit: vnde vlterius infert, neque irrationales, neque nostras educi è materia: omnesque natura sua æquè mortales esse: nostras tamen sola diuina voluntate immortales existere: quod si aduersus hanc animarum in semine multiplicationem institeris dicens hinc sequi, semen humanum in vasis naturalibus efformatum reuera hominem fieri, siquidem anima rationali sit præditum: & cum natura huiusmodi vasa seu organa in vtroque parente duplicauerit, plures quoque animas in quolibet esse multiplicandas: item seminis in terra emissionem fore homicidium: quia tunc homo periret, rursus semen in terram diffusum esse illico baptizandum, ne anima ipsius sine lauacro regenerationis excedens è suo corpore, æternæ damnationis pœnas incurreret &c. Hæc & alia vt effugiat Sennertus, cōfinxit animam vi diuinæ benedictionis nō multiplicari, nisi in ipso materno vtero, cum primum materies illa prolifica Patris & Matris incipit commisceri: sic absurda præfata eludit: verùm dum Charibdim fugit, non præcauet Scyllam, in quam miserè ruit, dum animam nostram facit natura mortalem, vt cæteras: *secundo* contradictionem sibi cudit insolubilem: duo enim tanquam distincta proposuerat: *primum*, quòd sc. *vi benedictionis diuinæ à parentibus anima in sobolem propagetur*: *secundum*, quòd *in prima conceptione, dum semen*

parentum commiscetur, à Deo ipsi quam primum infundatur. Primum defendit vt probabilius & postea dum impugnatur, eo repudiato refugit ad secundum, quamobrem si tunc solum anima infunditur: Ergo à parentibus non propagatur. Ergo solus Deus animam dat: quæ tamen ipse falsa prætendit: Præterea Exodi 21.v.22. secundum 70. sic continetur: *Si quis percusserit mulierem prægnantem & abortiuum fecerit, si non fuerit formatum mulctetur pecunia; sin verò secus, reddat animam:* & licet vulgata versio diuersa videatur, idem tamen innuit. Igitur qui simpliciter abortiui causa fuit, non multatur morte, quare? quia supponitur hoc initio non viuere. Id quoque legibus ciuilibus maximè congruit: imo & diuinis, vt constat ex antiqua lege purificationis. Denique sine authoritate ac sine ratione vlla hoc dicitur. Ergo, &c.

§. 4.

Obiecta soluuntur.

IIs quæ diximus opponi videntur sacra scriptura & ratio. *Inprimis*, quòd animæ vixerint antequam in corpus venerint, probatur ex illo Sap. 8. *Sortitus sum animam bonam*, inquit Salomon, *& cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Secūdo*, ex illo Iob: *Ecce Beemoth, i. Luciferū, Quem feci tecum*, ergo Iob saltem secundū animam fuit creatus cum Lucifero. *Tertio*, ratione sic probatur: quod incipit in tempore finitur etiam in tempore ex Arist. 1. Cœl. c. vltimo. Ergo si anima inciperet hoc modo, tandem esset aliquando peritura. *Quarto*, animæ non mensurantur tempore, sed æuo, non minùs quam Angeli. Ergo simul debuere cum illis incipere.

Resp. ad primum, secundum S. Aug. posse hunc textum de Christo Domino intelligi. Qui cùm vt Dei filius esset bonus, venit in corpus purissimum: aliàs ad litteram intelligitur de ipso Salomone, vt sit sensus, quod initio bonam nactus indolem, hinc in virtute profecerit, & corpus tam sedudò mundauerit, vt ad perfectam munditiem illud tandem reduxerit.

Illud verò Iob non significat associationem quantum ad simultatem durationis, sed conformitatem quandam in participatione rationis, quasi diceret: *feci tecum*, id est, similem tibi.

Ad tertium Resp. negando antecedens, quod probari non potest.

Ad quartum Resp. negando consequentiam, quia quæ mensurātur æuo habent initium, ideo hinc æternitas limitatur, & consequenter non pugnat ex parte principij prius illi, & posterius accidere.

Secundo, quòd animæ nostræ ex traduce propagentur, sic probatur, Gen. 46. *Istæ sunt animæ, quæ egressæ sunt de femore Iacob.* Et ad Hebr. 7. Leui dicitur decimatus in lumbis Abrahæ, non verò Christus: cùm tamen Christus secundum carnem perinde originaliter fuerit in carne Abrahæ, ac Leui: ergo restat solus iste sensus, quòd anima Leui conti-

nebatur seminaliter in lumbis Abrahæ, non verò anima Christi. *Secundo,* D. Aug 10. super Gen. 3. & 4. considerans illud, *die septimo requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat*, hæc ait, *de nihilo fieri aliquid consummatis operibus, quibus creauit Deus omnia simul, violentum est velle monstrare, & vtrum perspicuis documentis obtineri possit, ignoro.*

Tertio, faciliùs ita explicabitur quomodo anima ex humana propagine peccatum originale contrahat.

Quarto, ratione sic: simile generat sibi simile, nisi mancum sit, vt tradit Arist. 2. de anim. c. 4. *animal nimirum animal, planta plantã, vt sint semper hoc pacto, conditionemque subeant, quo ad possunt diuinam.* Ergo homo hominem, & totus totum gignit. Ergo non solùm corpus soboli contradit, sed & nobiliorem insuper partem sc. animam. *Confirmatur primo*, quidquid pertinet ad integritatem humanæ naturæ propagatur per generationem hominis, non minùs, quam quidquid spectat ad integritatem naturæ Leoninæ per generationem Leonis: neque enim vis generatiua, quæ tota residet in anima, minùs perfecta est in homine, quam in bruto. Atqui anima pertinet ad integritatem naturæ humanæ. Ergo, &c. *Confirmatur secundo*, vbicumque animę humanæ operationes adsunt, ibi ea præsens admitti debet, sed in prima conceptione statim operationes animæ humanæ adsunt: Ergo, &c. Mi. probatur, quia formatio ipsa corporis humani, nequit esse alterius operatio, quam formæ humanæ: quemadmodum enim ipsa sibi conformat alimenti materiam in nutritione: ita & seminis in conceptione, &c.

R. ad primum synecdochicè partem pro toto solere accipi, vt cum Gen. 14. Rex Sodomorum dixit Abrahamo: *Da mihi animas; cætera tolle tibi*, id est, homines. Homines porro egressi sunt ex femore Iacob; ratione corporis. Ad illud ex 7. ad Hebræos. Resp. Neque, animam Leui, neque illam Christi Domini fuisse in lumbis Abrahæ: discrimenq; omne solùm penes corpora esse positum nimirum sic: Leui ratione sui corporis fuit in Abraham, vt ab eo deriuaretur & secundum corpulentam substantiam, & insuper secundum seminalem rationem, per quam peccatum originale contrahitur: & ideo omnes Abrahæ posteri in eo dicuntur fuisse decimati, id est, præfigurati indigere curatione, quæ est per Christum. Christus verò in eo solùm fuit secundùm corpulentam substantiam, non quidem vt ea carnis particula, quam à matre sumpsit, verè in Abraham fuerit, sed quod per longam generationum seriem, inde vt à principo actiuo & originali deducta sit. Vide D. Thom. 3. p. q. 31. a. 7. & 10.

Ad 2. Resp. Deum quieuisse à creatione nouarum specierum non indiuiduorum: vnde est illud, *Pater meus vsque modo operatur*: vel quieuit à creatione rerum corporearum: non verò spiritualium. Et hoc tenetur Senertus confiteri.

Ad tertium Resp. peccatum originale contrahi ab anima, quæ à Deo creatur, quatenus, dum per seminalem propagationem vnitur corpori, fit pars naturæ humanæ, quæ fuit in Adamo, dum peccauit, in eo-

que vitiata tunc fuit: sed hoc superat Philosophiæ lim ites: neque opposita opinio difficultatem exhaurit.

Ad quartum Resp. negando secundam consequentiam: homo quidem hominem generat: sc. præparando materiam, eamque ad vnionem formæ rationalis disponendo, quod sufficit.

Ad confirmationē . R. negando paritatē bruti ad hominē: anima bruti ob imperfectionē suam est propagabilis ex materia parentū: secus anima rationalis ob perfectioné oppositam. Hinc anima bruti potest attingere eductionem formæ similis, è materia: non verò anima rationalis: *secundo*, virtus animæ rationalis in eo multò præstantior est, quam cuiuscunque inferioris, quòd disponat materiam ad formam spiritualem, eamque exigat: *tertio*, assimilationis effectus non consistit in eductione, sed in vnione formæ: ideo forma quæ concurrit ad vnionem perfectioris formæ, concurrit ad perfectius simile. Hoc autem fit in homine. Ergo. *quarto*, qui facit, vt forma vniatur corpori, eam ipsi censetur dare, sicut dum aurifex aurum vnit ligno. Ergo ad hunc etiam modum homo dat proli animam. Denique negari posset operationem, quæ competit imperfectiori, deberi semper perfectiori; sufficitque si quod perfectius est, alias habeat perfectiores operationes. Sic nutritio & generatio sui similis non conueniunt Angelis, qui aliunde possunt generationibus omnibus modo longè nobiliori præsidere. Ergo non mirum, si homo non eodem planè modo sibi simile gignat, sicut bruta. Certè hoc nobilitatem formæ ingenerabilis arguit. & aliunde longè nobiliori modo concurrit, dum gignit hominem talem ac tantum, vt partem in eo solus sibi creator aliquam vindicet.

Ad secundam confirmationem R. frustra requiri animæ adminiculum ad corpus tam mirabiliter compingendum: opus est hoc, non formæ amentis, aut stupidæ, sed sapientissimi conditoris vt ostendimus in Phys. c. 16. §. 2. Hoc ergo rectè concludam hisce verbis Trismegisti: *Cogita, ô fili, hominem in vtero compositum, totamque opificij artem diligenter perpende, & disce quis sit opifex, qui hanc hominis pulchram, diuinamque imaginem fecerit: quis oculos formauerit, quis nares & aures terebrauerit, quis os aperuerit, quis neruos tetenderit, & ligauerit, quis venas irrigauerit, quis ossa solidauerit, &c Aspice quot artes vnius materiæ, quot opera vna circumscriptione, cunctaque pulchra, cuncta cum mensura, cuncta seorsum: quis hæc omnia fecit, quæ mater, quis pater, nisi inuisibilis Deus, qui sua voluntate cuncta operatus est? At statuam, siue imaginem, sine artifice, aut pictore, nemo dicet extitisse. Hoc ergo opificium fuit sine opifice? ô cæcitatem incredibilem, ô magnam impietatem, ô incredibilem ingratitudinem!*

In eo l. qui inscribitur quod Deus inuisibilis, sit ex operibus manifestus.

Quid ergo, inquies? si hoc est, cur tot, ac tam crebri defectus in organizatione, atque formatione corporis obueniunt? an errare posset Deus? an non vel hoc causam secundam præcipuè operantem insinuat?

R. imo quæram ego, si anima defectus parit, quia deficiens, an quia deficit spontè, an natura? si sponte; ergo iam ex tunc liberæ voluntatis

est

est compos, quo quid fallacius? si natura, vnde habet vt sic deficiat? vel ab efficiente, vel ob materiam circa quam agit; primum quis dicat, nisi Deum culpare non vereatur? ergo secundum. Ac si hoc ita sit, quid prohibet Deum, quando ad præscriptam à se legem operatur in rebus, opem suam iuxta varios apparatus materiæ difformiter applicare? Efformat itaque Deus corpus vt principalis opifex, ancillantibus tamen caussis secundis, nimirum cœlo per influxus; & parentibus per vim propriam transfusam in materiem prolificam: idque manifestè Plato sic sentit in Timæo, dum ait spargi à Deo, & seri animas in corpora vi caussarum secundarum præparata, vt inde nascatur animal religiosissimum: & licet videatur de Angelis loqui, quasi curam formandorum corporum ipsis Deus mandasset, tamen clarè postea loquitur, cum describens tam in genere, cunctorum animantium, quam in particulari, singulorum membrorum admirabile artificium, id non minùs quam Trismegistus, soli Deo supremo artifici verè attribuit.

§. 5.

De primo momento animationis.

QVÆRES quandonam anima infundi cœperit. Resp. nòn id plàne constare inter Medicos. Diximus suprà Senerto visum, quod infundatur simul ac concipitur eius caro. Idque confirmat ex Macrobio dicente, *conceptum, quem quisquis vltra 7. horas sustinuerit, esse ad vitam creatum*, & ex Hippocrate testante non à septima die, sed ab ea, qua sperma retentum sit, conceptionis initium esse computandum; & ex S. Greg. Nyss. asserente, *vnum & idem esse animæ, & corporis constitutionis principium ac quemadmodum terra, si surculum à radice auulsum acceperit, arborem inde efficit; non ipsa vim augendi conferens, sed incrementi duntaxat materiam, atque subsidium impartiens: ita dicimus etiam id quod ab homine auellitur, ad hominis sationem, ipsum quoque aliquo modo animal esse, & ex animato animatum.*

l. 1. in somn. Scip. c. 6. l. de genit. de anima & resur. Lege Plutarch. l. 5. de Plac philos. 11. Hippocr. l. de fœtu. Fernel. de hō. procreat.

Alij, vt Thomas quidam Fienus Medicus Louaniensis, volunt animam infundi tertio à conceptione seminis die, vt fœtum, ac membranas conformare valeat, quas experimentis ab Hippocrate, & Galeno factis, constat saltem quarto, vel quinto die perfici: tum quia id tempus sufficit, vt quod à parentibus satum est, misceatur, fermentetur, actuetur, &c.

Alij, & hæc est communis sententia, volunt fœtum virilem animari die quadragesimo; fœmineum verò, octogesimo duntaxat, quòd ob defectum caloris & imbecillitatem virtutis formatricis tardiùs absoluatur. Cæterum hoc vnum mihi certum est, tunc infundi animam rationalem cùm primùm corpus organis humanæ proli aptis concinnatum fuerit: quod obtinet etiam dum non est maxima formica grandius, vt asserit Arist. 7. hist. anim. Testaturque Fernel. obseruatum à se fuisse

die quadragesimo eiectum fœtum prædictæ magnitudinis, *cui caput auellanæ par, & maius, quam pro reliqui corporis ratione: oculi vt cancris exerti: nasus, auricula, brachia, manus, crura, pedes, hisque secreti digiti, &c.* Sed medicis relinquenda hæc controuersia est. Nobisque sufficiat hoc cum ipsa Ecclesia tenere, quòd fœtus in vtero priùs gestetur, quam animetur. Id enim decretis suis illā voluit inseri. Quod enim dixerat S. Aug. de quorundam coniugū crudelitate, *prolem prius interire, quam viuere, aut si in vtero iam viuebat, occidi, antequam nascatur: & informe puerperium, adhuc quodammodo informiter animatum ad homicidium non pertinere, quia nondum dici potest anima viua in eo corpore, quod sensu caret.* Et alia multa eiusmodi Doctorum dicta Canonum suorum decretis inseruit & approbauit: nimirum *causa 31. q. 2. c. Aliquando. Quod verò. Sicuti.* Adde id quod supra retulimus *ex c. 21. Exodi* iuxta versionem 70. de abortiuo non formato: quæ versio placuit maxime SS. Patribus vti D. Aug. quemadmodum constat ex *causa illa 31. q. 2. c. Moses.* Theodoreto item 5. de Græc. affect. & aliis; qui omnes consentiunt, posse abortum procurari sine homicidio, tametsi non sine peccato.

l. 1. de nupt. & concup. c. 15.

Interim non possum hic omittere quod dicunt aliqui fœtum communiter non animari, nisi die quadragesimo quinto, & ita distribuunt formationis tempora,

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terni,
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

Hi autem 45. dies per 6. multiplicati efficiunt 270. qui 9. menses quoque constituunt, quibus in vtero gestatur fœtus; & tunc motus vitalis embrionis primùm percipietur die nonagesimo. Si verò fœtus formatus fuerit die 35. incipiet moueri die septuagesimo, & parietur septimo mense. Si formetur die 40. mouebitur 80. parietur 8. mense: si formetur die 50. mouebitur die 100. & parietur 10. mense. Sed hoc patitur difficultatem; quia lex antiqua purificationis, secundum quàm mulier enixa masculum, quadragesimo; fœminam verò, octogesimo solùm die iubebatur partum suum Deo in templo præsentare; videtur denotare spatium quod in formandis infantibus natura obseruare consueuerit, esse duplo maius in fœminis, quam in masculis, cum tamen non sit duplo maior dilatio pariēdi. Respondent tamen non posse id ex illa lege coniici: sed aliquid sanctius, atque diuinius à spiritu sancto per hanc legem insinuatum fuisse, quippe quæ tota ad figuranda Christi mysteria ordinabatur, licet id non expresserit: quid autem id sit, haud facile posse declarari. Quidam volunt ea lege notari, quòd peccati, quo trāsfunditur culpa originalis, rea magis fuerit mulier, quam Adam: alij alia. Sed ista nos longius abducerent. Ideo solum notauerim quod ex Vales. *Phyl. sacr. c. 18.* Mater enixa marem per 40. dies purgari soleat ab immunditiis post partum dietim fluentibus: enixa vero fœminam, per 80. licet Hippocrates quoad hūc dierum numerum non plane consentiat. Ita nihil certi potest ea de re definiri.

CAPVT IV.

DE MVLTITVDINE Animarum.

§. 1.

An sit vnica solum in omnibus hominibus anima intellectiua.

FVIT celebris inter Peripateticos opinio, vnicum tantum esse principium intellectiuum, omnibus vnitum hominibus, quod iis immediatam exhiberet intelligendi facultatem, & exercitium: fuit hæc Auerrois, & aliorum Peripateticorum sententia, sumpto ex Aristotelis interpretatione fundamento. Voluere itaque hi mentem esse vnicam: & ab ea hominum intellectionem proficisci, cum cogitatiua ipsorum anima per varia phantasmata è sensibus desumpta: huic menti quodammodo continuata euaderet. Vnde quemadmodum ferrum, dum intimè igni adhæret, eius in se suscipit actionem, atque ex eo ac per eum illuminat, rubet, comburit, &c. sic, inquiunt, homo quilibet, dum secundum phantasiam, eumque quem intellectum passibilem vocant, alij cogitatiuam potentiam, mentis huius immultiplicabilis, & æternæ efficacia repletur, eique connectitur, seu ab illa intimè actuatur, intelligendi compos fit, speculatur vniuersalia, intelligit, ratiocinatur. Hinc diuersas in diuersis hominibus, sicut ab vno & vniformi principio, intellectiones elici ob diuersa illa phantasmata, & multiplices cogitationes testantur: eoque fieri, vt diuersa diuersi sentire: contradictoria dicere: nescire hi, quæ illi discunt, denique ingeniorum omnes dotes, aut defectus experiri valeant: quia nimirum qui nouum de aliquo phantasma è sensibus haurit, is nouam illius intellectionem percipit: qui aliud de alio, aliam; qui nullum, nullam, &c. Simile sane quid diximus ex sententia Platonicorum de connexione, atque vnione mentis nostræ cum Deo, siue Verbo diuino in Moral. c. 7. §. 2. Sed dispar admodum sensus est: *primo*, quia secundum dictos Peripateticos, mens illa Deus non est: *secundo*, præter illam hi non admittunt mentes participatas singulis hominibus proprias: *tertio*, formam propriam hominis volunt esse cogitatiuam dumtaxat, & non principium illud intellectiuum. Contraria verò Platonici docent vt dicemus. Interim ex præsupposito dogmate fluxit ista opinio, quòd vnica solùm sit in omnibus hominibus anima intellectiua incorporea, immortalis ac per se subsistens. Potissimum huius fundamentum fuit, quòd cum Aristote-

les admiserit mundum ab æterno, infinitas debuerit admittere generationes, ergo & infinitæ fuissent huiusmodi admittendæ animæ: quod semper ipse negauit: aliunde in iis quæ separata sunt à materia nusquam Aristot. agnouit multiplicationem numericam; ideo quoties de mente loquitur, semper singulari numero vti solet. Aliqui adhuc vlteriùs progressi sunt, affirmantes in omnibus omnino viuentibus vnicam solùm esse animam, quæ singulis prout variè disposita sunt, diuersas vitæ functiones distribuat, quemadmodum idem ignis aliis solum calorem, vt lapidi calefacto; aliis lumen, vt ferro candenti; aliis formam propriam, vt ligno, imprimit; vnus ipse interim, idemque manens, &c.

CONCLVSIO: Hæreticum, & nugatorium est vnicam tantùm in singulis hominibus animam intellectiuam, & immortalem asserere: ad solam hîc rationem prouoco. Nec opus est multis ad probandum id, quod seipso naturaliter demonstratur. Quid enim religioni; quid moribus, quid rationi magis oppositum?

Certè cum anima hominis sit incorporea, indiuisibilisque, vt suprà diximus, hinc tria sequi necessum est: *primum*, quod ipsa sit intellectualis, quoniam ex operationibus intellectus potissimum demonstrauimus eam esse incorpoream: *secundum*, quòd ea sit forma propria hominis: non minùs, quàm anima bruti, eiusdem forma est: *tertium*, quòd sit vna in singulis, quia vel esset admittenda in omnibus omnino corporibus, quod repugnat enti finito: vel diuidenda foret secundum interualla omnia, quibus à sese inuicem distant homines, quod repugnat indiuisibili. Denique separata à corporibus non nisi vnicam, eamque vniusmodi operationem exerceret. At qualem quæso? qua beatè, an qua infeliciter viueret? si primum, quomodo tandem post mortem punirentur crimina tyrannorum? si secundum, quomodo tunc qui modo iustè vixerunt, sed miserè, remunerarentur? Mitto quod anima quælibet, cum sit actus corporis, ei sic debeat coaptari, vt hinc indiuiduationem ipsa suam desumere; & ab ea corpus, proprium *esse*; denique compositum, omnes suas proprietates mutuari debeat. Addit Plotinus fore, vt si vna in omnibus foret anima vno patiente, cæteri omnes, si non pati similiter, saltem compati naturaliter debuissent, vt in se quisque testis est, dolente vno membro corpus reliquum condolere. Hoc falsum cum sit: ergo & illud. *Enn. 4. l. 9. c. 5.*

Interim non est omittendum quod idem Plotinus notat, quòd licet animæ seorsim singulæ pro singulis hominibus diuersæ, distinctæque sint, tamen omnes vna quodammodo anima dici queant: idque tribus præcipuè modis: *primo*, quatenus vna illis omnibus præest animarum generalis idea, quæ tota singulis inest: à qua singulæ manant: & secundum quam singulæ cuiusdam sympathiæ, atque conformitatis naturalis vinculo colligantur: *secundo*, quia quælibet anima est forma penitus omniformis saltem potestate: licet actu hoc sit vna, quod non est alia: sed tamen quod ab vna prodit expeditè, id in omnium potestate delitescit, ac præiacet, quemadmodum & in propositionibus Geometricis

quadantenus euenit: quælibet enim poteſtate continet præcedentia, per quæ vtique fit reſolutio; itemque conſequentia, quæ inde quodam ordine deducuntur. At quod eiuſdem ideæ participatio facit ſecundum naturam: quanto efficaciùs id eiuſdem diuini Spiritus participatio faciet ſecundum affectum? Hoc ergo tertio modo omnes animæ piæ ſunt *Cor vnum & anima vna.* Audi Auguſtinum, *Anima tua non eſt propria tua, ſed omnium fratrum, quorum etiam animæ, tuæ ſunt: vel potiùs quorum animæ cum tua, non animæ, ſed anima vna eſt Chriſti vnica.* Epiſt. 38. Porro quæ ſupra obiecta ſunt in confirmationem oppoſitã, quam impugnauimus, in ſententia quidem Ariſtotelis ſolui difficile poſſunt: ſed facillimè ſecundum nos, qui mundum creatum in tempore credimus: & finitum numerum animarum propugnamus. Quod vero ad illarum indiuiduationẽ attinet, diximus in Phyſica quomodo indiuiduentur à corpore: vel ni ſufficiat hoc, poſſe haud incongruè ſpiritalem illis materiam affingi.

§ 2.

An præter animam intellectiuam, ſit alia in homine mortalis, & corporea.

FVit olim hæc opinio celebris, quòd in homine duæ, vel plures eſſent animæ: vna immortalis, qua intelligeret; alia mortalis, qua ſentiret, concupiſceret, vegetaretur, &c. & hanc aliqui diuidebant in 7. nimirum in quinque totidem ſenſibus reſpondentes, in cogitatricem, & in generatricem: alij ſolum in duas, nimirum in concupiſcentem & iraſcentem: & hæc attribui ſolet à quibuſdam Platoni: *Plato,* inquit Iuſtinus, *tripartitam ait, partim rationalem, partim iraſcibilem, partim concupiſcibilem: Ariſtoteles non tam latè patentem facit, vt qua non complectatur partes corruptibiles, ſed ſolam rationalem.* Theodoretus *Pythagoras & Plato animam,* inquit, *in partes duas diſtribuunt, quarum altera ſit ratione prædita, ratione altera careat: rurſuſque hanc poſteriorem bifariam ſecant, namque alteram eius partem iracundiæ tribuunt, alteram libidini & cupiditati.* Alcinous, *Triplicem autem eſſe animum, eiuſque partes ſecundum facultates, atque rationes, ſuis locis eſſe diſtinctas ex his perſpici poteſt,* Galenus item ex profeſſo conatur demonſtrare has tres animas nõ vnam, ſed tres verè ſubſtantias eſſe, naturâ, ſedibuſque diſtinctas, idque ſecundum Platonem: verum Galeno facile id potuit eſſe perſuaſum, quippe qui animam noſtram in mera partium corporis harmonia conſtituerit: eam proinde negans ſimplicem, ac immortalem. At Plato ipſe quid? an non clarè in 4. & 9. de Rep. diſtinguit hæc tria in homine τὸ λογιστικὸν, τὸ θυμητικὸν, τὸ ἐπιθυμητικὸν, nimirum id quod in ipſo ratiocinandi, quod iraſcendi, quod denique concupiſcendi facultate eſt præditum, quæ quidem tria vocat: interdum ἴδια ψυχῆς εἴδη tres notiones ſpecificas: eaque diſtingui vult officiis, & ſedibus vti alias diximus in Moral. cap. 17. §.

in Admon. Gent.

Cap. 17.

§ & 6. de Decr. t. Hippoc. & Plat.

2. Sed pulchrum est quod ipse ait in Timæo, cum officia propria Creatoris, & causarum administrarum, siue secundarum, cœlestium maximè, quibus ille ad formanda corpora vti solet, distinxisset, & hoc Creatori elogium attribuisset. *Quodcumque in rebus genitis bene constitutum est ipse fabricauit*: tum subdit quòd cum in mundo immortalia, & mortalia esse voluerit, *Diuinorum ipse est Opifex; mortalium verò rerum generationem facturis, siue creatum is suis efficiendam demandauit. Ipsa igitur opificem imitantes & ab illo excipientes primordium immortale animæ, ipsa deinceps corpus mortale circumformarunt, atque in eo aliam animæ speciem, nimirum mortalem insuper fabricauerunt, quæ graues, & necessarias affectiones in se ipsa haberet.* Lege ibi cætera: ex quibus aduerte, quæso, quam rectè sentiat: *Primò*, Deum solum facit creatorem & causam immortalium, animarum scil. nostrarum & Angelorum. *Secundò*, cælestia, eorumque motores Angelos, facit causas administras Dei, quæ nihil omnino agant, nisi iussu & ordinatione Dei. *Tertio*, nihilominus ab ipso Deo effici vult quidquid in rebus rectè fit. *Quarto*, ait causas secundas in operando imitari Deum, quia non nisi participatione virtutis diuinæ, & ad explendum exemplar sempiternum, quod gerit in mente, operantur. *Quinto*, mortale hoc, quod concursu secundarum huiusmodi causarũ fit, in corpore formari ait, innuens per hoc nihil aliud à se velle intelligi, quam organa facultatum sentiendi, & appetendi. Neque te moueat, quòd illud vocet speciem animæ, per hoc enim solùm innuit diuersam corpus animandi, ac mouendi rationem, ab eiusmodi organis pendentem, ac per illa exercendam. Ideo meritissimè Plotinus, Enn. 4. lib. 3. ex mente Platonis vnicam in quolibet homine animam adstruit, quæ sit tota in toto corpore, & tota in singulis partibus; neque peculiares sibi sedes affectet, nisi ratione suarum facultatum. Ideoque species illas animæ interpretatur de solis eius viribus: atque hanc esse genuinam Platonis sententiam docent *Ficinus lib. 18. Theol. cap. 3. Iac. Carpentarius in 17. cap. Alcinoi: Sebast. Foxius in Timæum*, qui post Iamblicum, & alios per speciem animæ mortalem concursu naturalium agentium connexam animæ immortali solùm intelligi vult connexionem ipsam animæ cum corpore; siue adaptationem corporis talem, quæ viribus sentiendi, quibus prædita est anima nostra, inseruire valeat. Quamobrem verissimè quoque ipse arbitror id sensisse Platonem: quidquid in contrarium obganniat Ioan. Bapt. Crispinus, in illius doctrina profectò non minùs rudis, quam in illam iniquus & atrox.

χρώμϵνος μὲν ταῖς ξυναιτίαις ὑπηρετούσαις.

De Platone cautè legendo distr. 2. 2.

Fuit & alia opinio præcedenti multò deterior. Quæ nimirum asserebat duas in homine animas, aliam naturâ bonam: aliam naturâ malam: illamque bonorum omnium; hanc malorum in nobis esse causam: detestanda prorsus, ac insana hæresis, ac diris omnibus exagitanda. Hanc Manichæi, & alij tutati sunt.

Interim priorem illam de duplici anima, intellectiua videlicet, immortali, & sensitiua corruptibili iam pridem abolitam, rursus nunc non sine graui fidei periculo exuscitant ij, qui atomicam Democriti, vel E-

picuri Philosophiam recudere pruriunt: ita Petrus Gassendi, & alij. At de Aristotele quid? Certum est illi animam, quâ homo passiuè intelligit, & qua homo est, quamque intellectum, intellectiuam animam, rationalem, seu cogitatiuam vocitat, non distingui substantiâ ab anima sentiente ac vegetante, vt constat ex 1. lib. de anima: an verò talis anima sit mortalis, & distinguatur ab immortali mente extrinsecus aduenientc, alia quæstio est, ex iis, quæ superiùs diximus, euoluenda. *Philos. Epic.*

CONCLVSIO. Vnica solum in quolibet homine anima est admittenda. Conclusio est de fide, vel fidei proxima: & oppositum, vel reuera Hæresis est, vel proximè in Hæresim inducit.

Probatur primum conclusio his verbis octauæ Synodi gener. act. 10. can. 11. *Apparet quosdam id temporis in tantùm impietatis venisse, vt duas in homine animas impudenter dogmatizent: quos omnes, & similia sentientes, cum vetus & nouum testamentum, & omnes Ecclesiæ Patres vnam animam eamque rationalem in homine asseuerent, sancta, & vniuersalis Synodus anathematizat.* Scio Scotum, Paulum Venetum, & alios respondere eò loci solum damnari hæresim Manichæorum, atque illorum sententiam, qui plures animas ratione vtentes admitterent. Verùm interpretatio hæc merè arbitraria est: neque id insinuatur à Concilijs & Patribus, qui simpliciter affirmant vnam in homine animam, eamque rationalem, & non duas absolutè debere admitti: neque id à Manichæis asserebatur: nam per naturã malam non intelligebant aliam, quam merè sensitiuam, quæ sola motuum concupiscentiæ causa est, legemque repugnantem legi mentis sola ex se promit, ac sequitur. Idem communiter SS. Patres. *S. Aug. l. de fide & Symbol. l. 10. sup. gen. c. 12. l. de quant. anim. c 33. l. de spir. & am. c. 6. l. de dogm. Eccles. c 15. Damasc l. 2. c. 12. &c.*

Probatur secundo sic: vel anima rationalis non est propria forma hominis, vel præter illam nulla datur in homine anima corpus informans: primum est contra fidem vt ostendemus inferiùs: sequela autem patet ex cap. 17. tom. 5. vbi demonstrauimus non posse in vno & eodem simplici composito plures esse formas substantiales. Ergo.

Secundo, eadem est omnino anima, quæ primum & radicale intelligendi, sentiendi, atque concupiscendi principium est. Ergo eadem est intellectiua, & sensitiua: consequentia per sese euidens est: quoniam quid per animam sentientem intelligi potest, nisi tale sentiendi principium? Antecedens adducitur ex Aristot. 1. de Anima t. 89. sed expressior est in Platone in 10. de Legib. vbi enumerans proprios motus animi, eos vocat *velle, considerare, curare, rectè & falsò opinari, lætari, gaudere, dolere, audere, metuere, odisse, diligere, &c.* Et in Epinomide ait: *duo quædam esse, vnum quidem animam: alterum, corpus: animam verò ita differre à corpore, quod illa mente polleat; hoc verò careat: illa regat; hoc regatur: illa omnium affectionum; hæc nullius causa sit.* Viden' vt vnicam animã vni corpori comparat & illi vt intelligendi, sic & appetendi omne principiũ adscribit. Euidentiùs adhuc id in Thæteto manifestat & probat: ex eo enim quòd mens nostra de omnibus quę sub sensus cadunt iudicet, eaque mutuo conferat, & in iis deprehendat rationes similitudinis, dissimilitudinis, conformitatis, disparitatis, identitatis, &c.

quæ nullo corporeo possunt instrumento percipi, duo infert; primum, quòd omnes sensus in vna anima radicentur: Secundum, quòd eadem illa anima per seipsam, intelligibiles rationes cognoscat; sensibilia verò per sensus. Primũ sic enunciat, *Absurdum profectò esset, mi puer, si plures, quidem in nobis, tanquam in Durijs equis, insiderent, non verò ad vnam quandam formam, seu animam, seu quolibet alio nomine appellandam, omnia hæc conferrentur, cuius vi per hæc, veluti per instrumenta sentimus omnia, quæ sub sensus cadunt.* Secundum autem sic: *prolixa disputatione me liberasti, quoniam tibi videtur Animam alia quidem per seipsam considerare*; nimirum intelligibilia, & abstracta; *alia per corporeas facultates*, sc. sensibilia. Hinc in Alcib. definit hominem *animã vtentem corpore*, videlicet tanquam instrumento, sibi à naturâ dato ad exercendas operationes sensuum & appetitûs: cuique ipsa det esse, speciem, vitam, & energiam operandi: si autem præter animam rationalem alia esset corporea, falsum esset quod ipsa corpore vteretur: falsum etiam, quòd corpori vniretur vt forma: neque enim ei vnitur vt intellectiua, sed vt principium sentiendi & vegetandi.

Confirmatvr hoc eo quod anima qua homo sentit, qua concupiscit, qua voluptatibus seruit, &c. ipsamet illa est quæ postquam separata est, ob demerita plectitur: sed hæc est intellectualis. Ergo: Ma. maxime conueniens est principiis fidei nostræ: eamque manifestè docuit Plato in Phædone, vbi multa locutus de anima immortali & separabili, quæ si à feris & indecoris cupiditatibus, aliisque humanis liberata malis fuerit, ad Deum sit euolatura, tum de eadem hæc subdit: *Quòd si polluta & impura è corpore discesserit, quippe quæ strictiùs corpori adhæserit*, eique cupiditate seruiuerit, *ab eo nimirum à voluptatibus corporeis, atque à concupiscentijs fascinata nihil æstimauerit, amaueritque, nisi corporea, & crassa illa, quæ contingi, videri, bibi, atque voluptates venereas aggerere possunt, &c.* ita perpetuo ipse docet animam nostram, si ab oblectationibus corporeis sese auocet, vt diuinis, & æternis inhiet; apud Deum, cùm è corpore fugerit, esse remunerandam; sin verò, ab iis victa, intemperanter vixerit, apud Inferos, puniendam. Cuiusnam autem, quæso, est vinci à voluptatibus corporeis, eas amare; &c. nisi animæ sentientis, & concupiscentis?

Adde id quod constantissimum est apud illum, animam nostram esse indiuisibilem, & indiuisibiliter totam in singulis corporis partibus vt patet ex supra dictis. Ergo falsum est quod habeat partes, & quòd vna sit in Cerebro, alia in Iecore, &c. solùm itaq; ista partitio corporeis organis conuenit, non ipsi animæ: sed Platonem relinquamus.

Ipsa certè veritas Catholica nusquam distinguit eam animam, quæ per Christum in nouam vitam gratiæ regeneratur, ab ea, quæ noxiis concupiscentiis deprauata priùs fuerat: & videtur semper insinuare, eandem legi gratiæ postmodum seruire; quæ prius legi carnis mancipabatur: eandem quoque, quæ meretur gloriam abstinendo à voluptatibus corporeis, vel à vindictâ; liberè posse iisdem indulgere: libertas autem

tem non cadit, nisi in animam rationalem. Ideo si sentiens in homine foret à rationali distincta, appeteret corporea necessariò, & naturaliter, vt volebant Manichæi. Rursus si anima rationalis non est ea, quæ concupiscit corporea illicita: quid meriti acquiret non concupiscendo? in eo enim ipsa par Angelis foret: sed quid de Christo Domino dicam: si animam humanam, & mortalem habuit à rationali distinctam, quâ corpus viuens, & sentiens euasisset. in triduo mortis, quid de illa factum fuit? mansitne in corpore? an rationalem est con...itata? an periit? non primum, quia corpus hoc mansit mortuum: non secundũ, quia non est separabilis? non tertium, quia *quod semel persona Verbi assumpsit, nunquã dimisit*: Et *non dedit sanctum suum videre corruptionem*. Ita quidquid dicas, vix ab hæresi aut impietate te liberabis.

His denique adde sequentia: si anima rationalis, non est principium sentiendi, & appetendi, alio sum homo; alio animal: ergo falsum est, quod homo sit animal. *Dices*, homo est id totum, quod ex anima rationali, & sensitiua, ceu cogitatiua coalescit. Esto. At animal non est id totum: ergo vnum nequiret affirmari de altero: rursus si sensitiua constituit animal, cur sola rationalis, vel sola cogitatiua non constitueret hominem? item cur operatio sensus & appetitus impediret operationes intellectus, & contra? Cur nunquam separaretur anima rationalis, sine interitu sentientis? sub qua specie poneretur illa anima sentiens: siue cogitans, vel quam speciem inderet corpori? in leone enim est forma leonis, eique speciem hanc bruti conciliat; in equo, equi; & in aliis similiter: at in homine quid? si enim esset forma hominis, quid anima rationalis? si non; ergo speciem aliquam bruti ei conferet? quam? ad hæc quid solidi responderi queat, viderint, qui omnem soliditatem à Philosophia, inanium atomorum futilitate sustulêre.

Neque aduersus hæc quidquam magni momenti obiici valet quod non sit iam solutum ex dictis; aut certè facile sit soluendum à quolibet: nam quod ex D. Paulo solet adduci, *Caro concupiscit aduersus spiritum, &c.* Gal. 5. item, *vt integer spiritus vester, & anima, & corpus in aduentu Domini nostri Iesu Christi conseruetur, &c.* facile potest dilui: nam ex primo textu solum infertur animam diuersis facultatibus accingi, ac per harum vnam coniungi rebus æternis, & diuinis; per alteram verò, rebus caducis, & corporeis: ideoque per hanc prouocari ad caduca; contrà per illam ad æterna expetenda: ita in anima diuersos, ac repugnantes affectus excitari: sicut voluit Plato in 9. de Rep. Secundus textus dedit occasionem Dydimo & Ioan. Vviclef. duas in homine animas admittendi: vnam intellectiuam quæ vocaretur spiritus; aliam corruptibilem, quæ vocaretur anima: alij SS. Patres nomine Spiritus intelligunt Spiritum sanctum: sed verior expositio est, quam dat S. Th. ibidem: quòd Apostolus idem duobus nominibus significet ob diuersas relationes, quæ animæ conueniunt: nam per ordinem ad Deum vocatur spiritus, per ordinem ad corpus, anima.

§. 3.

An saltem successiuè animæ plures esse queant in eodem.

HÆc quæstio potissimum attinet ad primam fœtus formationem, de qua variè solet inter Philosophos disputari, vt videre licet apud *D. Th. 1. p. q.* 118. *a.* 2. *ad* 2. eòque tota difficultas reuocatur, an cum fœtus initio moueri ab intrinseco, nutriri, & augescere incipit, animari quoque incipiat. Quadruplex est sententia: *prima*, quòd hæ operationes ab anima matris & virtute formatrice, quæ inest semini, proueniant. *Secunda*, quod initio fuerit anima vegetatiua, quæ mox virtute Dei, quasi nouo vitæ gradu aucta, euadat sensitiua, & demum rationalis. *Tertia*, quòd initio sit anima vegetatiua, deinceps ea pereunte succedat sensitiua: 3. eadem similiter euanescente creetùr rationalis, cum debitè corpus ipsi apparatum fuerit. *Quarta*, quòd initio viuificationis infundatur anima rationalis, quæ tamen corpori prout viuendi solum aptitudine prædito vitam, deinde sensum conferat, donec tandem rationis quoque valeat functionem in eo aliquam exercere. Primam & secundam refellit D.Th. & cum eo fere reliqui omnes. Et meritò, quia prima fingit viuens, quod ab extrinseco solum moueatur, quod repugnat. *Secunda* fingit posse substantiam vnam indiuiduam sine corruptione substantiali mutari substantialiter, quia nouam perfectionem substantialem, nouam speciem viuentis acquireret, priori nullâ deperdita, quod etiam repugnat: & iam simile quidpiam à nobis tom. 5. cap. 15. §. 2. contra Scaligerum refutatum est.

Tertiam sententiam amplexus S. Thomas: item Toletus, &c. quamobrem probabilis est. Notes igitur velim distingui posse duo genera formarum: sunt enim aliæ per se à natura intentæ, speciem ratam ac stabilem constituentes: aliæ per se ordinatæ ad alias, quæ proinde speciem fluentem, ac præparatoriam constituunt: eiusmodi tom. 5. cap. 15. §. 2. diximus esse formam cadaueris: ad quam classem etiam possumus reuocare formam chyli, glutinis, sanguinis, &c. formæ primi generis constituunt supposita perfecta, quæ vltimò terminant totalem generationem. Formæ secundi generis constituunt supposita imperfecta, quæ solum terminant partiales generationes intermedias, quibus natura progreditur ad speciem completam. Hoc posito dicere possumus tam in genere viuentium & sentientium, quàm in genere inanimorum reperiri formas vtriusque generis: in hoc postremo formæ perfectæ, sunt hæ, quæ constituunt perfectas species mixtorum. Imperfectæ, vt cadaueris, chyli, &c. sic in genere viuentium, perfectæ sunt animæ plantarum: imperfectæ, formæ embrionum incipientium vegetari: similiter in genere sentientium; formæ perfectæ sunt animę animalium & brutorum: imperfectę, formæ embrionum iam sentientium: & sicut formæ cadauerum distinctam classem constituunt à mixtis perfectis: neque propriè

aut simpliciter formæ specificæ merentur appellari, sed solum analogicè & per similitudinem: sic animæ embrionum ad nullam propriè speciem plantarum, aut brutorum pertinebunt, neque vocari simpliciter animæ, sed solùm vitale quidpiam, debebunt: fundamentum huius opinionis sola fere est Aristotelis authoritas, cui semper vt maximè adhæsit S. Thomas: ille autem in 2. de gener. anim. cap. 3. ait fœtum humanum in vtero priùs viuere vitâ stirpis, deinde animalis, &c.

Nihilominus quarta sententia modo communis est inter Recentiores: & certè mihi quoque probabilior apparet: quia nulla necessitas est fingendi eiusmodi animas imperfectas & cōmentitias: quamobrem facile possumus progressum generationis sic explicare, vt primum in materia prolifica sint spiritus energiâ Parentum pleni, vtpote ab iisdem transfusi. Hi materiam illam pro virtute insita variè agitant: aliamque è substantia matris attrahunt, attractamque confermentant, & coagulant donec sufficiens animæ rationalis receptaculum paratū sit: & tunc ipsa infundatur: ex quo duo consequentur: *primum*, quòd ante infusionem animæ rationalis, nulla propria vitæ actio exerceatur in fœtu, sed agitatio, accretio, & coaptatio partium fiat partim ab huiusmodi spiritu seminali vicariam animæ parentum efficaciam adhibente; partim, & principaliter à Deo ipso primo, & præcipuo formatore. *Secundum*, quòd anima sic infusa non statim sentiendi functiones obeat: sed priùs vitæ duntaxat vegetalis, quemadmodum diu sola sensuum elicit munera, priusquam Rationis vsu polleat.

Quo verò die animari cœperit, sat multa diximus superiùs. Solum hic addam errare aliquos, qui dicunt fœtum esse partem matris, eique continuari. Verùm licet moraliter id dici queat, cùm secundum leges ciuiles infans in vtero Matris gestatus non reputetur alia persona à Matre; tamen Physicè id falsum est, & repugnat decretis Ecclesiæ, sancientes aliquos in aluo materna peculiari Spiritus sancti gratia fuisse præsignitos: eosque qui antequam in lucem edantur, moriuntur, æternæ dāmnationis esse reos, Repugnat id quoque rationi. quia dissectis sæpe Matribus seruantur incolumes. Habentque diuersos motus, diuersa organa, diuersas dispositiones. Neque continuantur, nisi specie tenus.

Quares quomodo anima superior inferiores includat? Respondet Aristoteles, *quemadmodum in figuris, sic & in animabus, id quod prius est, ac simplicius potentiâ in posteriori, ac superiori contineri: & vt in quadrato triangulum; sic vegetatiuum in sensitiuo*: istudque similiter in rationali. Hinc quæritur an anima superior inferiores contineat formaliter, an solum eminenter: multa hinc inde disputantur: sed quid opus est diatribis? paucis ita vel plusquam abunde rem definimus. *lib. 2. de anima t. 31.*

Duo sunt in quolibet animali sensitiuo, & similiter in planta: *primum*, natura speciei propriis differentiis, proprietatibusque distincta. *Secundum*, natura generis, prout abstractione præcisiua solum denotat principium sentiendi, vel vegetandi: hoc posito, certum est animam superiorem continere solùm eminenter naturam speciei inferiorum. Neque *vide in Log. c. 9. §. 1. discrimen abstractionis præcisiuæ à negatiua.*

enim anima hominis est formaliter anima leonis, neque equi, &c. sic neque anima leonis est anima fraxini, aut quercus, &c. neque facit ea, quæ à formis inferioribus sub illa specifica designatione proueniunt. Has tamen eminenter continent, quippe in gradu multo eminentioris perfectionis. At quoad naturam generis, certè superior inferiorem complexatur formaliter: nam anima Rationalis est formaliter principium sentiendi, & vegetandi: licet non soleat, nec debeat simpliciter vocitari sensitiua: quia vt nomine animalis solemus id intelligere, quod adiunctam habet abstractionem negatiuam rationalis, ita qui audit animam sensitiuam, sibi fingit illico genus animæ, quod rationalitatis prærogatiuam excludat: sed tolle hanc expressam negationem, cætera profecto cuncta inuenies: dat namque anima rationalis formalem gradum animalis sensitiui; itemque vegetatiui: formalis autem effectus, vnde nisi à propria forma pullulat? quid operationes formaliter sensitiuas, aut vegetatiuas eliciet, nisi principium formaliter sensitiuum, aut formaliter vegetatiuum? neque vlla obstat difficultas. Ergo.

l.7.in gen.

Capvt V.

DE VNIONE ANIMÆ rationalis cum corpore.

§. 1.

Difficultas exponitur: & quæ sint vehicula Platonis, explicatur.

DVo possunt hic in quæstionem vocari: *primum*, an anima rationalis vniatur corpori vti forma informans, an solùm vt assistens: *Secundum*, an ipsa corpusculo quodam circumuestiri debeat vt possit corpori organizato immergi.

Quoad primum Platoni adscribitur, quòd velit animam rationalem corpori, ceu gubernatorem naui circumactæ insidere, quo verò iure, dicetur infrà; huc etiam reuocatur opinio Auerrois existimantis animam intellectiuam vniri corpori per speciē intellectilem; quatenus hæc primò recipitur in intellectu possibili, & inde resilit in phantasma; atque ita iste intellectus continuatur corpori huius, vel illius hominis. Quam quidem opinionem vide copiosè discussam apud *August. Niphum in 3. lib. de anima t. 5. Soncin. 12. met. qu. 23. & seq. D. Thomam 1. p. qu. 76. art. 1. & Caiet. ibidem.* Aristoteles verò contrarium sensit, nimirum animam esse proprium actum corporis, eique intimè vitam, esse, speciemque impertiri.

Quoad secundum. Notandum est antiquis Philosophis, præsertim Platonicis hanc altè in animo sedisse sententiam, quòd animæ omnes

(cuiusmodi etiam intelligentias incorporeas, quas & Angelos vocamus, volebant designari,) quibusdam corporibus tenuissimis, & insensibilibus semper affici debuissent. Quæ doctrina etiam inter antiquiores Ecclesiæ Doctores maximè increbuit, qui, licet Angelos appellitarent spirituales, imo aliquando & incorporeos, tamen vt plurimum corpora illis accingebant, rati nihil esse præter Deum, quod tanquam corporeum circumscribi nõ possit. Maccarius hom 4. *Vnũquodque*, inquit, *natura sua corpus est, Angelus, anima, dæmon.* Cyrill. Alex. 9. in Ioan. præter Deum circumscribi cætera opinatur, *quia corpora sunt*. Hilar. in Matth. c. 5. *Nihil est, quod non in substantia sua, & creatione corporeum sit, quia omne, quod creatum est, in quo sit, necesse est.* D. Ambros. II de Abraham c. 8. *Nos autem nihil materialis compositionis immune, atque alienum esse putamus, præter illam solam venerandæ Trinitatis substantiam, quæ verè pura, & simplex, sincera, impermixtaque natura est*, &c. Quid autem intelligere solerent, cum spiritus intellectuales, vel rationales incorporeos dicerent, explicat S. Athanasius aduersus eos, qui negabant Christum esse verè hominem, ait enim Angelos dici incorporeos, quia *corpore organizato carent, membrisque corporeis, quibus videri, tangi, & comedere possint*: Et Origenes in Proœm. I. de princip. ait, *incorporeum vulgari vsu sermonis appellari, quod non est crassum, solidum, palpabile, veluti si quis dicat aërem istum incorporeum.* Ita Gregor. Nyss. orat. 12. contra Eunom. Ignem cœlestem vocat immaterialem ἄυλον πῦρ, & ibidem ait, omnem creaturã interuallari quadam extẽsione protendi, temporeque, & loco coerceri. Multa in hanc sententiam dici possunt de Angelis, sed locus id non postulat, poteritque aliàs opportuniùs, atque diffusiùs pertractari: sufficiat interim ad Eugubinum remittere *in Psal.* 103. *& Petau.* 2. *tom. dogm.* Quæ autem hactenus attulimus monstrant: antiquitus non solum in Angelis, sed etiam in animis nostris à viris illis diuinissimis, nonnihil fuisse constitutum, quod si non absolutè corpus esset, quale nostrum est ex elementis contextum, saltem aliquam cum eo analogiam haberet. An fortè materiam spiritualem excogitarunt? sed hæc extendi non potest, non circumscribi, non tempore, locisque mensurari. Quid ergo? Hæreo. Neque enim ausim illis eam opinionem adscribere, quæ animas facit corporeas, ne mortales fortè quis suspicetur, ac sese illorum authoritate tutum putet: aliunde, quæ notauimus ostendunt ipsis animas non videri penitus incorporeas? an fortè quædam corpora esse crediderunt incompatibilia, & alteriùs omnino generis, ordinisque quam nostra, quale multi putant esse empyreum; atque ex his aut aliis quibusdam eiusmodi fabricata fuisse quædam velut integumenta Angelorum, vel animarum? At quorsum hæc? Ex his certè nihil aliud possum conijcere, nisi quòd hi doctissimi Theologi Platonicos secuti, non potuerint sibi persuadere substantiam vllam finitam, & creatam existere sine aliqua circumscriptione loci potuisse, neque corpori diuisibili ad certum & limitatum spatium applicari, nisi quoddam in seipsis principium huiuscemodi li-

miratæ applicabilitatis gererent, quod præter eſſentiam eſſet, iiſque connectendi ſe cum corporibus craſſioribus, quaſi medium quoddam organum eſſet: idque inſtar ſubtiliſſimi corporis ſibi fingebant: quod forte à S. Bonau. Alex. Alenſi, Boëtio, Richardo & aliis nomine intellectilis materiæ ſuit deſignatum. Quidquid ſit, prædicti S S. Doctores in anima noſtra, vt & in Angelis aliquid ſubſtantiale concipiebant, præter puram eius eſſentiam quod ei erat principium, quaſi materiale ſeſe coextendendi corpori noſtro. Tale autem quidpiam Platonici vocabant animæ vehiculum.

Quamobrem notandum eſt ſecundo triplex à Platonicis animorum vehiculum fingi: primum vocant æthereum, in quo animi omnes à Deo facti, omnino intelligibiles ſunt, antequam in corpus deſcendant: ſecundum eſt, in quo iidem ſpiritum ab elementari aëris natura deſumunt: tertium denique terrenum, ac ſenſibile, cum animæ corpora ſibi arctiſſimo vinculo neceſſitudinis copulãt, iiſque immerguntur: Hæc tria vehiculorum genera, tribus partibus animæ ſolent accommodare ſic: prima pars, ſiue prima vis, & præſtantia eſt ipſa mens, quæ omnino intelligibilis eſt, Deoque ſimillima, ideo illi vehiculum æthereum adſcribunt: ſecunda eſt ſenſus communis, qui reliquos ſingulares ſenſus complectitur, ac ſecundo vehiculo reſpondet, quia partim materia conſtat, partim eius expers eſt: tertia ſingulares ſenſus, quibus terrena omnia percipimus, continet; & huic concinit tertium vehiculum: per hæc tria vehicula, ſic dicunt animos noſtros ad corpora, quaſi per gradus delabi. *Primò* enim, cùm à Deo creati ſunt, puriſſimi ſunt, eique ſimillimi: *ſecundò*, cum corporibus illigantur, mortalem quandam, caducamque vitam ſortiuntur, & neſcio quid craſſius adſciſcunt, quo in hæc externa & adſpectibilia corpora inclinantur: *tertiò*, dum ſeſe penitus totos corporibus ingurgitant, impuram vſque adeo vitam agunt vt in pecudes conuerſæ eſſe videantur. Hæc ſunt, quæ de vehiculis animarum à Platonicis ſcripta reperi: quibus addam poſſe his forte aliud quiddã à nobis indicari: vel enim his Plato voluit nobis tria genera dæmonum, vel tria genera animorum, vel denique tria genera operationum, ad quas concurrit anima exprimere. Dæmonas enim, i. Angelos agnouit cœleſtes, aërios, & terrenos, totidemque illis corpora diuerſa, & eiuſdem cognominationis attribuit. Rurſus cum animorum alios diuinos, alios humanos, alios belluinos diſtinxerit: primis vehiculum æthereum, id eſt, purum, ac lucidum corporis temperamentum adiudicauit: ſecundis aërium mediocriterque ſubtile: tertiis terreum ac maximè impurum: adhæc cum anima non operetur in corpore, niſi beneficio, & adminiculo ſpirituum, quo ij puriores fuerint, eò nobiliores illa operationes exercet. Denique his voluit quoque innuere animarum triplicem eſſe ſtatum; aliaſque in cœlo degere, & has æthereis vehiculis ferri; alias in craſſiſſimis locis, ſiue ſubterraneis, ſiue alibi ſcelerum pœnas luere; & has terrenis: alias in hocce adhuc ſeculo, vitalem auram ſpirare, & has aëriis vtpote purioribus affici; per vehicu-

la verò, intellige corporis organa, quibus in exercendis vitæ operationibus vtitur. Dicitur anima per illa è cœlo in corpus humanum descendere, quia ea ex influxibus ſyderum, ſed præcipuè è diuinæ prouidentiæ decretis pendent.

Hinc ergo quæritur, an anima reuera mediante aliquo corpore ſubtiliore debeat organizato corpori copulari, an verò mediatè. Diſtinguendum eſt autem duplex animæ circa corpus officium: Primum eſt, quo ipſa corpus informat: ſecundum, quo mouet, & vegetat. Primum exequitur vt forma; ſecundum vt anima: primo confertur eſſe cum ſpecie; ſecundo confertur vita cum actione. Hinc D. Thom. 1. p. q. 76. a. 7. ait quod ſi anima corpori vniretur vt motor, etiam per intermedium corpus ſubtilius illi copularetur; ſecus ſi vt forma: quod ſecundum cum ipſe teneat, merito refellit primum. *Vnde patet*, inquit, *falſas eſſe opiniones eorum, qui poſuerunt aliqua corpora eſſe media inter animam & corpus hominis. Quorum quidam Platonici dixerunt, quòd anima intellectiua habet corpus incorruptibile ſibi naturaliter vnitum, à quo nunquam ſeparatur, & eo mediante vnitur corpori hominis corruptibili: quidam verò dixerunt, quod vnitur corpori mediante ſpiritu corporeo: alij vero dixerunt, quòd vnitur copori mediante luce, quam dicunt eſſe corpus, & de natura quintæ eſſentiæ, ita quod anima vegetabilis vnitur corpori mediante luce cœli ſyderei: anima vero ſenſibilis mediante luce cœli cryſtallini; anima vero intellectualis mediante luce cœli empyrei: quod fictitium & ſenſibile apparet: tum quia lux non eſt corpus; tum quia quinta eſſentia non venit materialiter in compoſitionem mixti, cum ſit inalterabilis, ſed virtualiter tantum: tum quia anima immediatè corpori vnitur, vt forma materiæ.*

Cæterum illud quod ait de luce ſyderea explicari ſolet dupliciter: *Primo*, de ſpiritibus verè igneis, lucidiſque: *ſecundo*, de quadam illuſtratione metaphorica, quæ ſolùm actum, ſeu vigorem vitalem ſignificet. Primum optimè S. Bonau. in 2. d. 17. q. 2. declarat, tres opiniones ea de re proferens: *primam* eorum, qui dicebant naturam cœleſtē verè ingredi conſtitutionem corporis humani, eo quod eam ab igni noſtrate non diſtinguerent: *ſecundam* eorum, qui quintam eſſentiam incorruptibilem admittentes, dicebant nihilominus eam in conſtitutionem humani corporis venire, non quidem vti vnum ex elemētis, ſed vti ſolum medium ligans omnia elementa & illa concilians: *tertiam* eorum, qui dicunt naturam cœleſtem ingredi duntaxat fabricam, & texturam corporis noſtri ſecundum virtutem, & conformitatem, non verò ſecundum ſubſtantiam & veritatem: primam reprobat: ſecundam probabilem putat: ei tamen tertiam præfert: Primo, quatenus *virtus ſtellarum, & orbium influendo facit elementorum conciliationem, quæ veniunt ad humani corporis cōſtitutionem:* ſecundo, quatenus *vocatur natura cœleſtis illud, quod eſt conforme cœlo, & in ſubtilitate, & in claritate, & in quadam ſubleuatione à contrarietate. Et per hunc modum ſpiritus, qui ſunt de conſtitutione corporis viuentis, & maximè humani, dicuntur eſſe natura cœleſtis propter ſubtilitatē, & luminoſitatem. Et propter hoc etiam, quod ſubleuationem habent à natura contrarietatis*, id eſt, ob ſubtilitatem non conſtant contrariis eos

dissoluentibus: *dum consurgunt ex commixtione elementorum in quadam harmonia, & consonantia, & quoniam in corpore humano maior est harmonia, quam in aliquo corpore mixto; hinc est quod eius calor & spiritus, & complexio magis conformantur natura cœlesti*, &c.

Quoad secundum de illustratione, recolendum est, quod diximus in Phys. c. 14. § 2. de actu vitali, quo anima corpus viuificat. Huiusmodi actus substantificus, & vegetalis, ac efficax nomine illuminationis solet à Platonicis exprimi: *primò*, quia sicut lumen est à cœlo, sic ille actus ab anima: *Secundo*, sicut lumen licet receptum in materia, vocatur tamen spirituale, consistitque in perenni emanatione à solari suo principio, vnde per modum actionis fluentis illuminatio quoque dicitur, sic actus ille, licet in corpore receptus, tamen spiritualis est, ab anima iugiter fluens, sicut actus lucendi à luce ipsa, & ab ea solum pendens: *tertio*, lumen non habet contrarium, nec successiuè producitur: sic actus ille: *quarto*, quia sicut à lumine dimanat calor viuificus: sic ex actu illo vitali prodit vis generandi, vegetandi, conseruandi, sentiendi, &c. His positis.

§. 2.

Quid secundum veritatem tenendum sit.

Habetur Clement. vnica de S. Trinit.

CONCLVSIO PRIMA: Anima intellectiua secundum substantiam suam ac per se vera forma informans est, & non assistens tantum. De fide illam esse inficiari non possumus, cum sic definiatur in Concil. Viennensi sub Clem. V. *Porro omnem doctrinam, seu positionem temere asserentem, seu vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis, siue intellectiua verè, ac per se, & essentialiter non sit forma humani corporis, tanquam erroneam & inimicam veritati, & Catholicæ fidei, sacro approbante concilio, reprobauimus.* Et mox, *qui oppositum defendere, vel tenere pertinaciter præsumpserit, tanquam hæreticus censeatur.* Hæc definitio rursus in Concil. Lateran. sub Leone X. Sess. 8. relata & confirmata fuit: & priùs in alio Concil. Lateran. sub Innoc. III. definitum quoque fuerat *naturam humanam constitui ex corpore & spiritu*, iuxta id quod in Symbolo S. Athanasij dicitur, *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.*

Probatur item ratione naturali, quam affert D. Thom. 1. p. q. 76. a. 1. Id quo corpus viuit formaliter, vegetatur & formatur, est verè forma corporis. *Manifestum est autem quod primum, quo corpus viuit, est anima. Et cum vita manifestetur secundum diuersas operationes in diuersis generibus viuentium, id quo primo operamur vnumquodque horum operum vitæ, est anima: anima enim est primum, quo nutrimur, & sentimus, & mouemur secundum locum, & similiter, quo primo intelligimus. Hoc ergo principium, quo primo intelligimus, siue dicatur intellectus: siue anima intellectiua, est forma corporis.* Hæc est ratio S. Thomæ, quæ si bona est, vt profecto

cto est optima, conuincit etiam ex sententia Platonis animam rationalem & immortalem esse quoque propriam hominis formam: en enim quomodo loquatur ipse in Phœdone. *Ecquidnã illud est, quod si in corpore fuerit, corpus viuum efficitur? anima, inquit: nonne id semper ita habet? quidni, inquit? anima ergo quidquid illud sit, quod ipsa complectatur, semper ei ipsa vitã affert.* Idem repetit vbique alibi præsertim in 10. de legib. vbi insuper clarè ait animam esse primum illud principium quo mouemur, nutrimur, augemur, sentimus, dolemus, intelligimus, &c. vti iam constat ex alibi dictis, & in Phœdro ait *animus & corpus, animal vocatur*, loquitur autẽ de animo immortali. At in Epinomide sic de homine loquẽs ait, *hominẽ animal verissimè dici secundum naturam affirmamus, quum vna animi & corporis constitutio ita in vnum conuenit, & coalescit, vt vnam pariat formam.* Et mox: *huiusmodi ergo quidpiam optimè appellatur animal ..... non enim aliud quidquam est quod incorporeum esse queat, & omnino expers coloris, præter diuinissimum illud reuera animi genus. Hoc verò ferè est, cui soli formandi, necnon & esse atque speciem conferendi ratio competit: (corpori enim proprium ac peculiare, vt formetur, & recipiat esse, & videatur, &c.* Denique in decimo de leg. tres modos distinguit, quibus mens possit corpus afficere. *Primum*, quo intimè illud penetrans totum illud vndique circumagat: *Secundum*, quo intrinsecus assistens, per corpus igneum vel aërium, quasi vi quadam externa illud impellat: *Tertium*, quo nuda omni corpore per mirabilem, & arcanã vim suæ naturæ inditam omni corporea facultate sublimiorem, ipsum è vestigio circumducat. Ex his autem primum animo nostro attribuit. Falsum ergo est, quod illi solet imponi, quod anima nostra sit in corpore, sicut nauta in naui: figmentum enim istud egregiè Plotinus refutat Enn. 4. lib. 3. c. 21. hac vel maximè ratione: *Si tanquam nauigator accipiatur, secundum accidens, aderit gubernator, sin autem vt gubernator duntaxat, quomodo id conueniet? Non enim in tota naui est, sicut anima est in toto corpore: sed nunquid ita dicendum? sicut ars instrumentis inest, velut in gubernaculo; si fortè esset gubernaculum animatum; adeo vt gubernatoria virtus intus sit artificiosè mouens: sed in hoc saltem differentia est, quoniam ars eiusmodi ab extrinseco pendet.* Anima ergo ideo peculiariter vnitur corpori vt forma, quia sit corpori principium intrinsecum se mouendi, & operandi, vnitum illi per se, ac per essentiam, & cum illo concurrens ad vnum animal cõponendum. Quod enim ita se habet, forma est; anima sic se habet. Ergo. vide D. Thom. q. cit. a. 1. vbi probat copiosè duo hæc: *primum*, quòd ipse homo reuera sit, qui intelligit: *secundum*, id non dici, nisi anima, qua intelligit, vniatur vt forma corpori ad constitutionem vnius, eiusdemque suppositi, quod est homo, qui intelligit.

Obiicies, forma, quæ dat esse corpori; est finis generationis ex Arist. 2. *Phys. t.* 70. atqui anima rationalis non est eiusmodi: etenim finis generationis ex eodem Arist. 2. *Phys. t.* 14. est natura: sed ex eod 1. *de part. animalium*, anima intellectiua non est natura: Ergo. Resp. ad Ma. formam eiusmodi esse terminum generationis, non simpliciter, vt per se:

est, sed vt vnitur: in quo sensu nego Mi. & eius probationem.

CONCLVSIO SECVNDA: Anima vt forma immediatè per suam substantiam vnitur corpori sine alio vllo intermedio. Ita D. Thomas, & omnes Theologi. Ratio Diui Th. sufficiet. *Sic di tur*, inquit, *aliquid vnum, quomodo ens: forma autem per seipsam facit rem esse in actu, cùm per essentiam suam sit actus, nec dat esse per aliquod medium: vnde vnitas rei composita ex materia, & forma est per ipsam formam: quæ secundum seipsam vnitur materiæ, vt actus eius: nec est aliquid aliud vniens, nisi agens, quod facit materiam esse actu, vt dicitur in 8. Met.*

Confirmatur primo, ex materia & forma fit vnum per se: ergo, ante formæ vnionem nullus alius actus præcedere potest, alioquin is forma propriè diceretur, non subsequens: *secundo*, materia recipit actus omnes posteriores ordine conueniente, & non perperam. Ergo, id quod est simpliciter primum in actibus, propriè etiam debet recipi in materia: sed anima vt forma, est primum in actibus: Ergo, &c. Eo tamen non excluditur illa illuminatio substantialis, de qua supra: pertinet enim hæc ad effectum formalem talis vnionis: siquidem vt ex vnione ignis cum ferro resultat in eo actus ardendi: sic ex intima coniunctione animæ cum corpore necesse est in eo resultare actum vitalem & animalem.

Præterea ex hac vnione immediata infertur esse in anima quidpiam commensuratum, & affine corpori, quod reuera non est in Angelo, atque inde oriri sympathiam naturalem, quæ animam inter & corpus eius existit, ratione cuius & inclinatur in illud, & eius passionum particeps fit: denique per illud sic connectitur corpori, vt ea connexio verè à causis naturalibus, sydereisque influxibus, ac fato illo, cui cætera subduntur corpora, verè pendeat: vt eleganter quamquam Poëticè Plato docet in Timæo, Phœdro, &c. ex quo etiam veteres quidam Zamolxidis, & Zoroastris sectatatores occasionem sumpsere dicendi sicut est apud Platonem in Charmide, omnia siue bona, siue mala in corpus ab anima influere, sicut oculorum qualitas fluit à cerebro, & cerebri à toto corpore: vnde vt oculi curari non possunt, nisi curetur cerebrum; neque cerebrum, nisi corpus vniuersum: sic vix corpus totum posse bene valere, nisi anima bene habeat. Sed congruentiùs Plato in 3. de rep. ait *curandum esse corpus ob eam, quam habet anima cum ipso harmoniam: per corpus enim viuere nobis licet, ac rectè viuere.* Quod equidem, si modo vt virum probum decet, intelligatur, rectissimè dictum existimo. His adde quod tam crebrò repetit Aristoteles, quòd animæ vt plurimùm sequantur corporum temperamenta: quamobrem nihil il'a sympathia potest esse compertius. Quid autem illud sit, quo sic anima vergit ad corpus, eique tam amicè consentit, paulò explicatu difficilius est: dici tamen potest esse ipsam animæ substantiam, non secundum quod diuino suo exemplari, quod Deus est, congruit; sed secundum quod à perfecta spiritualis substantiæ hypostasi, & constitutione deficit, & diuiduæ, ac corporalis naturæ adhuc qualitatem, vim, & radicalem quandam affectionem gerit. *Quod igitur*, inquit Plotinus, *in Timæo*

dicitur, animam essentia quadam indiuidua, & quadam circa corpora, diuisibili esse compositam, idem est, ac si diceretur, animam essentia quadam constare, partim quidem apud superos permanente, partim verò ad inferiora vergente: quæ quidem simul, & inde pendeat, & se interim ad hæc vsque propaget; non aliter, quam ex centro linea protendatur.

CONCLVSIO TERTIA, Anima rationalis vnitur corpori vt anima, & vt motor mediante corpore subtilissimo. Ita S. Bonau. & Alex. Alensis: estque expressa sancti Augustini sententia: *Non est quidem humanæ animæ natura, nec de terra, nec de aqua, nec de aëre, nec de igne quolibet: sed tamen crassioris corporis sui materiam, hoc est humidam quandam terram, quæ in carnis versa est qualitatem, per subtiliorem naturam corporis administrat, id est, per lucem, & aërem: nullus enim sine his duobus, vel sensus in corpore est, vel ab anima spontaneus corporis motus. Anima ergo, quoniam res est incorporea, corpus quod incorporeo vicinum est, sicuti est ignis, vel potius lux & aër, primitus agit: & per hæc cætera, quæ crassiora sunt corporis,* &c. Hoc idem confirmatur ex D. Thoma cit. *Si anima,* inquit, *corpori vniretur, vt motor, conueniens esset dicere, quod inter animam hominis, vel cuiuscumque animalis & corpus, aliqua alia corpora interuenirent. Conuenit enim motori aliquid distans per media magis propinqua mouere.*

Confirmatur secundo, quoniam ex Arist. 2. de gen. anim. in nobis est calor igneus, & calor cœlestis. Ad hæc videmus in cæteris seruatum à Deo hunc fuisse ordinem, vt suprema non vniantur infimis nisi per media. Id autem maximè congruit experimento, quo constat nullam ab animis in corpore actionem peragi, nisi administris spiritibus subtilissimis, igneisue, necnon & rutilantibus. Ergo. His adde authoritatem Aristotelis, qui cum *in 2. de Gen. anim. c. 3.* ait in semine spiritum, & in spiritu naturam contineri, quæ proportione respondet elemento stellarum, apertè significat spiritum hunc inter corpus & diuinam illam naturam, quasi commune quoddam vinculum interponi: & Alex. Aphrod. ait huncce spiritum maximè idoneum esse vinculum ad naturas aduersas interiectu suo conciliandas & continendas.

Interim notes hic peruelim, id quod peculiariter animaduertit S. Thom. 1. p. q. 76. a. 1. formam quamlibet quantò nobilior est, tantò magis dominari materiæ corporali, ita vt operationes eliciat minus ab ea dependentes: minusque communes, atque plus simplicitatis, puritatis, & efficacitatis spiritus participantes: hoc in plantis supra inanimata, in animalibus supra plantas; denique in homine supra animantes euincitur. Verùm id adhuc lubet ex Alex. Alensi paulò manifestiùs illustrare hoc modo: formæ omnes sunt elementaris, vegetatiua, sensitiua, rationalis: discrimen inter illas est huiusmodi: prima perficit materiam suam, eiusque partes singulas eadem, ac homogenea qualitate: quælibet enim pars ignis ex æquo essentialiter ignis est: secunda, nempe vegetatiua non sic: incipit enim hæc heterogeneam inducere perfectionum supellectilem, dum non quælibet pars plantæ planta est. Idem *p. 2. q. 64. in 4.*

quoque ſenſitiua efficit, ſed tamen eo ab illa differt, quod non omnes ſuas partes ex æquo reddat ſentientes, ſicut illa omnes ex æquo ſuas vegetat: ſingulæ quippe partes arboris viuunt, creſcunt, nutriuntur: non omnes verò animalis partes ſentiunt, non omnes imaginantur, &c. Adhuc operationes vegetatiuæ naturali quadam neceſſitate continuantur, neque poſſunt à planta nunc interponi: aliàs elici, &c. Ac non ſic ſemper ſentit animal: nunc videt, mox comedit: quandoque dormit, &c. hæc non liberè, fateor, agit; ſed ſponte, ſed quia ſic delectat operari. Anima demum intellectiua cæteris tantò ſupereminens, quantò ſpiritus diſtat à corpore, nullam corporis partem reddit intelligentem: non defectu virtutis, ſed prærogatiua dignitatis. Prima omni ſua operatione cum omnibus partibus ſuæ materiæ ſemperque communicat: ſecunda, omni quidem communicat & ſemper, ſed non cum omnibus: tertia, omni communicat, ſed nec cum omnibus, nec ſemper: quarta neque cum omnibus, neque ſemper, neque omni. Eſſe quidem communicat æqualiter toti, ac partibus, vt forma naturalis; vegetandi actum omnibus, ſed non æqualiter, vt anima vegetatrix; vim ſentiendi aliquibus vt ſentiens; vim intelligendi denique nulli. Propter eſſe, quod dat, debet eſſe virtute diuiſibilis, nec requiritur vt ſit indiuiſibilis, propter vim ſentiendi, & vegetandi debet eſſe indiuiſibilis actu, & diuiſibilis virtute, propter vim intelligendi debet eſſe actu indiuiſibilis, neque requiritur, vt ſit virtute diuiſibilis,

§. 3.

Quæſtiones aliquot expediuntur.

QVÆRES an anima intellectiua ſit forma corporis reduplicatiuè, vt eſt intellectiua. Magnis hac de re authores contentionibus digladiantur: ſed quorſum? Quæſtio de nomine eſt, dum conſtet eam ipſã animam quæ verè intellectiua eſt, per ſuam ipſam ſubſtantiam informandi munus implere, quid aliud quærimus? Paucis, hac reduplicatione video deſignari potiſſimum principium radicale intelligendi à quo formaliter homo denominatur rationalis & ſpeciem ſumit ſuam; vel principium formale & proximum intelligendi, quo fit actu ratiocinans, vel intelligens: primo modo eſt forma hominis, quia hoc modo ſpecificat hominem: ſecundo modo non eſt forma, quia ſignificat formaliter potentiam materia ſuperiorem, & ab ea penitus independentem,

Dices, non poſſe in corpore quidquam notari, quod per ſe deriuetur ab anima quatenus eſt principium radicale intelligendi. Ergo illa ſub hac ratione non informat. R. Nego Ant. quia eſſe illud ſpecificum rationalis compoſiti, hinc reſultat. Adde locutionem, riſum, admirationem, &c. inde quoque emanare. *Inſtabis*, anima intellectiua, vt ſic, eſt ſeparata à corpore, eiuſque capacitatem ſupergreditur, neque dat eſſe intellectiuum corpori, quippe cuius recipiendi eſt incapax. Reſp. hæc

esse falsa de intellectiuo primi generis, vera de secundi: quia intellectiuū sumptum pro principio radicali, est quidem separabile, sed non separatum: contradit homini, (esto non corpori,) esse rationale: supergreditur naturam corporis prærogatiuâ dignitatis; non informandi potestate. Superior est corpore vt spiritualis: ipsi aliunde proportionata, vt anima.

At inquies, quomodo essentia esse potest actus corporis, eique quodammodo commensurata, si potentiæ illius nequeant per corpus exerceri? facultas enim quælibet non potest esse abstractior, eleuatior, & spiritualior essentiâ, cuius est virtus. Resp. hanc obiectionem impetere primam conclusionem potiùs, quam vltimæ quæstionis decisionem: facile tamen soluitur adnotando non esse imperfectionem in anima, quòd possit perficere, atque informare corpus: quia sic eleuat solum corpus ad suum esse: secus defectus non leuis est operationi, quòd exerceri non possit sine corpore: quia hoc modo foret accidens corporis, & deprimeretur ad esse corporis, sicut omne accidens ad esse subiecti declinare cognoscitur: deinde quòd ab aliqua forma possit elici actio merè immaterialis, hoc ex illius excellentia, qua corpus supereminet, prodit: ideo in hoc intellectio non est nobilior, neque abstractior anima: quandoquidem huius immaterialitas radix est & causa, cur effici ab ea possit actio non dependens à corpore, quódque potentias habeat ab eius legibus omnino exemptas. Paucis, intellectus, & intellectio sunt abstractiores anima, quatenus præcisé est forma corporis, non verò quatenus est spiritus independens à corpore.

Qværes secundo, an esse quod anima dat corpori, aliud sit ab eo, quo ipsa subsistit. Resp. haudquaquam. Etenim non potest multiplex *esse per se* in eo quod est *vnum per se* reperiri: neque aliunde composito substantiali esse contradi, nisi à forma substantiali: vt diximus in Phys. c.5.§.2. illatione 3. Quamobrē illud esse, quo existit homo, idipsum est, quo anima existit in homine, sed hoc ipsi peculiare accidit, quòd cū *esse* in cæteris cōpetat ipsi composito immediatè, ac per se; formæ verò, secundariò ac per compositum: hic secus, *esse* primò animæ intellectiuæ, tum eius participatione, composito conuenit, vt diximus suprà cap. 1. §.2. arg. 2. ideo ipsa per se subsistens est, ac separabilis.

Quid ergo, an non ipsa humani suppositi pars est? an non in ipso existit? quomodo ergo per se subsistit? si dicas subsistere *vt quo*, contra, an non eodem modo cæteræ formæ, *vt quo* subsistent? an non anima creatur, *vt quod*, cur ergo non subsistet vt quod? hoc autem si dixeris, quomodo non erit ipsa suppositum? Resp. hic agitari quæstionem de nomine: quam abunde soluit S. Th. 1. p. q. 75. art. 2. ad 1. & 3. *quod dicitur hoc aliquid, siue subsistens, potest accipi dupliciter, vno modo pro quocumque subsistente: alio pro subsistente completo in natura alicuius speciei: primo modo excludit inhærentiam accidentis, & formæ materialis: secundo modo excludit imperfectionem partis: vnde manus posset dici hoc aliquid primo modo, sed non secundo modo. Sic igitur, cum anima humana sit pars speciei humanæ,*

potest dici hoc aliquid primo modo, quasi subsistens, sed non secundo modo: sic enim compositum ex anima & corpore dicitur hoc aliquid. Ita vides animam verè per se subsistere, eò quod esse sibi proprio immediatè, ac secundum se verè existat, possitque sola, & extra compositum existere: sed tamen dici solum subsistere, *vt quo*: quandiu est pars compositi, cui soli conuenit, per se, atque *vt quod* subsistere, sicut ei conuenit agere, pati, generari, vel corrumpi *vt quod*. Neque certè sic forma materialis subsistit, *vt quo*, tum quia non habet esse primò, & per se ac sibi proprium: sed secundario, & per compositum: 2. quia illud esse pendet à materia, non solum conditione originis; sed necessitate eductionis: quamobrem existere potius *vt quo*, quam subsistere dici debet: & adhuc existere participatione, non proprietate. Esto etiam dicatur anima creari, *vt quod*: quid inde? prius enim naturâ creata fuit, quam esset in corpore: & creata item est non vt pars, sed vt totum; non vt vnita, sed vt sola: neque suam creationem communicat corpori, neque eam terminat, vt est in corpore: sicut modo suum esse illi communicat: & suum intelligere in illo exercet: Ideo quod ex hac, & illo constat, verissimè modo dicitur, vt intelligere, sic vel à fortiori, per se subsistere, *vt quod*: at creari, nullo pacto.

QVÆRES tertio, an anima sit in toto corpore. R. affirmatiuè contra Alb. Magn. lib. 2. de anima c. 7. qui existimat animam in sola quadam corporis parte residere, ita vt sicut Rex ex Basilica sua regnum per administros regit: sic per spiritus animales, aut vitales ipsa totum corpus moueat, vegetetque: *sed contra*: totum corpus viuit, & quidem intrinsecè. Ergo totum corpus intrinsecè animatur: vide *D. Thomam 1. p. q. 76. art.* 8. Neque valet Alberti obiectio, dicentis fore, vt si partes singulæ intrinsecè animentur, singulę quoque dici animalia debeant. Negamus enim hoc sequi, quoniam hæc appellatio soli cõuenit toti ex corpore organico, & anima conflato. Quòd si Aristoteles lib. de motu animali cap. penultimo videatur dicere animam non in toto corpore, sed in vna solum parte commorari, Resp. eum non de anima, sed de virtute motrice tantùm, vel de principali parte intelligi oportere.

Notandum interim hic est, quod ait Plotin. Enn. 4. lib. 3. animam non esse propriè in corpore: quia ei neque vt in vase, neque vt in loco, inest, quia ex hac vnione corpus non animaretur; sicut non animatur ex eo quod Angelus in eo loco localiter sit; neque vt in toto, quia non est pars corporis: neque vt species in materia, quæ videlicet ab ea sit inseparabilis, aut sicut natura in supposito; neque vt gubernator in naui, quia solum per accidens ei inesset. Omne contentum pendet à continente, vel vt à conseruante, vel vt à determinante, vel vt à sustentante, vel aliter: nihil autem tale anima recipit à corpore, quin illud potius fouet, perficit, actuat, & consequenter continet: quod volens Plato significare dixit in Timæo, Deum tetendisse animam per totum corpus, ita vt illud etiam exteriùs ambiret. Verùm quia nobis non innotescit anima nisi per actiones corporis, ideo solemus dicere animam esse in

corpore, scil. sicut inclusum in includente. Propter has rationes oportet etiam dicere in Deo potius esse mundum, quam in mundo Deum.

QVÆRES quarto, an & quomodo anima rationalis naturaliter inclinetur ad vnionem cum corpore. Respondet *D. Th. 1. p. qu. 76. ar. 1. ad 6. Quòd secundùm se conuenit animæ corpori vniri: sicut secundum se conuenit corpori leui esse sursum. Et sicut corpus leue manet quidem leue, cùm à loco proprio fuerit separatum, cum aptitudine tamen & inclinatione ad proprium locum: ita anima humana manet in suo esse, cùm fuerit à corpore separata habens aptitudinem, & inclinationem naturalem ad corporis vnionem.* Et meritò quidem, diximus enim suprà inesse animæ naturalem quandam sympathiam cum corpore, inde ortam, quod ipsa tendat ad componendam cum corpore vnam speciem creaturæ rationalis, ideo ipsa imperfecta effecta est, perficienda scilicet per hancce speciem ad quam naturaliter, imo & essentialiter ordinatur: propterea contemperata fuit corpori regendo, atque viuificando: quamobrem eius essentialis perfectio pendet ab eo statu, in quo ipsa non aptitudine solùm, sed in actu secundo humanam conflat speciem, corpusque viuificat: in eoque, ac per illud vires animales & viuificas, quas in ordine ad illud accepit, exercet: Adde si vis, (haud enim refragabor,) naturaliter illam non potuisse species, intellectioni obsecuturas aliùnde venari, quam à sensibus: id quod saltem de speciebus singularium, rerumque corporearum verum est, sine quibus vix quidquam animus noscit: Ob hæc igitur inest, proculdubio, animo naturalis ad corpus inclinatio. Ergo, inquies, separata vim patitur, amicum semper corpus exoptans: cuius tamen copulam nullis vspiam naturæ viribus poterit restaurare. Quam inutilis ille tunc esset instinctus? Cur institutor naturarum Deus vel animam sine hoc affectu non condidit, vt non in æternum vim pateretur; vel corpus illi æternum non coaptauit? Resp. vim pati quidem animam, sed spe recuperandi corpus, quod amisit, deliniri; nullisque, fateor, naturæ viribus corpus illi suum restituetur: sed oportunis aliunde mediis defectum hunc conditoris prouidentia resarciuit. Hominem enim faceret inexterminabilem: sed sua se culpa mortalem fecit: & quemadmodum, qui manum sibi abscidit, aut oculos exsculpsit, naturali tamen desiderio semper hæc membra postmodum expetit, quæ naturaliter recuperari possunt nunquam: sic non mirum si anima ita semper desideret corporis copulam, tametsi hæc nusquam foret reparanda: reparabitur tamen: sed non sine miraculo: Ideo vt in moralibus diximus naturali nos teneri desiderio beatitudinis supernaturaliter solùm obtinendæ, ita non incongruum videri debet si dicamus animam corpori semper affectu naturali manere coniunctam, cui solâ Conditoris omnipotentiâ poterit quoad realem effectum reüniri.

§. 4.

Vtrum animarum inæqualitas ex vnione ad corpora oriatur.

QVÆSTIO eſt an omnes animæ ſecundum ſubſtantiam, & intrinſecè ſint æqualis perfectionis necne: Grauis hæc ſane inter Authores concertatio eſt: & duæ ſunt oppoſitæ ſententiæ: prima cenſet animas omnes ſecundum ſe pares eſſe: neque vnam dici poſſe alteri à meliorem, ſeu nobiliorē, neque per ſe præſtantioribus facultatibus ornatam eſſe: ſed ſi quid excellentiæ, ac diuerſitatis occurrat, vt reuera occurrit plurimum, id omne à varia corporum affectione, diuerſiſque organorum temperamentis proficiſci: ſecunda ſecus cenſet animas omnes pro varia indiuidualium proprietatum diuerſitate diuerſas quoque perfectionū prærogatiuas, vel defectiones ex prima ſui conditione gerere. Pariſienſes Theologi olim hanc ſecundam publico decreto confirmarunt: & primam vt erroneam condēnarunt, *Quoniam*, inquiunt, *aliàs anima Christi non eſſet perfectior, quam anima Iudæ.* Toletus contrà, primā tanto ſtudio amplexus eſt, vt ſecundam temerariam & periculoſam affirmarit: ſed immerito vtraque ſententia ſic ſuggillatur. Vtrimq; à grauiſſimis Doctoribus propugnatur. Multi vtramque probabilem autumant: & verè difficillimum eſt quidquam certi hac de re perſentire. Quin imo de D. Thoma haud clarum eſt quid nos oporteat exiſtimare: Eiuſque diſcipuli diſſident. *Caiet. Bann. in hanc q. 85. Capr. in 3. d. 32. Ferrar. in lib. contra Gent. c. 3. & alij*, ſecundam adſcribunt S. Doctori, & ſequuntur. *Soncin. 8. met. qu. 2. Soto cap. 5 de ſubſtant. &c.* contrarium arbitrantur. Quamobrem cuique liberum ſino, vt quod ſibi lubuerit, eligat: ſolum quod probabilius mihi viſum fuerit, ediſſeram.

in 2. de animal. q. 18.

CONCLVSIO: Probabilius mihi videtur, quòd animæ quandam ex ſe perfectionis inæqualitatem habeant. Dico *ex ſe*; quia, quin aliæ ſint aliis perfectiores, vel ob nobiliorem organorum diſpoſitionem, aut ob qualitates acquiſitas & ſimilia, nemo eſt, qui dubitet: ſolùm quæſtio eſt de perfectione intrinſeca: an hæc inæqualis ſit in diuerſis. Id non demonſtrari quidem, ſed vt probabilius approbari poſſe conuenienter exiſtimo. Primò id ſuadet S. Thomæ authoritas, qui q. cit. ait, *vnus alio poteſt eam rem meliùs intelligere, quia eſt melioris virtutis in intelligendo.* Idem alibi ſæpe ait animas ex ſe commenſuratas eſſe corporibus, & perfectiores etiam ordinari ad nobiliorem materiam: *Secundo*, hæc ratio me multum ſemper affecit, quòd cuicumque indiuiduo, ex proprietate differentiæ indiuidualis neceſſe ſit aliquid boni competere, quod reliquis commune nō ſit: ita vt hoc nonnihil de idea ſuæ ſpeciei participet, quo caret aliud: ſic enim infinita diuinæ bonitatis participibilitas meliùs in creaturis exprimetur. Id autem euidenter apparet in rebus corpor-

1 p q 85 a. 7. in 2. cont. Gent. c. 18. in 2. d. 2. & 3. & 6.

poreis & manifestis, in stirpibus, in animalibus, in metallis, &c. singulis indiuiduis propria quædam efficacia, efficaxve proprietas competit, quæ necessariò substantialem quandam formarum inæqualitatem sub eadem specie demonstrat: quidni dicemus idem de indiuiduis rerum spiritualium, atque adeo animarum? Atqui omnes perfectiones quæ à Deo proueniunt, quæque ad demonstrandam infinitam bonitatis illius exuberantiam ordinantur, debent sibi mutuo maioris vel minoris perfectionis ordine correciprocari, vti de speciebus diximus in Phys. cap. 32. §. 3. sub finem: sic enim multò fœcundior, & mirabilior effulgebit communicatio diuinæ bonitatis: sic omnes species, atque indiuidua, quæ sunt in vniuerso congruentiorem harmoniam exhibebunt: & speciem multò pulchriorem: sic faciliùs explicabitur, quomodo verum sit animam Christi, non solum extrinseco gratiarum ornatu, sed internæ nobilitatis prærogatiua sine comparatione perfectiorem anima Iudæ fuisse. Et quomodo item vni à natura mentis sagacitas: alij subtilitas: prudentia huic; tarditas alij & similes competant: tot enim sunt, ac tam diuersæ ingeniorum dotes, vt pene incredibile sit, eas ex sola corporis constitutione posse deriuari: Sic & illud Salomonis, *sortitus sum animam bonam* facilius intelligemus, &c.

Qui tamen contrà sentiunt, hæc opponunt: in primis S. Augustini aliquot textus afferunt *ex* 10. *lib. in Gen. cap.* 7. *&* 83. *qq.* 4. sed perperam: in iis enim ne verbum quidem vllum est, ex quo valeat illorum sententia comprobari: ibi enim solùm agit aduersus eos Hæreticos, qui dicebant animas alias esse naturâ bonas, alias naturâ malas, eamque differentiam bonarum & malarum animarum procedere ab aliquo principio præcedente voluntatem nostram: quod certè hæreticum est: neque profectò quidquam tale asserimus: absit enim.

Deinde obiiciunt: ea quæ differunt perfectione formali, differunt specificè: atqui differentia hæc animarum foret differentia formalis: esset enim differentia formarum. Ergo. Respondet D. Thomas, *quod differentia formæ, quæ non prouenit, nisi ex diuersa dispositione materiæ, non facit diuersitatem secundum speciem, sed solum secundum numerum.* Quibus verbis arbitror cum Bannez & Caiet. S. Doctorem solùm velle, quòd differentia formarum, orta ex proprietatibus indiuidualibus, quæ quidem desumuntur per ordinem ad materiam, non variet speciem: & hoc verissimum est. Quamobrem alia est perfectio essentialis; alia indiuidualis: illa verè numeris comparatur: & mutata mutat speciem: ista verò intra speciem multiplicabilis est iuxta numerum indiuiduorum, prout scil. latitudo quædam infinita perfectionum continetur in participatione diuinæ bonitatis secundum quamlibet cuiusque ideam, speciemque Archetypam. 1. p. q. 76. a. 1. ad 3. 8. met. t. 10.

Dices: si diuersitas animarum prouenit ex diuersa dispositione materiæ, sequitur eam esse solùm extrinsecam, vti volebat prima sententia. Resp. hanc diuersitatem prouenire posse ex dispositione corporis dupliciter; *primo*, tanquam ex principio: *secundo*, tanquam ex termino

connotato: si primo modo ab ea proueniret, hæc verè causa diceretur, cur animi sic differunt: & tunc diuersitas hæc illis extrinsecè conueniret, vt voluit prima sententia: si verò secundo modo, solùm sensus est animas eatenus differre perfectionibus internis, quatenus numero differunt: quia enim differunt numero, quatenus Deus illas creando, commensuratas esse voluit diuersis corporibus; sic eas etiam diuersarum perfectionum fecit esse participes, & hypostaticis characteribus insigniuit, propter quas diuersa quoque corpora diuersis dispositionibus ornata ex ipso creationis momento exigunt: sic Deus est causa huius varietatis: materia vero terminus: finis denique, diuinæ bonitatis manifestatio.

CAPVT VI.

DE ANIMIS BRVTORVM.

§. I.

Quid sint.

PRÆCIPVA quæ ad animam rationalem attinebant, quantum Deus fauit, expediuimus. Restat vt pauca de animis brutorum expendamus. Præcipua dubia sunt hæc; *primum*, an sint formæ distinctæ à corpore. *Secundum*, an sint immortales. *Tertium*, an sint indiuisibiles. *Quartum*, quot earum sint genera.

Quoad primum, Notandum est eos omnes, qui formas substantiales abnegant, consueuisse solis ex atomis animantes quoque omnes contexere: vt nihil anima earum sit, præterquam corpusculorum talis aut talis connexio, & symmetria. Ita *Sebastianus Basso, Gassendi, Cartesius, &c.* verum præter rationes, quibus iam pluries probauimus dari formas substantiales, hoc solum in præsentiarum addere sufficiet: non minùs efficax est atomorum conformatio in homine, quam in bruto, & planta: sed illa conformatio in homine nequit esse principium primum internum motuum sensûs, & vegetationis: tale enim supra demonstrauimus esse animam ipsam rationalem. Ergo etiam in brutis & plantis præter conformationem corporis, requiritur aliud quoddam principium primum internum, quod quantum ad hasce vitæ vel sensionis functiones correspondeat animæ rationali: ad hæc ipsi duo effugia tenentur adhibere, quæ si non hæretica, certè maximè temeraria, & perabsurda sapiens nemo non iudicabit: *primum* effugium est, quod operationum & proprietatũ, quæ competunt viuentibus, solus Deus author sit, ac principium: *Secundum*, quod in homine aliud sit principium sentiendi, & aliud intelligendi. Illud mortale, atque corporeum; istud verò solum

immortale: ita distinguunt in homine animam sensitiuam ab anima rationali: sed hoc reiecimus suprà vt erroneum, primum refellimus similiter in Phys. cap. 21. §. 1. Illud idem figmentum, quòd anima sit textura corpusculorum, inferiùs adhuc dissoluemus, cum probabimus formas viuentium indiuisibiles esse oportere. Denique spiritum iumentorum meminit Ecclesiastes 3. quamobrem hoc omisso veniamus ad secundum: an animæ brutorum sint immortales.

§. 2.
An animæ brutorum sint immortales.

NOTANDVM est non constare inter Platonicos, quid animæ brutorum sint, & an sint immortales, necne. Franciscus Picus Mirand. *lib. 1 de vanit. doctr. cap.* 14. ait Xenocratem, & Speucippum existimauisse animam sentientem immortalem esse. Numenium autem & Plotinum etiam ei quæ in plantis est, immortalitatem tribuisse: & quidem Plotinus id satis clarè insinuat *lib. de immortalitate animorum cap.* 14. sed clariùs adhuc author libri de Secretiore parte diuinæ Sapientiæ secundum Ægyptios, qui solet Aristoteli inscribi, id quod ægrè concesserim, quisquis tamen is sit, antiquus author est, & *lib.* 13. *cap. vlt.* sic ait: *si quis inquirat, an anima plantæ excisis radicibus separata intereat, dicendum est, hanc redire ad propriam regionem quam habet in mundo intelligibili, à qua nusquam postea recedit.* Aliquid adhuc absurdius audet Porphyrius in. *3. de abstinentia ab esu carnium*: ait enim omnem animam sentientem, esse quoque rationalem, & oratione, tum interiore, tum exteriore vti, qua inter se belluæ colloquantur: etsi à nobis non intelligantur: & audet credere nonnullos fuisse homines, qui sermonem belluarum calluerint, vt apud veteres Melampum, & Tiresiam; & illis multo iuniorem Apollonium Thianeum: quid portentosius dici potest? Plutarchus de Placitis refert apud Platonem solam animam rationalem esse immortalem; reliquas verò mortales. Eique subscribit Bessario Cardinalis 2. *lib. cap.* 7. docens animam Platoni non dici vniuocè, cùm eam homini, & brutis attribuit, sed æquiuocè potius, & in homine dici propriè ac simpliciter animam; in brutis verò, & plantis vmbraticè, ac similitudine tenus, ita vt in his anima solùm sit vita quædam, & simulacrum animæ: id est, actus quidam vitalis, instar illustrationis perpetuo fluens, ac pendens ab anima mundi, hoc est, à Deo, non secus ac formæ reliquorum corporum, quarum esse tempore mensuratur. Idem illi attribuit Marsil. Ficinus & puto quoque id verosimilius esse, facileque ex variis Platonis sententiis elici, sed pluribus hic nolo immorari: sufficiet dicere ipsum in Timæo agnoscere duo animalium genera: vnum quod cum substantiis immortalibus conueniat, & diuinum sit, cuiusmodi est homo: alterum simpliciter mortale, quod reliquas animantes complectitur. Statimq; ait in formatione solius hominis, à Deo, (à quo vtique solas res immortales immediatè prodire

dixerat,) animam suppeditari: causis secundis ad cætera concursuris, *Hac si a me fiant solo, dijs æquabuntur, quapropter accedite vos secundum naturam ad animalium generationem, & eius quidem animalis, quod in ipsis futurum est tale, vt cum immortalibus appellatione conueniat, & diuinum vocetur, &c. ego vobis semen, & initium tradam: vos cætera exequi par est:* quidquid sit.

CONCLVDENDVM est animas brutorum, & plantarum esse distinctas formas substantiales naturâ sua corruptibiles. Quòd sint eiusmodi formæ, iam patet ex dictis in primo notando. Quòd verò corruptibiles quoque sint, patet quia nullam habent operationem inorganicam, ex qua colligi possit eas esse spirituales, & independentes à corpore: etenim supra sentiendi officia non assurgunt: nihil vniuersale percipiunt: nihil cupiunt æterni, ac incorporei: nullam liberi arbitrij significationem præbent: Ergo. Hæc Alcinous de doctrina Platon. cap. 18. paucis ita ex suo Præceptore insinuauit: *Probabile est animas rationis expertes, sola imaginatione ductas, neque ratione, neque iudicio vtentes, neque perceptis, neque horum collatione, neque ratiocinando reductis sumptionibus vniuersis, omnino autem mentis expertes, & non intelligente natura præditas non esse eiusdem essentiæ cum ijs, quæ ratione vtuntur, ideoque eas esse mortales & interitui obnoxias*: vide *D. Thomam in 2. contra gentes cap. 28 & Ferrar. ibidem.*

Ne tamen vllus supersit de hac quæstione scrupulus, notari duo petuelim; alterum, quo animarum eiusmodi prærogatiuæ continentur; alterum, quo earum ab anima nostra defectio.

Primum ex illo Platonicorum effato deducemus, quo tales animas vocant illustrationes; volunt enim eas à Deo, mundum hunc sensibilem formante, ac dirigente, sicut à sole diuersas luminum irradiationes, scaturire: in quo ista oportet aduertere. *Primùm* licet sol multos alios effectus in natura parturiat, tamen in nullo melius suam naturam exprimit, quam in lumine; sic licet quælibet creatura Dei quædam sit participatio, nulla tamen expressius eum sic mundo præsidentem repræsentat, quam anima: verum si prima vita quæ in intellectione consistit, merito lux appellatur, rectè vita sensitiua illustramen quoddam dici debet, quatenus sensio intellectionis imitamen quoddam est. *Secundò*, lumen inter omnia, quæ sub sensus cadunt, maxime secreta pollet efficacitate ad mouendum corpora: calorem enim spargit, & sic agitat omnia: vt elegantissime docet D. Dionys. lib. de Diuin. Nom. ita præsertim animæ insita est à Deo vis admirabilis corpus regendi, & mouendi. *Tertiò*, lumen est quidpiam corporis, modo spirituali regnans in corpore, vt diximus lib. de Cœlo cap. 13. §. 2. & in hoc potissimum eius excellentia sita est, vt sine confusione se penetret: videmus enim plura lumina per eundem aërem spargi, nec vnius præsentiam, alterius præsentia impediri, & licet multa in omnibus locis sint, propriis tamen distinctionum notis non priuari, ac proprias vmbras efficere. Deinde sic locum, cui affunditur replet, vt se sine sui partitione multiplicet, mul-

tiplicatis enim, vel auctis speculis, vel aëris partibus, illis ex æquo adest omnibus: neque minus in pluribus; neque maius in paucis. Sic anima quæuis corporis actus est, sed ferme spiritalis, idque modo spiritali, hoc est, indiuisibili actuat: plures virtutes sine confusione in quolibet corporis puncto fouet: & cum crescit corpus, eius aduenientibus partibus se sine sui partitione transfundit: ac denique cum sobolescit, sese in semine, sine sui diminutione multiplicat.

Secundum quoque hinc eruemus. Illustratio enim participatio quædam remota est, ac multùm deficiens eius, quæ in sole, est lucis: *Secundo*, species quædam est lucis per se non subsistens, immersa corpori, & ab eo pendens in agendo. *Tertio*, est forma fluens, quæ magis agitur, quam agat, & actionem à luce susceptam, transmittit in alia: nec est ipsa fons suæ actionis, neque principium propriè sui motus: Denique actus potius, quam agendi principium, neque enim per se subsistit, nec per se agit: sed solum vt quo, & per aliud.

Sic anima brutorum imperfecta & remota est participatio primariæ, & supersubstantialis animæ, Dei scilicet optimi maximi, quatenus mundum per Spiritum suum æternum gubernat, viuificat, & conseruat: ita enim sæpe diximus Deum esse propriè fontem, & ideam animarum ipsamque mundi animam. Huius ergo prima, & perfecta participatio est sola mens rationalis: hæc enim sola per se viuit, vitâ quidem simpliciter perfectâ, quæ vita est intellectualis. Hæc omnino independens est à corpore, indiuisibilis, omnimodorum motuum causa, &c. nihil horum est anima sensitiua. *Secundò*, anima irrationalis est species vitæ, immersa corpori, in illo solum, per illud, atque cum illo operans, & minimè super illud: ideo instar illuminationis, potius actus quidam est, quo totum compositum mouetur, nutritur, & sentit: & non est principium sese sic mouens, nec per se sic mouens corpus, &c. secus anima Rationalis. *Tertiò*, anima intelligentiæ expers plus agitur, quam se agat: non omnium, nec principalium motuum est causa: neque enim intelligit, nec prouidet, nec bonum amat vniuersum, neque operationis suæ domina est, &c. cùm tamen id genus motuum principalius ad animam pertineat: quia cum animæ notio ea sit, vt se moueat, ac se mouendo moueat reliqua sibi coniuncta, id nequit simpliciter fieri, nisi ab eo quod se mouet motu intellectuali, qui solus est directiuus, prouisorius, & determinatiuus motuum omnium naturalium: quamobrem solum illa anima per se propriè notionem animæ participat, ac verè viuit, quæ principium in se habet eiusmodi motuum: qualis profectò est anima nostra, eaque sola. Hæc enim licet dependens à Deo, illique semper subordinata, non tamen determinatur ad agendum per naturalem determinationem ad hoc vel illud: hic & nunc: sed relinquitur sui compos, & domina suæ operationis, habens in potestate sua, vt se determinet ad hoc, vel illud, & quando vult, &c. atque hoc est propriè se mouere. Quòd autem id conueniat soli animæ nostræ, patet, quia *non Deus ita agit in voluntate, vt eam de necessitate determinet ad vnum, sicut deter-* D.Th q 3. de pot. a. 7.

minat naturam cæterarum animantum, &c.

Hinc patet: Animam irrationalem, etsi principium quoddam vitale sit, non tamen esse simpliciter animam; nec simpliciter per se viuere; vnde neque debet esse immortalis: neque ipsi conuenit vlla illarum rationum, quas attulimus ad probandam immortalitatem animarum nostrarum.

CAPVT VII.

DE INDIVISIBILITATE animarum.

§. I.

Quædam monita præmittuntur.

SVPPONO primo potissimum discrimen rei spiritualis à corporea desumi ex duplici indiuisibilitate, nempe ex formali & subiectiua: formalis est, qua quid secundum essentiam nullas habet partes homogeneas, quæ diuersis partibus quantitatiuis respondeant, seorsum actu distrahendas: subiectiua, qua quid independens omnino secundum esse suum est ab aliquo subiecto partes quantitatiuas habente: cui vtrumque hoc conuenit, certum est id spirituale ab omnibus appellari: an autem possit esse aliquid verè spirituale, quod in partes homogeneas, diuersis partibus quantitatiuis respondentes dissecari queat, disputatur ab iis, qui nimio plus cauillis delectantur. Nonnullos enim inuenies, qui argutiolis sophisticis id prolixissimè conentur demonstrare, quia, inquiunt, si qualitas spiritualis constat partibus intensiuis, nulla potest subesse ratio, cur non possit constare partibus extensiuis: item explicari non potest, inquiunt, quomodo vnio animæ rationalis cum corpore non habeat huiusmodi partes integrantes singulis partibus corporis accomodatas: Ideo spiritum sic definiunt: *entitas, cui in statu, qui naturaliter potest illi accidere, non repugnat formaliter ratione intrinseci penetratio cum alia entitate eiusdem speciei omnino à se diuisa.* Verùm facilè illis est victoriam referre aduersus monstra, quæ sibi ipsi confingunt, comminiscuntur modos illos præsentiæ, vnionis, &c. itemque intensionem per additionem graduum, quæ omnia fabulosa putamus, & licet vera essent, negari facile posset paritas. Addam penetrabilitatem illam per quam definiunt spiritum ex eius indiuisibilitate oriri: atque adeo ex perfectione quæ sit opposita situali extensioni corporum: sicut contra impenetrabilitas oritur ex quantitate corporum, atque ex ratione partium, quæ situalem extensionem exigit, partesque similes à partibus extrudit. Quid si tota hæc definitio rebus quoque corporeis com-

petat? an non plurima lumina è diuersis facibus in eandem aëris partem incurrentia, seruatis propriis differentiis se penetrant, cum in oppositum diuersas, distinctasque vmbras emittant? quod de omnibus similiter speciebus intentionalibus dici potest. Item si posse penetrari cum rebus eiusdem speciei arguit spiritualem naturam, cur eandem non inferet ex eo quod aliquid cum rebus diuersæ speciei penetretur? tum si gradus in intensione distinctos admittunt, an non ij simul intrinsecè sese penetrant? an non sunt eiusdem speciei? cur ergo qualitas omnis non erit spiritualis? at piget his immorari; quoniam communis omnium notio sufficit.

Notandum est ergo quæstionem grauissimam inter Authores feruere an animæ brutarum & plantarum diuisibiles sint: de rationali quidem nullus orthodoxorum audet oppositum asserere. De irrationalibus verò, haud vniformes sunt sententiæ.

Tres autem præcipuæ sunt.

Prima est, quæ omnem animam excepta rationali diuisibilem facit, ita Auerr. 8. *Phys. t. 38. Scotus in 4. d. 44. Durand.* 1. d. 8. *Ægidius, Capreol. Apollinaris, Marsilius, & communiter recentiores*, si Thomistas exceperis.

Secunda sententia docet animas perfectorum animalium, vt equorum, Leonum. &c. esse indiuisibiles: reliquas, vti animas insectorum & plantarum: verè diuisibiles. Ita communiter Thomistæ *in 1. p. q. 76. a. 8. & in 2. contr. Gent. c. 72. Caiet. Bannes. Ferrar. Item Alb. Magnus, D. Bonau. in 1. d. 18. & alij.*

Tertia docet absolutè omnes omnino animas esse indiuisibiles. Ita Simplicius, *l. 1. de anima t. 47. & l. 2. t. 20. Marsil. Ficinus* 1. *de Theol. Plat. c. 3. Plot. Enn. 4. l.* 1. *& 3. &c.*

Notandum est diuisibilitatem aliam essentialem, quantitatiuam aliam esse: prior cadit in essentias constantes pluribus partibus quarum altera se habet vt actus, altera vt potentia; quomodo dicimus essentiam hominis diuidi in animam & corpus. Posterior cadit propriè in corpus quantitate affectum, qua diuidi potest in partes eiusdem rationis, seu integrantes. Addi potest tertia diuisibilitas; nempe subiecti in suas facultates, ac potentias: sicut si solem vellet quis dicere simul habere secum lucem & calorem, &c. Hinc triplex totum resultat. Primum in ratione essentiæ: secundum in ratione quanti: tertium in ratione virtutum. Primum essentiale, secundum integrale, tertium virtuale dici potest.

Hinc aliquid dici potest indiuisibile tripliciter nimirum secundum essentiam, secundum virtutem, & secundum quantitatem: Primo modo indiuisibile dicitur, quod non constat partibus diuersæ rationis; secundum quod non pollet diuersis virtutibus: tertium quod non habet partes dimensiuas, situales, aut eiusdem rationis. Certum est autem omnem animam esse indiuisibilem primo modo; non vero secundo. At de tertio dubitatur.

Dicitur primo per se indiuisibilis quoad essentiam; quia tota est in

omnibus,& tota in singulis partibus secundum eandem prorsus essentiam, nec vna pars corporis vnam partem essentiæ habet, aliaque aliam ratione ac naturâ diuersam: sed vbique tota est, ac regnat essentia. Alioquin esset aliqua pars corporis animati, quod animæ careret essentia: nam vbi non est tota essentia animæ, ibi non est essentialiter anima: neque enim formalis pars essentiæ est ipsa essentia. Ergo vel abest anima in singulis partibus corporis animati: vel tota inest: primum reiecimus suprà contra Albertum. Ergo restat secundum: idem de formis elementorum dici potest, neç non de formis accidentalibus: nam forma ignis in singulis partibus materiæ tota inest quidditatiuè, siue quoad essentiam: similiter albedo in qualibet parte lactis essentialiter est: quia eiusmodi formæ omnes, licet diuisibiles sint quantitatiuè: partes tamen non habent, nisi homogeneas.

Dicitur secundo per se diuisibilis secundum virtutem: quia non est æquè, neque eodem modo potens in vna corporis parte, ac in alia. In quo differt à formis simplicium mixtorum, & ab accidentalibus. Hoc communiter conceditur: quamquam Iandunus, & quidam alij dixerint aliquando animam secum omnes suas virtutes deferre ita vt v.g. in pede æquè habeat potentiam videndi, quam in oculo; defectu tamen organi, non videre in pede: neque ibi esse otiosam, quia otiosum dicitur id quod vbi ordinatur ad agendum, non agit: illam autèm in pede v.g. non ordinari ad videndum: ergo. Sufficere itaque, quod exerceatur in oculo, in quo ad videndum ordinatur: esse autem etiam in pede, eo quod essentialem habeat cum tota essentia animæ connexionem. Sic rationem non posse in infanti propriè otiosam dici, quia non ordinatur ad ratiocinandum in hac ætate, &c. Hoc modo tuentur hi authores animam esse quoque indiuisibilem in corpore secundum virtutes i. esse in qualibet parte secundum omnes & singulas vires: verùm facile solui hanc posse controuersiam reor, si hac distinctione vtamur. Animæ vires considerari possunt dupliciter. *Primò* secundum esse radicale, ac merè potestatiuum quod habent in anima; *secundo*, secundum esse completum, & proximè efficax, quod habent in organo sibi à natura destinato: primo modo certum existimo vires omnes animæ vbique esse cum anima: sic enim sunt quædam eius proprietates ab eius essentia, vel non distinctæ realiter; vel necessariò emanantes: secundo modo etiam certum est eas non esse, nisi vbi earum organa præparantur: quoniam hoc modo non soli animæ insunt, sed toti quod ex anima & corpore sic vel sic organizato coalescit: vnde etiam fit, vt cum agendi efficacia simul habeant patiendi necessitatem. Sed de hoc plura inferiùs.

Restat ergo videndum, an omnis anima sit indiuisibilis secundum quantitatem: sed notandum priùs est diuisibilitatem quantitatiuam per se primò soli corpori competere, ratione quantitatis: ita vt substantia conflata ex materia & forma sit per se ac primo diuisibilis *vt quod*; quantitas vero, *vt quo*; sitq; ratio ipsa, & radix eiusmodi diuisibilitatis: formis, verò purè materialibus solùm per accidens conuenit, vt hoc modo

modo partiri valeant: quia eatenus solum ita sunt diuiduæ, quatenus ad diuisionem subiecti diuiduntur. Hoc autem fit cum facta subiecti diuisione, in singulis partibus seiunctis manet eadem forma, quæ priùs inerat: vt cum diuiditur aqua in duas partes: in vtraque manet forma aquæ: nam vtraque illa gutta separata, tam verè aqua est, ac totum illud, quod ex vtraque constabat: si verò facta diuisione, forma in vna solum parte, vel in nulla remanet, eo ipso constat eam non esse diuisibilem ad diuisionem subiecti: vt reuera compertum est euenire in omnibus animalibus saltem perfectis: nam si pedem ab equo abscideris, in eo non remanet equi anima: sed tota in reliquo corpore superstes manet: si verò caput, vel cor euulseris, illico perit anima, nec in vlla corporis parte amplius restitat. Quare hinc iam satis probata manet et sententia Thomistarum. Verùm quia celebertima est hæc quęstio, eam paulo copiosiùs examinemus.

§. 2.

Decernitur quæstio.

CONCLVSIO. Omnis anima est indiuisibilis quoad quantitatem: ita D. Aug. lib. de Quant cap. 31. *Cur ergo*, inquit, *non cum tam multis argumentis superiùs adductis, atque abs te firmissimè comprobatis, planum tibi factum sit, non loco animam contineri, atque ob hoc nullius esse quantitatis, qualem in corporibus cernimus, aliquam causam suspicaris esse, cur non nullum animal concisum in omnibus suis partibus viuat?* & lib. de immortalit. animæ cap. vlt. idem probat eo quòd si vermis pungatur in cauda, se totum mouet, quoniam anima, quæ est in cauda, eadem est in totò corpore, atque adeo talis anima est indiuisibilis. Id quoque confirmatur ex eo quod nisi anima esset indiuisibilis, non magis vna pars corporis compateretur alteri, quam vna pars ligni ad alterius distantis partis calefactionem concalescit. Plotinus Enn. 4. lib. 7. ex Platone idem probat ex eo quod necesse sit omnium sensuum vnam esse, ac communem originem, idemque principium; quo nimirum sensilium omnium differentiæ conferri ac iudicari valeant, & sensus mutuo sibi connexi sint: atque ab vna quadam radice pendeant, & in vnum veluti centrum terminentur.

Sed fauet quoque Aristoteles, qui primo de gen. statuit remanere idem viuens, & eandem formam in materia fluente. Ergo non diuiditur secundum diuisionem subiecti: quod enim ita diuiditur: vt in diuisis partibus manet diuisum, sic in pereuntibus perit, ergo non manet, vt vult Aristot. deinde in lib. de anima t. 94. *Nec absurdum*, inquit, *si non perdurant: instrumentum enim non habent, vt naturam conseruent; sed nihilominus omnes in vtraque partium* (sc. insecti diuisi) *insunt animæ partes. Atque animæ partes eadem sub specie collocantur: & etiam tota: illa quidem, quia non sunt separabiles; tota autem anima, quia indiuisibilis.* Et

constat quod de insectis, & plantis hoc in loco loquatur.

Probatur autem ratione sic: forma quæ diuersas in diuersis partibus dispositiones essentialiter exigit, necnon determinatum terminum magnitudinis, ea certè non est diuisibilis ad diuisionem subiecti: sed omnis anima est eiusmodi. Ergo. Mi. est manifesta, quia omnis anima est actus corporis organici, idque essentialiter. Ma. probatur: *primo*, quia omnis forma, quæ diuisibilis est ad diuisionem subiecti, potest reuera manere diuisa in qualibet parte subiecti: & consequenter essentialiter non exigit alias dispositiones, quam quæ in singulis partibus sunt. Ergo quæ diuersas in diuersis partibus dispositiones essentialiter exigit, non potest diuidi ad diuisionem subiecti: vtraque propositio patet inductione. *Secundo*, si forma, quæ talem in corpore diuersitatem essentialiter exigit, sit diuisibilis ad diuisionem corporis, oportet, vt habeat partes integrantes, quæ respondeant partibus quantitatis: illæ autem vel erunt homogeneæ, vel heterogeneæ: non primum quia similes vbique dispositiones essentialiter exigeret: non secundum, quia sic anima foret diuisibilis quoad essentiam, contrà id quod §. 1. definiuimus. Nec posset quælibet saltem pars animæ dici anima, quia non esset actus corporis organici: & consequenter quælibet pars corporis viuentis, non esset animata.

Confirmatur argumento Aristotelis, quo eos impugnauit, qui diuersas in homine partes animæ locis distinctas, admittebant: sic enim argumentatus est, si partes hæ forent heterogeneæ, vel subordinarentur vni alicui animæ totali, in qua continerentur, & conseruarentur, & tum daretur vnica, quæ indiuisibilis esset in toto corpore: vel non subordinarentur, & tum mutuo sese destruerent, vt contingit in cadauere.

Secundo probatur Conclusio: omnis forma, quæ non respicit totum & partes æqualiter, ea est indiuisibilis; nec potest partiri ad diuisionem subiecti: sed omnis anima est eiusmodi. Ergo. Ma. patet à contrario, quia quæcumque diuisibilis est, æqualiter se habet ad quamlibet partem ac ad totum: neque adæquatè solū totum respicit, sed tam adæquatè est in singulis, quam in toto: v. g. forma ignis non habet maiorem ordinem essentialem ad ignem cubitalem, quam ad digitalem: ideo æque perfectè secundum essentiam conseruatur in corpore perexiguo, ac in maximo: ex quo etiam vlteriùs sequitur in his quæ sunt eiusmodi, sola diuisione corporum fieri diuersa indiuidua eiusdem rationis, ac naturæ: quia partes disiunctæ seruant formas eiusdem quoque rationis: in quolibet autē indiuiduo integra forma specifica plenè, atq; adæquatè conseruatur: secus autem contingit in formis omnium viuentium: eæ siquidem aliter totum respiciunt, quam partes: essentialiter enim ac per se respiciunt totum variis, & heterogeneis partibus instructum: partes verò illas non respiciunt, nisi prout in toto sunt, ac per totum: & ideo in partibus illis, prout cessant ad illud totum pertinere, cessant quoque existere: factaque diuisione corporis non illico resultant plura indiuidua eiusdem cum diuiso speciei: sed diuersæ substantiæ multùm disparis rationis.

Hinc alia ſubnaſcitur differentia inter formam diuiſibilem, & animam, quod illa vtpote reſpiciens æqualiter partes, ac totum, etiam æqualiter partes denominet ac totum: nam quælibet pars aquæ, aqua eſt: ſecus in viuentibus: neque enim quælibet pars equi, equus; neque quælibet pars animalis animal, &c. licet enim quælibet pars denominatiuè denominetur animata & viuens, eo quod anima ipſi non deſit, tamen non dicitur ſubſtantiuè, aut ſpecificè animal, equus, &c. quia quælibet illa pars non eſt adæquatum ſubiectum eiuſmodi animæ.

Confirmatur. Quoties forma eſt diuiſibilis ad diuiſionem ſubiecti: tali diuiſione non debet deſtrui: ſed ſolum multiplicari: quoniam actus non repugnat potentiæ: neque dici poteſt quod cum potentia cuiuſpiam in actum redigitur, eo ipſo præciſe corrumpatur. Ergo quod diuiſibile eſt, eo præciſe, quòd diuidatur perire non poteſt. At anima cuiuſque viuentis diuiſione euaneſcit. Ergo diuiſibilis non eſt.

Confirmatur ſecundo, vt forma diuiſibilis diuiſa, diuerſa indiuidua eiuſdem ſpeciei creat; ſic ex pluribus illis indiuiduis reunitis reſultat idem quoque indiuiduum, quod prius. At quantumuis illa indiuidua, quæ generantur ex ſolutione viuentis iterum copulentur, nuſquam idem viuens, quod prius reuiuiſcet. Ergo.

His planè Thomiſtæ conſentiunt, niſi quantum ad animalia imperfecta, ſtirpeſque attinet: nobiſque obiiciunt plantas & inſecta vt ſerpentes, lacertas, &c. ſeparatione non emori, ſed partes etiam diſſectas adhuc animari. Seca lacertam, abſciſſa cauda, nonne viuit? plantæ pars quælibet ſeratur, an non reuireſcet? ſic de cæteris: ergo ſaltem hæ formæ non ſunt diuiſibiles. Verùm etſi hoc ſit probabile, tamen probabilius eſt contrarium. Etenim æquè ſunt actus corporis organici, ac animæ perfectorum animalium: & perinde diuerſas in partibus diuerſis organizationes eſſentialiter exigunt, licet non tam perfectas. Neque diuidi quocumque modo poſſunt eiuſmodi viuentia ſine corruptione: ſi enim inſecta per ſpinam dorſi, aut per medullam diuidantur: haud viuent ampliùs: ita de plantis. Ergo. Et quidem ſume lacertæ caudam, quæro, an tunc tota eius animæ eſſentia illi adſit, an pars? ſi pars, ergo, non eſſentia huiuſmodi animæ: ergo alio quodam animæ genere animabitur; ſi tota inſit anima: *contrà*, hæc lacertam denominat, & lacertæ proprietates, ac vires exerit. At cauda lacertæ, non eſt lacerta: non iis pollet viribus, quibus lacerta: non videt, non lambit, &c.

SIT ERGO ratum ac fixum animam omnem eſſe indiuiſibilem eo modo, quo ſuprà explicuimus.

§. 3.

Obijciuntur, ac diluuntur aduerſæ partis argumenta.

OBIIC. I. formæ omnes, quæ educuntur è materiæ ſinu ſunt diuiſibiles, perindeac ipſamet materia; ſed omnis anima, excepta ra-

tionali, educitur è materia. Ergo. Min. conceditur, Mai. probatur, quia diuersæ causæ habent diuersos effectus: sed singulæ partes materiæ sunt causæ materiales eius formæ, quæ ab illis educitur. Ergo diuersæ partes formæ sunt necessariò ex diuersis materiæ partibus educendæ. *Confirmatur* primo, quia debet esse proportio inter effectum, & causam: ergo è causa diuisibili debet diuisibilis effectus deriuari. *Confirmatur* secundo, quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur: at materia modum habet quantitatiuè diuisibilem. Ergo.

Resp. cum Thomistis, Durando, Zabarella, &c. negando Mai. ad cuius probationem distinguo Mai. sic: diuersæ causæ totales eiusdem ordinis habent diuersos effectus, *transeat*: diuersæ partes eiusdem causæ habent diuersas partes effectus sibi respondentes, *nego*: ideo sicut anima existit in materia tota, sub ratione totius, & non sigillatim in singulis ratione illarum; ita educitur à tota materia, eam ratione totius expromente: non vero à partibus: id quod vlteriùs prouenit ex actu seminali, qui quodammodo spiritualis est in materia, & ideo quasi spiritaliter exigit educi ex illa: vnde *ad primam Confirmationem* Resp. esse quidem proportionem inter animam, & materiam totalem quæ consistit in eo, vt cum anima sit actus corporis organici, áliterque ad totum, quam ad partes ordinetur, materia eius propria, & adæquata necessariò constet ex certis partibus: vnde solùm sequitur, vt è materia totali, & diuersimodè organizata educatur forma totalis, quæ sit essentialiter actus corporis organici: Ad secundam Resp. concessa Mai. distinguo Min. quidquid recipitur, &c. id recipitur secundum aptitudinem recipientis, vel ei quodammodo coaptatur, *Concedo.* cõtrahit intrinsecè modum essendi, qui est proprius recipienti. *Nego.* Nam & anima Rationalis recipitur in corpore: & tamen non fit propterea corporalis: accidens recipitur in subiecto per se subsistente; an propterea perse subsistit?

Obiic. 2. nisi anima materialis habeat partes respondentes diuersis materiæ partibus, sequeretur eam esse aliquando in corpore, ex quo non esset educta: at hoc impossibile. Ergo. Mai. probatur: cùm viuens nutritur, aduenit noua pars materiæ, in qua recens anima existere incipit: at ex ea non educitur, cùm sit iam educta, educi enim est è potentia prodire in actum: quamobrem cùm iam ea in actu sit, repugnat eam iteratò educi. *Vlteriùs*, ob illum nouæ materiæ accessum aliquando contingit, vt totum corpus constet ex illis partibus materiæ, quæ post primam formationem aduenere, ita vt nihil primigeniæ materiæ supersit. Cum ergo anima non sit educta ex illis partibus: neq; ampliùs quidquam remaneat illius materiæ, ex qua primùm emersit, sequitur euidenter eam fore tunc in corpore, ex quo nulla vspiam ratione prodiit.

Resp. *primò*, negari posse maiorem: & ad probationem dicendum erit, in nutritione animã vniri verè partibus aduenientibus, & non educi: neque repugnare, vt formę, quæ eleuantur super materiam secundũ gradũ animæ, possint esse in corpore, ex cuius omnibus partibus non

emerserit. sed solùm ex ea, in qua virtus eius seminalis præextiterit: vnde ad id quod subditur, dici potest, eandem illam partem, ex qua primò prodiuit, in viuente tandiu superesse, quandiu id vixerit, quasi primigeniam, & originalem vitæ radicem: quemadmodum multi censent de primo, & primigenio humido, quod vocant radicale: vt dicemus aliàs.

Resp. tamen secundo id non esse necessarium. Ideo posse concedi sequelam Ma. & negari Mi. quoniam cùm animæ illæ fiant ex traduce, atque ex aliqua particula elementari, contéperata cum semine, sufficere videtur, vt in prima sui susceptione fuerint è materia eductę: & deinde materiam habeant aptis organis distinctam, suæque consentaneam conseruationi, ita vt nequeant ipsæ vllomodo sine aliqua materia existere, cum qua totum viuens, aut animal conficiant: possint tamen sine hac vel illa.

Dices. Ergo migrant de subiecto in subiectum? Resp. distinguo, migrant ab vno subiecto totali, & adæquato in aliud, *nego*: à subiecto partiali in aliud partiale componens subiectum adæquatum: *concedo*: quid inde? erit, inquies, independens à materia. Distinguo, secundum eductionem, *nego*; secundum esse, & conseruationem, *concedo*; dices, anima illa se se perse moueret in corpore. Resp. fateor, quid propterea? in hoc enim optimè supremum infimi conciliabitur infimo supremi: quoniam in genere formarum: naturales sunt infimæ, quę nullo planè modo sese mouent neque in corpore, neque extrà corpus vt perse ab vna parte corporis in aliam migrent: supremę sunt rationales, quæ in corpore ab vna parte in aliam similiter in nutritione se transferunt, & possunt etiam extrà corpus à quolibet corporeo loco se se in alium transmittere: quid ergo poterat recto naturæ ordini cōuenientius esse, quam vt anima media medio modo se habeat, & à rationali deficiat in eò, quòd neque sese extrà corpus mouere queat; naturalem verò formam excedat, quòd id possit in corpore.

Obiic. 3. forma, quæ dispositiones extensas in materia exigit, debet esse diuisibilis: sed anima quælibet est huiusmodi. Ergo. Ma. patet, quia forma quę pendet à materia extensa, & diuisibili, provt tali, verè diuisibilis sit, atque extensa oportet, sicut quę pendet à subiecto indiuisibili, & spirituali, quatenus talis, verè spiritualis est: tum quia, hæc dependentia nequit in alio fundari, nisi in coextensione formę, quę, cum partibilis naturâ sit, subiectum quoque partibile exigit. Min. autem euidentissima est: cùm enim anima sit actus corporis organici, & organicum corpus esse nequeat, nisi extensum, sequitur id quod diximus. Resp. negando Ma. & ad probationem dico formam, quæ pendet à tali materia esse quidem diuisibilem, vel per accidens secundum quantitatem, vt formam omnem naturalem; vel per se secundùm virtutem, vt animam: deinde illa paritas, quę adducitur, negatur: nam forma nulla per se diuisibilis est quantitatiuè: sed solùm per accidens, idque ratione subiecti, cui diuisibiliter coextenditur: quando autem

subiectum non est diuisibile, neque extensum, repugnat formam illi cubantem diuisibilem reddi, vel per accidens, i. ad diuisionem subiecti, siquidem subiectum diuisibile non est: ad aliam instantiam. R. dependentiam animæ à materia diuisibili fundari solùm in perfectione actus multiformi virtute præditi; ideo enim exigit subiectum diuisibile, quoniam ordinatur ex essentia ad exercendas varias operationes per varia organa. Hæc autem nihil facit contra nos.

Obiic. 4. Multa sunt viuentia, quæ facta diuisione partium, adhuc viuunt, vt videre est in lacertis, & cæteris serpentibus: & communiter in plantis. Ergo saltem horum animæ sunt diuisibiles ad materiæ diuisionem. Imo idem in perfectis animalibus obtingit: caput enim Galli Gallinacei abscissum diu viuit: & testatur Auerroes 7. Phys. t. 4. vidisse se taurum capite truncatum ambulare: id quod Galenus etiam de homine refert, cui cor abstractum & auulsum fuerat. Resp. primo, nego conseq. quia hoc inde potest oriri, quòd in horum corpore sparsæ sint seminales rationes proximè dispositæ ad actum secundum educendum: cum enim formæ huiusmodi ob suam imperfectionem minima egeant textura organorum, facillimè possunt aptum subiectum nancisci: & ita citissimè progigni. Ideo Arist. *de Iuuent. & Senect. c.* 1. ait insecta eam particulam, à qua pendet animalis vita, id est, semen perfectum, habere actu vnam, virtute verò plures. Quapropter quæ post diuisionem verè viuunt: noua tunc anima informantur quæ recenter tota è materia educitur, & nullo modo prioris pars vlla fuit: id quod præsertim de plantis dici debet: quoad animalia, verò etiam insecta dici meritò potest, quòd non tam anima noua sit, quam animæ prioris degener quædam participatio: sæpe etiam non anima, sed spiritus quidam insito calore diuulsas partes agitans, cuius quidem signum est, quòd motus ille partium separatarum, vti caudæ, &c. non diu duret. Denique idem tunc in huiusmodi viuentibus ita diuisis euenit, ac in dictione composita, cum partes eius definitum quid significant, vti *Lucifer, Dominus*, &c. separatis partibus suum cuique superest significatum; at non idem, sed diuersum, vt *Luci. fer; do, minus*, &c. Ita S. Aug. cit. suprà: Quantum verò ad animalia perfecta: Certum est membra distracta non viuere: sed vel à superstitibus spiritibus adhuc aliquantum agitari: vel fabulosa esse, si quæ fingantur inusitata: potuit etiam arte dæmonum taurus capite minutus currere: & similiter homo, cuius Galenus meminit: nec mirum est moueri aliquādiu posse corpus emortuum vi spirituum, qui supersunt: sunt enim viuacissimi, vtpote lucis & ignis naturam referentes: iisque sensim languentibus, & refrigeratis, aut euanescentibus, motus illi pariter cessant.

Obiic. 5. Arist. 8. Phys. t. 48. monstrat non posse virtutem infinitam esse in magnitudine finita, quia forma materialis diuiditur ad diuisionem materiæ. Resp. sensum huius propositionis, quæ maximè torquet eius interpretes, esse solùm eiusmodi, vt virtus finitæ magnitudinis, corpori vt proprium eius accidens inhærens, non possit mouere æterno tempore, quia diuisibilis est, sicut magnitudo.

CAPVT VIII.

DE DIVISIONE VIVENTIVM & Animarum.

§. 1.

Tria esse Animarum genera.

COMMVNE est Peripateticorum effatum, tres tantum esse gradus & ordines animarum. Nimirum aliam esse merè vegetantem, quæ solis plantis; aliam sentientem, quæ solis animalibus: & aliam quæ soli homini competant. Ad has reuocari possunt omnes aliæ. Ratio huius diuisionis petitur non ex diuersis differentiis specificis, aut genericis: quoniam multò amplior facienda esset hæc diuisio; sed ex solo modo agendi, qui reuera secundum se magis, aut minus super modum purè naturalem formarum simplicium eleuatur. Ita primus gradus est earum, quæ proprias functiones, motusque intra se, ac per sese exerunt, videlicet nutritionem, generationem, accretionem: non impulsæ ab extrinseco agente; sed natiua virtute se ad agendum conferentes: & is est animarum vegetantium. Secundus est earum, quæ obiecta materialia per formas quodammodo immateriales, quas vocant species intentionales percipiunt, ac per eas sentiendo, eliciunt actiones vegetatiuis multò subtiliores, puriores, & spiritaliores, & is est animarum sentientium. Tertius est earum, quæ omnino incorporeis speciebus circa incorporea, incorporeas quoque operationes exercent: & is est animæ rationalis. Vegetantium porro multa sunt genera, vt dicemus infrà, itemque sentientium: sed rationalis, vnica species. Hinc optimè D. Thomas in 1. p. q. 78. a. 1. sic toto genere distinguit operationes huiusmodi animarum: vt operatio rationalis sine vllo corporeo instrumento eliciatur; sensitiua; sine qualitate corporea, & elementali, nisi summum præsuppositiuè; vegetalis verò, vtrisque his principaliter vtatur, dum interim ipsa se intus obiecto proprio applicat, nouam ad se materiam rapit: & in ea se multis modis versat: seque in illam indiuisibiliter extendit: quod nulli formarum purè naturalium conuenit. Rationalis fertur in obiectum omnino immateriale, & vniuersale. Sensitiua, in obiectum materiale & singulare, sed distans, & modo spiritali quadantenus, atque indiuisibili vnitum, nempe per species. Vegetatiua denique ad obiectum planè corporeum, & immediatè ac per seipsum, necnon & modo extenso, ac diuisibili coniunctum, & tamen se ipsa indiuisibiler vnit, illabiturque.

Circa hoc tamen fuit olim non leuis inter Phlosophos concertatio. Epicurus, & qui eum secuti sunt, vt Lucretius, itemque Stoici non admittebant in plantis animam; eo quod non cupiditate, seu appetitu elicito, sed solo naturæ ductu agerent. Secus Empedocles, Plato, & Anaxagoras, teste Plutarcho *l. 8. de Plac.* plantas animalia vocitabant, eisque sentientem quandam animam vindicabant: id quoque Democrito attribuitur. Qui ergo animatas esse plantas inficiebantur: his rationibus vtebantur: *primo*, anima secundum etymologiam Græcam ἀπὸ τοῦ ψυχεῖν, significat id quod spirat, seu quod flando refrigerat: at id non conuenit plantis. Ergo. *Secundo*, Sacra Scriptura narrans rerum Genesin, plantis solùm attribuit hoc quod est virere, semen habere, fructum edere: at solis animantibus, anima pollere. *Tertio*, ex Platone in Timæo, quidquid est particeps vitæ, animal est: quia Græcè ζῶον, quod sonat animal, venit ἀπὸ τοῦ ζῆν, quod viuere significat: quare quidquid particeps est τοῦ ζῆν, id ζῶον sit oportet.

Aliunde, qui volunt plantas anima sentiente præditas esse, his solent vti argumentis. Inest ipsis verus appetitus, necnon aliquis voluptatis, ac tristitiæ sensus; tametsi multum obtusus vt voluit Plato in Timæo. Ergo. Ant. patet ex innumeris effectibus antipathiæ, atque sympathiæ, qui inter stirpes adnotantur. *Primo*, suctus ille alimenti, electioque & secretio consentanei à noxio, quid nisi sensitiuam cognitionem arguit? quidue illa post conuenientem apti, propriique alimenti copiam externa hilaritas, nisi naturalem quandam voluptatis perceptionem indicat? *Secundo*, palma fœmina in marem blandioribus comis nutat, & ad eius præsentiam fortunatiùs concipit, ac parit. *Tertio*, vitis à lauri vicinitate refugit, quòd ab eius caliditate lædatur; & odit corylum, cucurbitam, brassicam, &c. quòd ea terræ succum exhauriant. Cucumeri admoue oleum, retro se aget; aquam tamen si exhibueris, in eam ruit, quo impetu, nisi appetitus? *Quarto*, mirabiliora sunt, quæ recenset Theophrastus esse nimirum ad Euphratem herbas Heliotropicas, quæ occidente sole altissimè suum in mare verticem florulentum demergant, oriente, mox exaltent. Ad Memphim quoque esse arborem facie spinosam, & folio filici similem, cuius si quis ramulos contigerit, folia concidant, & marcescant; rursusque se relicti exporrigant. Plinius eam aut certè similem αἰσχυνομένην vocat: similis in Pudifetana Indiæ orientalis prouincia nasci refertur: itemque in Malabria: & reuera modo in Gallia visuntur eiusmodi plures, quæ ob id sensitiuæ dicuntur: aliæque celebrantur quasi iracundæ, eo quòd tactæ mox se contrahendo dilacerent, perinde ac si quadam indignatione mouerentur. An non ista omnia sensum arguunt: saltem aliqualem.

Nihilominus tenendum est, quod supra diximus, dari scilicet veram animam in plantis, verè à sensitiua distinctam. Quoniam communi Philosophorum sententia vsurpatum est, nomine animæ id reuera intelligi, quod habet in se vnde se moueat, vel quod alicui composito causa est, cur à se, & in se multas operationes exerceat, iis multò superiores

riores, quas corpora purè naturalia solùm extra sese exercent: cuiusmodi sunt augmentatio interior: nutritio, generatio similis, eductio, atque germinatio florum & fructuum, &c. Huiusmodi enim actiones gradu quodam nobilitatis, supra motus naturales grauium, aut leuium, calefactionemque, & frigefactionem, aliasue eiusdem ordinis certè transcendunt: ideo nobilius debuit illis principium assignari. Verùm fatendum est illico huiusmodi animas in eo genere infimas esse, ac si verum dicere liceat, vix nomen animæ promereri. Vmbræ potiùs, seu vestigia sunt animarum, simileque quid animis, potius quam veræ animæ: ita vt quemadmodum Plato animam sentientem vocat solum vestigium animæ rationalis: sic animam vegetatiuam possimus sensitiuæ participatiunculam dicere.

Hinc respondeo ad primam partem obiectionis fatendo nomen animæ secundum primam impositionem cadere in animam sentientem, imo & si Platoni volumus credere, præcipuè in intellectiuam. Ipse enim in Cratylo ait ψυχὴν, animam esse id quod illapsum corpori causa est vitæ, respirandi vim ipsi afflans, idque ἀναψύχον efficiens, id est, moderata quadam caloris, & frigoris temperie refocillando: tum aliã etymologiæ rationem perscrutatus ait ψυχὴν, dici quasi φυσέχην, quippe, quæ sit id quod φύσιν ὀχεῖ, καὶ ἔχει, id est, naturam peruadit, & continet, quod proprium mentis diuinę Anaxagoras opinabatur. Huc etiam accedit etymologia Hebraïca נפש *nephes* anima, halitus, vita, fit à verbo נפש *niphes*, respirare. Idcirco scriptura sacra haud frequenter animæ plantarum meminit.

Ad alteram vero partem, quâ probabatur animam plantarum esse sensitiuam, facile quoque respondemus. Ea omnia solùm vim sympathiæ declarant, aut vires occultas, rebus etiam naturalibus, & stupidissimis à Deo insertas, in quibus aliquando adhuc multò mirabiliora deprehenduntur, quam quæ enumerata sunt, vt in ferro, & magnete, in gemmis, metallis, &c. constat. Vide quæ in Phys. diximus c. 26. §. 27. differentia tamen ingens incurrit inter hasce sympathias, vel aliquando naturalis inclinationis motus, & functiones animæ sentientis. *Primo* enim videmus appetitum brutorum excitari post apprehensionem obiectorum, & hanc in iis per eadem organa, & eodem modo fieri, ac in nobis. Horum autem nihil in plantis experimur. *Secundo*, motus illi extraordinarij plantarum sunt simplices, & ferè vniusmodi, ac semper eodem modo cõtingunt; at appetitiones & sensiones innumeris modis variantur. Appone offam cani, non semper eam appetet; si videlicet satur iam fuerit, aut si aliud delicatius olfecerit; neque sola illa delectatur, &c. Denique concludo cum Scalig. contra Card. exerc. 138. *Quare natus nuper hædus ad vbera capræ, mox ad frondes: catellus ad canis mammas, postea ad carnes sese conferunt? cur non hic ad illam, & ad illas: non ad hanc, & ad has ille?* Habet enim in se *secum species concreatas: quarum idea motus supra volantem miluum fugiet pullus, non fugiet coruum. Quæ vero per sensum amant, aut oderunt; ea possunt non amare,*

aut non odisse. Idcirco lupum vidimus inter oues cicurem: leporem aluimus inter canes venaticos: quia quæ cognitione prædita sunt, accipere queunt legem disciplinæ; &c.

Deinque cauendum est ne ipsam quoque ab animantibus animam sensitiuam velint noui Philosophi eliminare: ita vt neque sensus in illis proprius, neque voluptas insit, neque aliud quidquam earum affectionum, quas secundum partem animalem, siue sensualem experimur in nobis, eo etenim omne illorum studium collimat, vt quidquid atomorum figuris, dispositionibus, & motibus explicare vix queunt, omnino inficientur: vnde liberè docent in brutis, propriè non esse animam contra illud Genes. 1. *Creauit Deus Cete magnum, & omnem animam viuentem, atque motabilem, &c.* Et Prouerb. 12. *Nouit iustus iumentorum suorum animas.* Quid? nonne cognitio illis sæpe attribuitur? *Cognouit bos pastorem suum*, Isa. 1. *Miluus in cælo cognouit tempus suum: turtur, hirundo, ciconia, &c.* Ierem. 8. Ad hæc & sæpissimè scriptura nobis proponit bestias in typum eorum hominum, qui mente occæcati, sensus appetitum ac voluptates impensè prosequuntur. *Hi namque*, inquit Angelus ad Tob. c. 6. *qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super illos.* Et Ierem. 5. *Equi amatores, & emissarij facti sunt.* Denique *ni cognitione prædita essent, accipere nequirent legem disciplinæ.* Eiusmodi infinita sunt alia, ex quibus plusquam abunde colligitur brutis inesse sensum, appetitum, voluptatem, & affectus eiusmodi, quales nos ex similibus obiectis, & in parilibus instrumentis corporeis experimur. Et certè id inde an non conuincitur, quòd iisdem ipsa, ac nos organis instruantur? cum enim linguam eo artificio constructam habeant, & eadem auiditate videamus ea in oblatum pabulum irruere, quæ potest rationabilis causa subesse, cur non in edendo delectentur? sic de reliquis: nam cùm nulla nobis supersit via inuestigandi occulta, quam ex effectibus, vt vbi communes effectus parent, ibi commune quoque, idemque principium agnoscatur. Videmus in feris easdem omnino voluptatis, & sensus demonstrationes, cur ergo eas verè delectari negaueris? repugnant hæc, inquies, nostris principiis: quid ergo? an tibi licebit naturas rerum inuertere & patentibus demonstrationibus vale dicere, quia placuit noua tibi principia cudere?

§. 2.

Esse nihilominus quinque potentias animæ, & quatuor viuentium genera.

INTERIM notandum hic est, licet tres solùm sint animæ eo quo diximus modo, tamen ex D. Thoma, & Aristotele quinque admitti po-

tentias rerum viuentium; nempe vim vegetandi, sentiendi, loco mouendi, appetendi, intelligendi, quarum obiecta & discrimina vide apud S. Thom. 1. p. q. 78. a. 1. Quamobrem alia est ratio distinguendarum potentiarum eiusmodi: alia graduum animarum. Potentiæ enim penes diuersas vitæ operationes multiplicantur: gradus verò animarum, penes diuersitatem subiectorum, in quibus prædictæ vires reperiuntur, prout scilicet specialem quandam habent operandi prærogatiuam, & eleuationem suprà formas naturales, quamobrem si locomotiua, & appetitiua, spectent necessariò ad aliquod idem subiectum, cui aliqua ex tribus reliquis conuenit, licet ipsæ multiplicentur, non ideo multiplicabuntur animæ; atqui hoc ita euenit: quia sensitiua & appetitiua eidem conueniunt: suntque ambæ eiusdem abstractionis, seu eleuationis. Ergo: Similiter loco motiua, quatenus progressionem spontaneam inuoluit, appetitiuæ coniuncta, necnon & coæqualis est. Ergo, &c. Potentiarum porro distributio talis est, vegetatiua circa obiectum internum occupatur: nam etiam circa tale quid vis procreatrix versatur, dũ nimirum sperma conficit, ac fœcundat: à fortiori vis concoquendi, alendi, augendi, expellendi noxia, salubria fugendi, &c. reliquæ quatuor ad externum se ferunt: sensitiua, & intellectiua per species, illa per sensiles; ista per omnino spirituales. Appetitiua bonum vt finem: loco motiua, centrum vt motus terminum, respiciunt.

At quatuor viuentium genera rectè constitues. Quædam vegetantur; quædam sentiunt, quædam loco se mouent: quædam intelligunt. Hæc porro quatuor sic distinguuntur; non quòd sint quatuor tales animæ distinctæ secundum genus animæ: nam quod loco se mouet; (eo scilicet modo, quo id intelligimus, nempe progrediendo sponte quaquauersus, nequit in aliquod genus animæ incidere, quod à tribus prædictis distinguatur. Cur ergo, inquies, constituit diuersum genus viuentis, si diuersum animæ genus non inducit? R. quia datur animal sensitiuum, quod non è loco in locũ se traducit: at verò nullum est è loco in locum se transferens, quod non sit sensitiuum. Ita multiplicantur viuentia, non verò animæ. Vide igitur disparitatem: datur anima vegetatrix, quæ non est sentiens; ergo distinguitur: datur anima sentiens, quæ non est rationalis: ergo distinguitur. At non datur loco-motiua, quæ non sit sentiens: cur ergo distinguetur? Hæc sufficiant.

§. 3.

De diuisionibus viuentium in particulari, præsertim animalium.

CORPVS viuens diuidi primo potest in id, quod est secundum naturam, & quod est præter naturam: illud est quod regulariter fit: istud quod à recta naturæ lege deficit, sicut monstrum, de quo hic modo non est differendum.

Primum scil. naturale, & regulare diuiditur, vt diximus, in animal & plantam.

Animal irrationale & irrationale. Rationale vnicam habet speciem: quamquam antiqui plures eiusce generis species concedebant, eo quod crederent ab intelligentiis diuinis corpora quædam cœlestia, ignea, aëreaue circumgestari, vnde animalium totidem species admittebant: quo factum fuit, vt homo consueuerit aliquando definiri *animal rationale, mortale, gressibile*: sed hæc opinio nunc exoleuit. Ideo vnica solùm species animalis rationalis admittenda est; nempe homo, qui mensura, & exemplar cæterarum animantum meritò potest appellari.

Ad Brutum ergo animal veniamus. In primis id ratione destitui certum est, vt constat ex dictis suprà contra Porphyrium, Plutarchum, Ælianum, &c. nam reuera nec numerare, neque vniuersalium quidquam attingere, aut ratiocinari queunt: alioquin virtutis, ac vitij legibus tenerentur. Quamobrem quidquid de elephantis, ceruis, apibus, canibusque apud Ælianum, aut Lipsium, aliosve repereris, quòd mire, ac pene humanæ solertiæ argumenta prodat, id nihil aliud arguit, quam esse in istis animantibus sensum communem, & phantasiam acutiorem propter exactiorem temperiem sanguinis, & spirituum cordis, & cerebri; ad summùm esse solummodo in iis instinctum singularem ab authore naturæ inditum, quo in iis vmbram aliquam, & quasi præludium rationis præformaret: sic enim inferiora solent vmbram superiorum exhibere, vt hac mirabili perfectionum symmetria rerum omnium harmonia solidiùs, concordiúsque firmetur.

Brutum porro vel perfectum est, vel imperfectum. Perfectum adhuc in terrestre, aqueum, & aërium diuiditur. Terrestre dicitur, quod terreo magis temperamento pollet: aqueum, quod aqueo; aëreum, aëreo.

Terrestris multiplex adhuc partitio est. Gressibile enim aliud, aliud reptile: item aliud ouiparum est, vt salamandra, stellio, lacerta, &c. aliud viuiparum, vt elephas, leo, equus, &c.

Aqueum continet piscium genera, quorum item alij viuos fœtus sine ouis pariunt, vt cete, delphinus, phocæ: alij non nisi ex ouis, quæ quodammodo concepta, non perficiuntur vt in auibus, nec emittunt fœtum, nisi prius à lacte masculi (quod eius semen est) irrigentur: ita vt quæcumque oua illo aspersa lacte fuerint, pisces fiant: reliqua non item.

In piscibus cor inuersum est: & ab eo in branchias meatus porriguntur, per quos humor attrahitur, quo ventiletur, & refrigeretur: pulmone carent propriè dicto, & aspera item arteria. Audiendi, & olfaciendi organa, si habent, ea valde latent, & obtusa sunt; oculi eminent, duri tamen, & palpebrarum expertes.

Piscium alij exangues sunt, alio tamen humore loco sanguinis abundantes, vt sepia, polypus, lepus marinus: itemque ij qui crustaceam, vel testaceam cutem habent, vt cancer, conchylia, ostrea, &c. Alij verò sanguinei sunt, vt cuique notum est.

Ad aërium volucres pertinent, quæ omnes sunt ouiparæ, & binis tantùm constant pedibus: renibus carent, & vesica, vnde vrinam non emittunt, paucoque potu indigent.

Præter hæc sunt quædam animalia, quæ amphibia nominantur: nimirum, quæ in terra simul, & aqua viuunt: ea pulmones habent, & quando in aqua dormiunt, respirandi causa os aquâ exerunt: secus ac veri pisces.

Ex his alia sunt quadrupedia, vt crocodilus, rana, lutra; alia reptilia vt natrix, &c. alia volatilia vt mergus, vrinatrix, anas, ferunt. &c.

Neque hic omittendum est, quod multi referunt sese nauigando in America pręsertim apud Brassiliam vidisse pisces pennatos instar vespertilionum. Nimirum pisces sunt halece paulò longiores & rotundiores, qui gregatim è mari emergere solent, ac sublime volare hastæ altitudine: & ad centum circiter passus. Sæpe hi ad malum nauium impingentes decidunt, manuque capiuntur, & sapore sunt suauissimo. Hæc de perfectis.

Imperfecta, quæ insecta nominantur, quòd diuersis incisuris distincta sint, & viuere post sectionem aliquandiu videantur: vt plurimum carent sanguine; vti & pulmonibus: quocirca si quando sibilant, aut bombinant ex incluso quodam spiritu ad septum corporis alliso id prouenit, aliquando ex putri nascuntur; aliquando non, vt diximus in Physic. cap. 16. §. 4 Horum aliqua sunt pennata, eaque vel binis alis præditæ, vt muscæ, culices, papiliones: vel quaternis, vt apes, vespæ, cicadæ, scarabæi, cantharides, &c. & hæc quandam veluti vaginam habere dicuntur, quâ suas hasce alas integunt.

§. 4.

De stirpibus, earumque partibus.

TERTIVM genus viuentium diximus esse plantam: quod adhuc multifariam diuiditur, ac vix dum certa quadam ratione, vt videri potest apud Scaliger. exerc. 139. contra Cardanum. Quamobrem sufficiet hic præcipua de Plantis annotare: nam qui plura de his volet, consulat Scaligerum cit. Theophrastum, Plinium, Aristotelem, Bodinum, &c. sed in primis Dioscoridem, tum Mattiolum.

Prima diuisio fit in arborem, herbam, fruticem, suffruticem.

Arbor in stipitem altius crescit, herba humiliùs subsidet; frutex à radice ramos profert, vt rosa, myrthus: suffrutex trunco hæret, sicut ruta, viola, hedera, saluia, abrotonum, &c.

Aliter diuiduntur in steriles & frugiferas; ex quibus aliæ baccas solùm, aliæ nuces, aliæ glandes, aliæ fructus edulos ferunt, &c.

Partes plantarum sunt radices, caudices, rami, folia, flores, semina, fructus, cortices, alburni, medullæ, succus, siliquæ. Habent & fibras, quæ illis venarum & neruorum instar sunt: hæc omnia perfectis insunt, haud ita imperfectis. *Radix* ex Aristotele in plantis est id quod in animalibus est caput: huic cohæret *caudex*, qui alimentum à radice attra-

ctum concoquit; vocaturque caulis, truncus, ſtipes. Medulla præcipua eſt ſedes vigoris, ac vitæ in corporibus germinantibus, eſtque veluti officina ſpirituum vegetantium, & prolificorum, Hinc à Phyſicis vocari ſolet cor plantę, ſeu matrix. Per principales & maiores plantæ partes diffunditur, ſcilicet per truncum, & ramos; & inde ad ſurculos deriuatur: ideo partes plantæ diuiſæ facile reuiuiſcunt, quia cum ea medullę parte, quam retinent, habent quoque plurimum humoris vitalis, qui lentus & minùs diſſipabilis cùm ſit, pertinaciùs hæret: in eo autem ſeminalis ratio multum abundat. Reliquæ partes per ſe notæ ſunt, neque quidquam dicendum reſtat, niſi vt aduertamus flores à foliis diſtingui eo ſolùm quod ex benigniore, atque exquiſitiore humore ipſi generentur: ideoque ſuauiorem odorem ſpirant: quod rarò foliis conuenit: aliqua tamen bene fragrant, vt lauri folia: quærit autem Scaliger, an folia ſint arboribus ornamento ſolùm, an adminiculo. Reſp. vtrumque: ſunt enim ſtirpibus id quod capilli hominibus.

Lib. 1. de plant. c. 2. 2. de anima c. 4.

Quod in Plantis præcipuum videtur, id generatio eſt: ſemen enim habent vel manifeſtum, vel occultum: illud iniectum terræ liqueſcit, & calore cùm inſito, tum cœleſti fouetur, ſimulque humor è terra illi conſentaneus attrahitur, quo cum ſemen intumeſcit, rumpitur, quia nimirum eius mador calore decoctus in aërem abiit. Interim qua parte germen rumpitur, oritur germen initio molle, dein firmius; & quod in eo ſubtilius eſt, ſurſum; quod denſius, manet deorſum, radicem compacturum. Prout calor internus ſeminis vegetior, & intenſior fuerit, humoremque nactus molliorem fuerit, citiùs ſemen germinabit. Quamobrem alia aliis citiùs, tardiúſque pullulant. Quædam intra ternos dies vt rapa; alia vix intra annum vt pæonia. In his ars naturam iuuare poteſt. Cæterum plurima vltro ab ea vi, quæ terris Dei munere conſignata eſt, necnon ex rationibus ſeminalibus à Deo in textura elementorum perſperſis eueniunt: cætera ſeminibus, radicibus, propagatione, inſitione, inoculatione, plantatione, talearum proiectione, aliiſque eiuſmodi culturis expullulant. His tamen omnibus præſupponitur humor aliquis internus, cui terræ humor accreſcens, vitæ materiam ſubminiſtret, idque non ſine genitalis caloris adminiculo.

Quædam autem ſtirpes ſunt, quæ ad ſui generationem ex parte materiæ tam pauca deſiderant; vt ſola fere terræ, & aquæ permixtio ſufficiat ad rationem illarum ſeminalem concipiendam, fouendamque. Ideo ſine ſemine manifeſto ſponte in fundis enaſcuntur, vbi multa putredo eiuſmodi temperata exuberat: quæ quia in rimis, ac poris multarũ rupium latet plurima, hinc etiam ſæpe diuerſæ plantæ germinant: eamque germinationem iuuat calor putredinis, itemque ſolaris firmiùs intra prædura corpora conſeruatus. Neque omittendum, quod ait Ariſtot. 2. de plantis cap. 5. ſcilicet aërem anguſtis montium, rupiumque meatibus incluſum, dum nititur egredi aſcenſurus, agitatione ſua incaleſcere, ac ità imbibitum humorẽ ab eo aëre concaleſactum, extenuatumque foras elicit; & inde herbas illas naſci: ſed cur opus tot machinamentis? Calor

vitalis, an non viget vbique? quidni & vi expultrice, itemque propagatrice polleat? Audi Senecam, *non esse terram sine spiritu, palam est: non tantum illo dico, quo se tenet, ac partes sui iungit, qui inest etiam saxis, mortuisque corporibus: sed illo dico vitali, & vegeto, & alente omnia. Hunc nisi haberet, quomodo tot arbustis spiritum infunderet, non aliunde viuentibus, & tot satis?* *quæst. nat. l 6.c.16.*

Habent præterea stirpes, quemadmodum cæteræ animantes facultatem attractricem, qua sugunt alimentum; retentricem, qua retinent adductum; alteratricem qua in sui substantiam vertunt, & expultricem qua excrementa egerunt.

Interim hic mirari decet summi conditoris industriam: cuique enim genti, quæ necessaria erant abunde prospexit. Superflua verò, parciùs: contrariaque in contrariis mirabili sane industria conserta fouet, ac conseruat. Australes indigenæ temperie sunt frigidi: his aromata, vitesque præcalidas largissimè prouidit: Negauit verò Scythicis, ac Germanis, alioquin præcalidis. Simili quoque artificio multas calidissimas stirpes in locis frigidis nasci voluit vt Phylandrium, piper aquaticum, nasturcium Psyllium, &c. & contrà. Item succum aurei mali frigidissimum cortice calidissimo contexit, quemadmodum & præsiccam terram, aqua, &c. Atque hæc de plantis sufficiant.

CAPVT IX.

DE PARTIBVS CORPORIS animati.

§. I.

Anatomica, & breuis humani corporis partium descriptio.

PARTES animalis multiplicis generis sunt. Primum enim hæ sunt internæ, vel externæ: illæ rursus sunt, vel heterogeneæ ac dissimilares, vel homogeneæ, & similares: quæ rursus sunt vel fluxæ, liquidæue, vt humores; vel solidæ vt ossa, nerui, &c. Omissis humoribus, de quibus infra: hic de singulis aliis pauca perstringemus, quatenus Philosophiæ scopus exiget, vt nimirum ea quæ solent de vitę, sensuumque functionibus disputari, clariùs valeant internosci. In externis autem non immorabimur: vnicuique enim nota est constitutio, siue figura capitis, manuũ, pedum, &c. tum si quid in iis scitu dignum fuerit ex internis dignoscetur. Internas ergo diximus esse vel dissimilares, vel similares, *Similares* sunt simplices quædam particulæ corporis, ex quatuor humorum temperatura consurgentes, ad alias partes siue orga-

na conflandum ordinatæ. Huiusmodi ſunt *cerebrum, neruus, medulla, os, vena fibra, caro, tendo, cartilago, adeps, ſanguis, &c. Diſſimilares*, quæ ex his, vt membra omnia perfecta & abſoluta, vt caput, ſtomachus, cor, venter, &c. Hæ his verſibus continentur.

Octo ſimiles ſunt partes, neruus, adeps, os
Arteria, vena, caro, cartilago, cutiſque
Officiis animæ numero ſunt membra viginti
Cor, iecur, & cerebrum, teſtes, veſica, lienque.
Et ſtomachus, pulmo, renes, cum pectore dorſum,
Aures, os, oculi, collum, caput, & pes.

Similares ita breuiter declaremus. *Neruus* eſt ſubſtantia cerebro perſimilis, ſiccior tamen, durior, & denſior, deferendis ſpiritibus ad motum & ſenſionem neceſſariis idonea. Huic affine eſt *ligamentum*: eſt enim corpus neruoſum, quo inuicem oſſa colligantur. Inter hoc & neruum eſt *tendo*; de quo, cum ſermo erit de vi motiua, plura dicemus. Neruos gigni è ſemine voluit Galenus, quia perditi, reſarciri non poſſunt: alij ex carne calore concocta, & indurata. *Vena* & *arteria* ſunt ductus quidam, ſiue canales naturales per quos ſanguis & ſpiritus deuehuntur.

* Arteriæ oriuntur à corde, vt Medici ex pulſu coniiciunt: diſtinguuntur autem à venis, quod illæ pulſent, non hæ; illæ oriri manifeſtè videantur è corde, hæ verò ex Hepate. Illæ ſpiritus, hæ ſanguinem vehant. Venæ vnica tunica conſtant, fibriſque rectis diſtinguuntur. Arteriç vero duplici tunica: exteriore ſcilicet vna, quæ ſimilis eſt tunicæ venarum; altera interiori, quæ durior eſt, craſſiorque, fibriſque tranſuerſis contexitur: cum quadam cuticula in ſuperficie ſimili aranearum telæ. Has quoque ex ſemine oriri vult Galenus, quia reparari non poſſunt.

Caro quadruplex eſt: prima ſine neruis, ſecunda muſculorum, qui ex carne, ligamentis & tendonibus conſtant: neruis quoque ac arteriis quibus aluntur, ſtipantur: tertia glandulosa & craſſior: quarta eſt ea viſcerum. Carnis officium eſt, vt quemadmodum veſtis nauralis corporis, membra foueat, defendatque ab externis incommodis.

Cartilago eſt quid medium inter carnem & oſſa: frigida, dura, & ſicca, minus tamen quam oſſa: quædam eſt in extremitatibus oſſium, ne ipſa in motibus atterantur, carneſue lædant: quædam ab his ſeparata propter alios vſus; ex mucoſo quodam humore illi circumfuſo alitur. A ſemine ſecundum Galenum; à ſanguine, aut ab indurato neruo ſecundum alios gignitur.

Cutis ad tegendum corpus data eſt. Aliaque exterior eſt, quæ cuticula dicitur, ſiue ἐπιδέρμις: alia interior, quæ ſimpliciter cutis nominatur: illa tenuiſſima eſt, & ſenſus expers: Hęc craſſior eſt, temperatiſſima, inter carnem & neruum media, rara, perſpicua præcipuè humana, habens meatus ad expellenda excrementa, vt ſudoré & alios halitus tranſpiratos. Auelli poteſt à carne præterquam in fronte, & labiis propter muſculos.

culos In quibusdam animalibus durissima; in aliis prętenuis; in aliis medio modo. In homine ita cum carne coalescit vt inferri non possit nocumentum cuti, quin etiam carni inferatur: Cuti pinguedo; pinguedini membrana quædam subiicitur, quæ panniculus vocatur; in brutis adhæret adipi, ideo pannus carnosus: in homine ipsi cuti per villos quosdam hæret; neruosaque est: ideo pannus neruosus appellatur.

Membrana est quoddam integumenti carnei genus, diciturque tunica: & nascitur ex substantia membrorum, aut vt aliquibus placet, vel neruorum; vel è semine: vestitque quodlibet membrum, & ossa, & viscera: spissior ac tenuior datur. Circa cor verò, cerebrumque robustissima est.

His denique ossa debemus attexere: ea terreæ naturæ sunt frigida scilicet, & sicca, vt enim è viscoso terræ genere dum calore præcoquitur, & frigore addensatur, lapides fiunt, sic ossa ex parte seminis magis terrea, calore recoquente, ac frigore quasi alternis agente & inspissante fiunt ossa, vt Plato & Galenus asserunt: interius medulla quam è spinali deriuant, nutriuntur. Horum omnium numerum, situm, & officia describenda relinquo medicis.

Hoc solum addiderim quòd Plato plerumque velit hasce partes è medulla fieri: Galenus item aliquando ex sanguine, vt cum l. 2. de natural. facult. c. 3. ait, *os, cartilaginem, arteriam, venam, neruum, adipem, glandulam, membranam, medullam exanguia quidem esse, facta tamen ex sanguine.* Aliàs verò neget ea ex sanguine fieri: verùm conciliari possunt: nam secundum Platonem ex medulla fit semen: secundum alios ex sanguine: Ex semine verò primum hæ partes similares emergunt: deinde nutriuntur, ac concrescunt ex sanguine, siue materno, siue proprio: non tamen puro, & à reliquis humoribus purgato, à quo vtique solæ partes carnosæ fiunt, sed ex impuro, cui scilicet cæteri humores admixti sunt.

Capitis tres partes sunt, *Sinciput*, quod anterius est, & fronti coniunctum *Occiput*, quod posterius, cui cerebrum subiicitur. *Vertex*, qui medium locum occupat: carne tenui extrinsecus tegitur, ac multis meatibus terebrata, quibus excrementa cerebri, & cum his atque ex his pili emittantur.

Interiùs concameratur osseo quodam, & concauo fornice, quem κράνιον, aut vuluam vocant: hoc os minutissimis quibusdam dentibus pectinatim inter se commissis distinctum, tres quasi suturas exhibet: prima in occipitio instar literæ λ, ideo *lambdois* dicta; altera à temporibus vtrinque in verticem porrecta, vocata coronaria: tertia, à lambdoidis angulo in longùm protensa, & nominatur ὀβέλαια: his ergo meatibus crassi vapores cerebri exudant: totum porro cranium membrana quadam circumtegitur, quæ pericranium, siue περιόστιον appellatur. Intrinsecus vero cingitur duabus aliis membranis, quæ cerebrum supra, & subter velant. Horum superior dura, crassa, & cuti cularis est, figura & magnitudine cranio vndique compar: vocaturque *dura Meninx*,

siue *dura Mater*. Ita duplicata est, vt gemina appareat; candidior & aquosior, qua parte vergit ad cerebrum, quam qua cranio est contigua. Cuius vtique basi adhæret firmiter, nisi vbi glandula quædam pituitaria sita est. A superiori parte cranij tantùm distat, quantùm cerebro dilatando & constringendo satis est. Alligatur cranio quibusdam villis, quibus per suturas penetrantibus generat pericranium. Reduplicatur in capitis vertice, cerebrique dextram partem à sinistra sejungit: ad eius solum medium protensa instar falcis. Posteriore verò parte quadruplicatur ac cerebrum à cerebello magna ex parte dissepara t. Inter has autem duræ meningis duplicaturas, quatuor sinus sunt, qui tanquam riui sanguinem, quoquouersum in cerebri substantiam effundunt: ad eius nimirum nutritionem, spirituumque animalium procreationem. Vsus duræ meningis est, vt cerebrum & spinalem medullam tegat, ac conseruet: vt cerebri partes distinguat: vt excipiat venas omnes, quibus sanguis ad caluariam & tenuem membranam defertur.

Altera membrana sequitur quæ *pia mater*, siue *tenuis meninx* appellatur. Hæc in omnes cerebri sinus se insinuat; & vasa per vniuersum cerebri corpus deducit: ideoque secundina dicitur.

At cerebri adhuc mirabilior fabrica est. In primis hoc in homine amplissimum est: Et duæ huius sunt partes. Anterior cerebri nomen retinet, quia amplior; posterior dicitur cerebellum, ex inferiore solùm parte cerebro continuum: nam ex superiore ab eo per duram matrem discernitur. Cerebri substantia mollis est, alba, & medullaris, ex purissima seminis portione fabricata: mediocriter frigida, humidaque ad temperados spiritus vitales, quos è corde excipit, & facit animales: alioquin si calidior esset, motus furibundi, & sensiones phræneticæ semper fierent. Multiplicibus mæandris, & anfractibus implexum est, ad sanguinis & spirituum meliorem præparationem, spirituumque sensoriorum conseruationem, &c. Intus in cerebri medulla subest pars quædam adhuc candidior, & durior venulis arteriolisque nullis intertexta, quæ *corpus callosum* dicitur ob duritiem. Hoc geminis ventriculis dextro, & sinistro excauatur, (quos *anteriores sinus* appellat Galenus.) Hi amplissimi sunt, figuram falcatæ lunæ referentes, siue humanæ auriculæ. In medio fere cerebro siti sunt, & tenuissima cerebri portiuncula distinguuntur, quæ *septum lucidum*, seu *lapis specularis* appellatur. Spiritus crassiores continent: Gemini verò sunt, vt vno læso, alter non desit: vsus triplex adnotatur communiter à medicis: primo ad formationem spirituum animalium: secundo ad inspirationem & expirationem cerebri: tertio, ad odorum perceptionem. Sed de his infra: hi concurrendo desinunt in *tertium ventriculum*, qui sustinetur arcuato quodam corpore, quod *fornix*, siue *testudo* nuncupatur. Hic propriè centrum cerebri occupat. Huic subest quædam portiuncula tenuis meningis, primum latior, deinde angustior instar infundibuli, ad pituitam transcolandam: quæ per glandem quandam dictam *pituitariam*, in palatum paulatim instillatur. Aliunde versus posteriorem cerebri partem illi adhæret glandula quæ-

dam instar nucis pineæ turbinata, quę venis & arteriis in cerebrū fusis, idipsum firmat, vt glandes reliquæ. *Conarium* dicitur. Huic à tergo vtrinque contigua sunt corpuscula quędam rotunda, & duriuscula, quæ *nates* dicuntur. Sub his apparent quidam testes, per quos canalis quidam efformatur à tertio supradicto ventriculo vsque ad *quartum*, qui omnium minimus est, sed solidissimus; cerebello & spinali medullæ communis: paulatimque in acumen instar calami arctatur. Horum ventriculorum mentio sæpe deinceps recurret. Ideò accuratiùs eos hic describere placuit.

In capite sunt organa sensuum pręcipuorum sc. visus, auditus, olfactus, & gustus, de quibus suo loco.

Illi collum quasi basis subnectitur, rotundum, & oblongum, spinæque, & humeris insitum: per posteriorem eius partem descendit spina dorsi, vertebris 7. inter se neruis, ac cartilagine colligatis frondescens: atque à ceruice deriuata; in qua foramen est, per quod partim à cerebro; partim à cerebello medulla spinalis corriuatur, quę quasi appēdix, & vicaria medullæ cerebri dicitur, dura pariter ac tenui membrana obtecta. In hac propagandorum neruorum in reliquum corpus mira inest fœcunditas: vt enim ad dorsi finē peruenit, tota iam neruosa effecta, ex se quasi funiculos, siue filamenta innumera, instar Equinę caudę, propagat. Interimque per singula vertebrarum foramina, neruos emittit: omnesque illi, siue qui ad lumbos, siue qui ad dorsum disperguntur, per fibras aliquas à ceruicali medulla videntur procedere, vt testantur anatomici cum Galeno, licet contrarium dicat Arist. vt dicemus infrà.

Ex superiori ergo parte huius medullæ spinalis nerui & musculi ad maxillas, & linguam porriguntur, qui motum illi, & firmitatem afferunt. In anteriori colli parte guttur habet asperam arteriā, & gulam velut duas fistulas è circulis, & cartilagineo corpore factas, quarum vsus dicemus infrà.

Sequitur pectus, (humeros brachiaque omitto, quia minùs in iis artificij latet.) Hoc anteriorem corporis partem occuppat; latum est, tumens, & costis 12. vt Galeno placet, curuis, & spinę vertebris alligatis vtrinque constrictum. Hinc inde mammis protuberat, lac gignentibus in fœmina, secus in viro ex Gal. licet Aristoteles velit à viris gigni lac, sed paucius, densiusque ita vt effluere nequeat: Mammarum substantia spongiosa est, quæ plurimis venis & arteriis distincta, cum vtero talem habet sympathiam, vt ex hoc in illam refluat facile sanguis, ex quo infantium alimentum pręparatur.

Partes, quibus pectus siue thorax constat, alię sunt continentes, alię contentę. Continentes sunt *cuticula*, *cutis*, *adeps*, *panniculus neruosus*, *membrana communis musculos omnes conuestiens*. Quę patent ex supra dictis.

Contentæ sunt, *Cor pulmones*, *vena caua ascendens*: *arteria magna*, *vena arteriosa*. *arteria venosa*, *aspera arteria*, *æsophagus*, quibus adde *pleuram*, *mediastinum*, *diaphragma*, vt omittam musculos quibus mira indu-

ſtria ſtipatę fere omnes eiuſmodi partes ſunt, vt varios motus edere valeant.

Cor, eſt intra pectoris cauitatem in ſiniſtro latere à ventriculo ſeparatum, coni figurã referens, eamq; paululum faſtigiatam, ex carne ſolida fit, triplici villorũ genere intertexta, rectis, obliquis, & tranſuerſis, iiſque omnibus mirum in modum implicatis; nec ſine propria vtilitate, vt firmiùs ſtabiliatur, & ſanguis huc illuc attrahatur: aut attractus aſſeruetur. Habet autem duos ventriculos vnum dextrum, ſiniſtrum alterum: quorum dexter à caua vena per villos ſuos rectos ſanguinem ſugit, & haurit, indeque in partes alias per tranſuerſos, perque venam arterioſam, in pulmones traiicit. Siniſter ventriculus ſpirituum vitalium fons eſt: hauſtumque à dextro ſanguinem per orificium intermedium vtrique commune, ceu ſeptum poris percribratum, vi caloris naturalis, qua pollet maxima, conuertit in ſpiritus: ab hoc arteria magna, quam aortam vocant, oritur, & in duos quaſi ramos diffinditur: ac deinceps in alios multos: vtrique ventriculo ſubeſt quædam quaſi aùricula quaſi promptuarium vel ſanguinis pro dextro; vel aëris pro ſiniſtro ventriculo; ideo quæ ſubeſt dextro, in orificio venæ cauæ; quæ ſiniſtro in orificio arteriæ venoſæ ſita eſt. Totum cor pellicula circumtegitur, quæ περικάρδιον appellatur. Hoc diaphragmati, pleuræ, & mediaſtino, alligata, illud munit, & natiuo quodam humore refrigerat, quod item facit adeps illi eam ob cauſam maximè adiacens In medio pectoris ſitum eſt, ſic tamen, vt eius mucro paululum deflectat in latus ſiniſtrum verſus mammam, vt eam calore ſuo foueat, ſicut iecur calefacit alteram. Venam habet quæ totam eius baſin cingit, ideo *coronariam* dictam, à qua rami multi hinc inde ſparguntur. Aliquando ea gemina eſt. Similiter arteria, ſæpiuſque geminata baſin cordis etiam coronat. Denique neruos habet exiles admodum, qui videntur à *6.* coniugatione deſcendere. Fallopius multos hic admittit. Negant alij.

Ad alterum pectoris latus nempe dextrum eſt *pulmo*, quem Plato in Timæo vocat cordis ventilabrum, ex carne ſpongioſa, dilatabili & cõplicabili conſtat. Latus eſt: & ſicut bouis vngula in duas partes diuiſus eſt: totam pectoris capacitatem implet; in dorſi vertebris conſidet; tenuique tunica obducitur. Triplici vaſorum genere pulmo ſuſtinetur & cohæret: vena arterioſa; arteria venoſa; & aſpera arteria. Eſt autem vena arterioſa, vena quæ habet tunicam arteriæ, proceditque à dextro cordis ventriculo: Hæc in prima fœtus conformatione continuatur arteriæ magnæ, ac ſolius arteriæ officio fungitur, poſtea verò ſolum illud venæ retinet: Arteria venoſa contrà, primùm continuabatur venæ cauæ; & venæ locum ſupplebat: poſtmodum partu edito, ſolam arteriæ vicem exercet. Igitur vena arterioſa è dextro cordis ſinu enata in vniuerſam pulmonum ſubſtantiam riuos effundit. Arteria verò venoſa in omnes pulmonis partes ſparſa, trunco vnico in ſiniſtrum cordis ſinum intruditur, ob eos fines, quos referemus aliàs. Aſpera arteria à faucibus in vniuerſum pulmonem decurrit. Tota hęc pulmo-

num ſubſtantia tenui tunica obducitur. Maxima quoque pulmonum & cordis connexio eſt: alligantur enim cordi per vaſa duo. Dorſo verò per aſperam arteriam.

Notandum eſt quatuor vaſa ſuperiùs enumerata ſcil. *venam cauam, arteriam magnam, venam arterioſam, & arteriam venoſam* in baſi cordis inſeri cum vndecim oſtiolis, quaſi valuulis: quarum duæ adnaſcuntur arteriæ venoſæ: tres verò ſingulis aliis tribus: ex his aliæ foris aperiri; intus verò claudi: aliæ contrà, foris claudi: intus aperiri ſolent: ne ſcilicet impetu ſanguis, aut aër ingrediantur, aut egrediantur.

Oeſophagus denique eſt gula ipſa, ſeu vt aliis placet, ſtomachus, nimirum ductus à faucibus ad ventriculum pertingens, quaſi ſyringua, ex duabus membranis conſtans, quarum exterior carnoſa eſt, villiſque circularibus & tranſuerſis obſita: interior craſſa & neruoſa: venaſque proprias habet, arterias, neruoſque, vt cæteræ partes diſſimilares.

Pleura eſt membrana omnes prædictas thoracis partes ſuccingens, tenuis, ſed tamen firmiſſima: ſparguntur per eam plures neruorum ſurculi è 6. coniugatione: craſſior circa dorſum, vbi vertebrarum ligamentis nectitur: vbi ad mediam fere thoracis partem peruenit, hinc inde duplicatur, & à ſpina ad ſternum fertur, dexteram thoracis partem à ſiniſtra dirimens: & huiuſmodi ſeptum vocatur *mediaſtinum.*

Diaphragma eſt ſeptum muſculoſum, quod quaſi paries interiectus ventrem medium ab inferiore, & vitalia organa à naturalibus dirimit, tranſuerſo ſitu collocatum: ab anteriore enim thoracis parte ad poſteriorem protenditur: Conſtat duobus circulis: vno membraneo; altero carnoſo: duabus venis, totidem arteriis, & duobus vtrinque neruis: duabus item tegitur tunicis, & duobus foraminibus eſt peruium: per quorum vnum ſtomacho præbetur via; per alterum, venæ cauæ, præſertim ad motum pulmonis adiuuandum, vt dicemus inferiùs. Ideò fere totum muſculus eſt.

Supra illud eſt iecur à dextro latere; à ſiniſtro verò lien: illud habet figuram ſemicirculi, carnoſum, & ſanguineum: de quo multa dicentur aliàs. Lien eo paulò depreſſior eſt, figuræ oblongæ, & triquetræ: ſpongioſus, niger, & laxus: hæret coſtis, quas nothas vocant: plures venulas ex ſe aliò ſpargit, præcipuè in ventriculum, à quo melancholiam ſugit, & ad os ſacrum, quo ſuccos fæculentiores egerit, quibus ſæpe hæmorroidæ gigni ſolent.

Infra hoc ſitus eſt *ventriculus* ad quem per diaphragma à faucibus deſcendit gula: id eſt, arteria ex carne molliori confecta, traducendo alimento idonea, ideo dilatatu, ac compreſſu facilis: ventriculus eſt figuræ rotundæ, & oblongæ, ac dorſo alligatur anguſto quodam canali quo cum gulæ extremo committitur, ne natiuus eius calor, ſi apertus eſſet, exhalaretur. De hoc multò plura dicemus inferiùs.

Vẽtriculo proximè ſubſunt *inteſtina* innumerabilibus ſpiris, & anfractibus ſinuata, vt cibus in illis diutiùs hæreat, ac ne animal perpetuo deglutiendis cibis inhiaret, inquit Plato: quod immediate ventriculo ſub-

materia prolifica, vt sunt testes, &c. de quibus consulendi Anatomici.

Inter has principales humani corporis partes omitti non debet vterus maternus, qui distinguitur in duos sinus dextrum & sinistrum, inanes quidem & cauos: sed nullo interuallo dissectos, à quibus communis est via in os vteri, quod est angustissimum. Intra illum diuersæ venæ sunt, & arteriæ à ramulis venę cauæ, & maioris arteriæ nascentes, quæ ad coxas & crura confluunt. Ex his quædam ad nutrimentum vteri tendunt: aliæ in vteri sinus absconduntur, quos *acetabula*, Græcè κοτυληδόνες vocitantur, per quos menstruus sanguis, statis temporibus effluit; aut si grauida est fœmina, in alimentum fœtus vertitur. Atque hæc sunt præcipua, quę hic describi debuerunt. Cætera vt humeri, brachia, manus, crura, pedes, &c. magis communiter innotescunt: neque eorum notitia ita requiritur ad functiones animæ perdiscendas sicut illorum quæ descripsimus: videamus nunc quid sit de humoribus sentiendum.

§. 2.

Quænam partes animentur.

QVAS hactenus partes descripsimus, verè animari nemo dubitat: sed multum controuertitur de sanguine, lacte, capillis & similibus. Quare

Notandum est inter similares quasdam esse quæ animali ad eius consistentiam inseruiunt, cuiusmodi sunt partes solidæ: alias, quæ vel ad fouendam temperiem, nutritionemve iuuandam, aut ad aliquid eiusmodi prosunt: & fluidæ sunt, vt 4. humores, sanguis, pituita, vtraque bilis: inter has partes accẽsendi sunt spiritus, quibus operationes fiunt, mouentur nerui, cor calefacit, vita fouetur in partibus, & species in interiora organa, loco aëris medij, deferuntur, &c. Hę partes saltem ad integritatem & necessitatem animalis pertinent: aliæ solùm ad ornatum, vt vngues, capilli, &c.

Certum est autem *primo*, omnes partes solidas quæ pertinent ad internam animalis constitutionem, & de quibus egemus suprà, esse anima præditas. Hoc patet ex dictis suprà cap. 5. §. 3. solùm ergo vertitur quæstio de sanguine, cæterisque humoribus, necnon de adipe, lacte, semine, &c. Quamobrem, vt hæc paucis hic dirimamus; Hæc ita sigillatim examinemus.

CONCLVSIO prima, Probabilius est sanguinem non animari: ita Galenus 2. *de Elem.* Seneca 2. *q. nat.* D. Th. *p. 1. q. vlt.* Alb. Magn. &c. idque frequenter affirmat Aristoteles. Ratione autem sic roboratur: *primo*, quia omnis pars animata debet esse continuata reliquo corpori; sed sanguis non continuatur ex Aristot. Ergo. Mai. patet, quia hoc necessariò requiritur ad vnitatem specificam, & indiuidualem recipiendam: alioquin, si partes in continuo propterea noluimus esse actu

distinctas, quia non efficerent vnum actu; à fortiori hoc de partibus animalis dici potest.

Secundo; sanguis effusus est eiusdem rationis ac inclusus: sed effusus caret anima. Ergo.

Tertio, principaliter sic probatur: Quod in corpus animatum conuertitur, id ante conuersionem sine dubio non erat animatum, vt per se patet: & docet Aristot. *lib de gen. t. 2. & 3. de anima t. 45.* sed sanguis in corpus animatum conuertitur. Ergo. hoc confirmatur ex S. August. lib. de vera relig. vbi ait, *alimenta carnis corrupta in membrorum fabricam migrant*, id est, inquit S. Thomas, amittentia formam suam, vt scilicet formam aliti recipiant, & ipse postea subdit *humidum nutrimentale est, quod nondum peruenit ad suscipiendum perfectè naturam speciei. sed est in via ad hoc, sicut est sanguis, & alia eiusmodi.* Adhoc alij Respondent duplicem esse sanguinem: vnum arterialem, qui in arteriis est, alium venalem, qui in venis: illumque viuere, non istum. *Contrà primo*, arterialis non est aliud, quam spiritus vitalis, cum arteriæ solum eiusmodi spirituum sint organa. *Secundo*, nulla potest adduci ratio, quæ probet arterialem viuere, quæ id pariter non probet de venali: Alij distingunnt sanguinem nutrimentalem à vitali, illumque in iecore esse: hunc verò in corde, & hunc solum viuere. *Contrà*, distinctio hæc nullo innititur fundamento, & hac ratione sufficienter improbatur, quòd omnis sanguis in alimentum sit à natura destinatus.

Obiicies primo, ex Conc Trident. sanguinem poni sub speciebus panis verbis consecratoriis per concomitantiam, ob connexionem scilicet illius cum carne. Item in Conciliis Ephes. & Chalcedon. definitum fuit à Verbo æterno assumptum esse sanguinem vnione hypostatica: non fuit verò assumptum, nisi quòd purè ad naturam humanam spectabat. Resp. sanguinem pertinere ad substantiam hominis, vt partem integrantem, quæ naturali & specificæ animalis constitutioni seruiat; non verò, vt partem quæ specificam constitutionem ingrediatur. Item sanguis, proximè dispositus est ad animationē, ideò rectissimè à S. Thoma vocatur pars in potentia: sic enim ait; *Carnes, & ossa sunt actuales corporis partes, ex quibus constituitur integritas corporis, & ideo non debuit corpus Christi formari de carne, vel de ossibus virginis, sed de sanguine, qui nondum est actu pars, sed est potentia ad totum, vt dicitur in lib. de gen. animal.* Deniq; vt sic, animato proximus est, eiusque forma vix vno gradu differt ab anima: calore quoque, qui est instrumentum animæ, fouetur, & agitatur: ideo præambulas vitę operationes elicit: mouetur quoquouersus interno illo principio impulsus; feruet, & partes corporis fouet, &c. tametsi nullas adhuc edere videtur, quibus testetur se viuere: neque enim sentit, neque nutritur, neque generat, &c. Ob has ergo rationes sanguis debet poni sub speciebus per concomitantiam: quod etiam facit pro nobis: nam si esset verè pars corporis animati constitutionem intrans, non per concomitantiam, sed per se ex vi verborum adesset. Ob id etiam assumi debuit à Verbo diuino ex quo effici homo Deus voluit:

quid ergo, inquies, an Deus assumpsit naturam irrationalem, cuiusmodi se haberet sanguis? Resp. inuidiosam esse vocem hanc, *naturam irrationalem*: vel enim sonat substantiam completam & specificam; & hoc modo Deus illam sibi non deuinxit: vel solùm significat naturam partis non animatæ actu, sed ordinatæ ad seruiendum naturæ animatæ, & talem à Deo fuisse assumptam nihil vetat.

Obiicies secundo, effuso sanguine, animal moritur: deinde animal esset ens per accidens. Resp. ignem oleo consumpto extingui, an hoc propterea eius pars est? ad aliud Resp. totum per se dici dupliciter *primo*, pro toto specifico: *Secundo*, pro toto Physico, & quouis modo secundum specialem naturæ intentionem integrato: animal viuens cum sanguine non est totum per se primo modo, sed secundo.

Obiicies tertio, in Leuit. cap. 17. & Deut. c. 12. dicitur quòd *anima carnis in sanguine est: sanguis eorum pro anima est.* S. August. ibid. ait *in sanguine vitale quidpiam includi:* Et Aristot. lib. 3. hist animal. cap. 19. *palpitat intra venas sanguis omnium animalium, pulsuque simul vndique mouetur: solusque omnium humorum sparsus per totum corpus animalium est: & semper quandiu vita seruatur; sanguis vnus animatur, & feruet.* Resp. animam esse in sanguine, inchoatiuè, ac in potentia proxima: & quia vita cuiusque animalis potissimum pendet à sanguine, sicut lampadis flamma ex oleo: quamobrem volens Deus crudelem populum ab effusione sanguinis deterrere, eius horrorem illi voluit incutere: vide S. Thomam 1.2. *qu.* 102. *a.* 3. *ad* 8. Hinc in ipso aliquid vitale est *primo*, quia inest proxima dispositio ad vitam. *Secundo*, inest spiritus vitalis, & calor è corde afflatus. *Tertio*, in aliis ab homine sanguis habet multum rationis seminalis. Ad Aristot. Resp. vix quidquam horum esse in Græco: solùm enim sic ait, *palpitat autem sanguis in venis in omnibus simul animalibus: solusque omnium humorum per totum corpus animalibus* inest, *semperque, ac quandiu viuit, solus sanguis:* vbi est ergo, *sanguis animatur, & feruet?* sed esto, quidni hoc de illo dicatur propter feruorem, & calorem spirituum, quibus incalescit in corpore?

Hinc quid de reliquis humoribus dici debeat, satis patet: non enim magis merentur animari, quam sanguis. Idem quoque de spiritibus ferri iudicium debet: instrumenta sunt animæ, non sedes: ab eaque mouentur, & agitationem accipiunt, at non vitam: fiunt enim ex sanguine: neque continuantur, vt transcurrere citiùs valeant.

Conclusio secunda: idem quoque dici potest de lacte, & adipe: siquidem ambo alimenta sunt, vel quid ex sanguine secretū, anteaquam is in substantiam animalis conuertatur. De lacte autem dubitatur, an à sanguine distinguatur specie, nec ne. Negant Aristot. & Clemens Alexand. lib. pædag. cum aliis: affirmant tamen alij viri doctissimi: quidquid sit: lac dicitur fieri ex sanguine menstruó detersis ab eo sordibus, & fæcibus: ideo dum affluit, cessant menses, vel saltem magna ex parte hunc sanguinem sugunt vbera vi attractrice, qua naturaliter pollent: suctumque coquunt magis, ac purgant. Aliquando, nec sine portento,

in maribus accidisse legitur. Quidquid sit in alimentum adhibetur: ergo non est animatus. Atque hanc conclusionem facile Thomistę admittunt cum D. Th. *in 4. d. 44. & Aristot. 2. de gen. animal. cap. 3.*

At de adipe si verum sit, id quod Galenus vult, eum tenuiorem esse, ac leuiorem sanguinis partem, in loco frigidiori concretam, certè sequitur etiam non animari, & hoc nobis sufficit: neque enim hic Medicos agere volumus, vt solicitius perquiramus quid sit, frigidusne, an calidus natura; & alia eiusmodi, quæ non sunt nostri instituti. Hic de semine posset idem inquiri, sed aliàs de eo fusiùs.

Qværes, quid de capillis & vnguibus dentibusque dici debeat? Respond. rem esse admodum dubiam. Thomistæ ex D. Th. *in 4. d. 44.* affirmant, Ratione hac potissimum moti, quòd exhibeant vitæ operationem: crescantque per intus susceptionem, & determinatam augescendi periodum habeant, vt ossa, cortex, & folia. Addunt aliqui, nisi hoc sit, non posse rationem dari, cur Æthiopum filij, quantumuis in regione temperata nati, capillos semper crispos emittant; at si animati sint, in prōptu esse rationem, quia nimirum, eadem virtute formatrice, qua reliquum corpus plasmatum fuit, ipsi quoque sunt concinnati, atque inde characterem quemdam originalem paternæ virtutis, ac crispitudinis primitus impressum, semper post hac cum eadē anima seruant. At aliunde ista, præsertim vngues, & capilli, solùm ex excrementis enascuntur: crescunt etiam per iuxta positiones, vt lapides: vnde in mortuis plurimùm augentur. Quamobrem haud facile litem componere quis poterit. Vtrumque probabile: neutrum conuincit. Dentibus tamen lubens concesserim vitam, quia sensu doloris, vel acutissimo affici possunt: itemque vnguibus, qua parte carni adhærent: nam in reliqua videntur mortui & exsiccati.

Capvt X.

DE PRÆCIPVA SEDE ANIMÆ.

§. I.

Explicatur quæstio.

Qværitvr hic vtrum ex omnibus illis partibus, quas supra descripsimus, sit aliqua principalis, in qua sedem suam anima præ cæteris constituat, & quænam ea sit. Quapropter

Notandum est olim huiusmodi quæstionem multum fuisse agitatam: vt potest ex his Theodoreti verbis elici: Hippocrates, Democritus, & Plato, principem animæ vim in cerebro sitam esse affirmant; Strato in medio sincipitio; Erasistratus autem medicus, iuxta membra-

lib. 5. de curat. græcar. affect.

nam cerebri, quam epicranidem vocant; Herophilus in ventre cerebri; Parmenides & Epicurus in toto hominis thorace; Empedocles, & Ariſtoteles, & vniuerſa Stoïcorum ſocietas cor animæ ſedem dicunt; Horumque rurſus alij eam in cordis ventre conſtituunt; alij verò in ſanguine; alij in cartilagine, quæ cor obſepit; alij autem in ipſo diaphragmate, &c.

Notandum eſt ſecundo hanc quæſtionem intelligi poſſe duobus modis: *primo*, ita vt anima noſtra ſolum reſideat in ea parte, inde in reliquum corpus operationes vitæ per adminiſtros ſpiritus diſpenſatura, quemadmodum ſecundum multos ipſe Ariſtoteles creditur eam in corde collocaſſe. *Secundo*, ita vt reſideat ipſa in toto corpore, ſed præcipuam operationem, ex qua pendet reliqua corporis adminiſtratio in vna ſolum parte præ cæteris electa & nobiliſſima exerceat. Atque is eſt ſenſus de quo nunc loquimur.

Tertio, notandum eſt adhuc in quæſtionem vocari, vtrum vna debeat talis conſtitui ſedes, an plures: ſunt enim aliqui qui tres facultates præcipuas enumerant, iecur, cor, cerebrũ: vires enim omnes animalis in tres claſſes diſtribuunt: naturales, vitales, & animales: primæ vegetandi; ſecundæ viuificandi, tertiæ ſentiendi officia denotant: primas ſanguine; ſecundas calore vitali; tertias ſpiritu animali peragi dicunt: ſanguinis verò originem, iecur; caloris vitalis, cor; ſpiritus animalis, cerebrum eſſe. At communiter ſolet contrarium defendi cùm à medicis, tum à Philoſophis ſaltem illuſtrioris famæ: eo quòd vt in magno mundo perfectus ille ordo elucet vt cuncta referantur ad vnum primum mobile, à quo perpetua ſerie pendent cætera; ſic in paruo mundo, vnoque animali, non impar à Deo conſtitutus ordo videatur: eſſeque vna quædam pars debeat, cæteris nobilitate, viribuſque præcellens. Præterea gradus animæ, (ſiue vires ipſius) ſic diſponuntur; vt ſequens ſupponat antecedentem, & vnus includatur in alio; non ſecus ac trigonum in tetragono, vt dicitur 2. de anima: at hoc ſeruari non poteſt niſi ordinatarum facultatum ſedes aliqua ſit prima, & vltima in quam cætera velut in communem regionem deſinant. De hac ergo eſt præſens quæſtio, in qua multum commendantur authoritates Platonis, Ariſtotelis, & Galeni: Hi enim ſolent præcipuè à diſſentientibus in patrocinium adſciſci. Quamquam neque plane adhuc conſtat, quid hi omnes ſenſerint. Licet enim communis opinio ſit Platonem & Galenum aſſignaſſe principatum cerebro; Ariſtotelem verò cordi: ſunt tamen qui velint hos omnes ſimul conuenire, ſedemque principalem in corde conſtituere: vt videre poteris apud Iacobum Carpent. in Alcinoum digreſſ. 6. alij contra volunt hos omnes eam in cerebro collocare: adeo certè perplexa hæc ſemper quæſtio habita fuit: nec minor eſt perplexitas rationum. Quamobrem problematicè agendum hic cenſui, vt quiſque quod libuerit amplecti queat.

§. 2.

Vtriusque partis argumenta ponderantur.

PRIMA SENTENTIA, quæ Philoſophorum dicitur, eſt ſedem illam principalem eſſe Cor: ita Simon Portius, Carpentarius, Picolominæus, &c. Fauent SS. Patres, S. Hieronymus in cap. 14. Matth. id probat ex illo Matth. 23. *à corde exeunt cogitationes prauæ*. Tertull. lib. de anima, idem variis ſacræ Scripturæ authoritatibus roborat: idem quoque Ariſtotelem, & Platonem tenuiſſe poterit ex ſequentibus manifeſtum videri.

Ratione iam probatur ſic: illa pars cenſeri debet primaria, & principalis ſedes animæ, quæ eſt origo, & principalis officina ſpirituum, necnon caloris natiui: atqui cor eſt eiuſmodi. Ergo. Mai. patet, quia in his conſiſtit primum, ac commune, necnon viuaciſſimum animæ inſtrumentum, quo ipſa vniuerſum corpus vegetat, omneſque cum vitæ, tum ſenſus operationes exercet. Min. eſt communiſſimè recepta: nam de calore, nullus dubitat: de ſpiritibus, res æquè videtur certa, quia fiunt hi ex puriſſima ſanguinis portione beneficio caloris vegetalis: & quamquam attemperari poſſint hi aliis in membris, vt eorum operationibus iuuandis accommodentur; tamen eorum prima origo & ſubſtantifica matrix in corde eſt.

Præterea idem poteſt ex comparatione cordis cum cerebro ſic colligi: imprimis cor in medio animalis, quaſi centrum à naturâ conſtitutum eſt: *Cor*, inquit Ariſtot. *in parte priori, & in medio ſitum eſt; in quo principium vitæ, omniſque motus, & ſenſus eſſe cenſemus.* Et ſanè ipſum adeo vitæ ac ſenſus origo eſt, vt læſa vitali facultate, quæ in eo reſidet, reliquæ omnes facultates debilitentur: quidquid in contrarium dici queat. *Secundò*, ſolum cor à ſe omnia excrementa vitæ aduerſantia expuit; quam multa cerebro inſunt, & hepati! *Tertiò*, multa monſtra viuentia ſine capite viſa ſunt; nulla ſine corde: quin & quæ ſtirpanimalia dicuntur, cerebro carent, cor verò, vel quid æquiualens habent. *Quartò*, multis cerebrum aliter quam oportet efformatum viſum eſt, cor verò, nuſquam. *Quintò*, cerebrum immobile eſt, tantum non vt expers vitæ, frigidum eſt, excrementis ſcatet: vix ſentit, &c. Cor verò, vt vniuerſæ vitæ fomes, & fons, continenter mouetur; & quod ſol mundo; ipſum corpori adminiſtrat lucem ſcilicet & calorem: ſereniſſimũ ſemper, ac expurgatiſſimum manens, ſenſu exactiſſimo valet, & vel minimas citiſſimè ſentit læſiones.

Sextò, quòd maximè conſiderandum eſt, cor eſt primum viuens, & vltimum moriens, vt colligitur ex 2. lib. de gener. animal. cap. 4. vbi ait cor primùm excerni, vti *principium, à quo etiam pòſt ordo membrorum deſcribatur, & quæcumque ad abſoluendum animal pertinent*: & rationem reddit, quia *cùm pars quæuis diſtinguitur, id primùm exiſtere neceſſe eſt, ex*

quo & incrementum, & motus cæteris partibus contingant: item quia *principium est similarium, & dissimilarium omnium partium.* Hinc exploraturi, an quis adhuc expirauerit, manus supra regionem cordis imponimus, & ex motu cordis vltimam vitæ periodum conjectamus.

Scio equidem non id apud omnes pariter exploratum haberi: sunt enim qui velint primum animari venam vmbilici; deinde iecur, tum cor. Alij cum Hippocrate putant formari simul omnia: verùm esto formentur aliqua membra priùs corde: at non certè priùs animantur: aliud enim formari: aliud animari est; neque certè decet animam inesse actu corpori priusquam formatum cor fuerit: præsertim cum supra dixerimus animam necti cum corpore per spiritum: hic autem fit in corde: Ergone principium vitæ actu inerit in eo, in quo primarium vitæ instrumentum non est? fatebor equidem simul totum corpus animari: sed tamen contendam primam vitæ operationem à corde inchoari, sicut & in corde definire, certum est.

Confirmatur hoc experientia quæ à quibusdam sumpta est, secundum quam constat primò formari cor ante cerebrum: & in illo priori, si pungatur cor, contrahi, quod argumentum est illud sentire tunc, ac consequenter viuere, cerebro nondum absoluto.

Septimo, secundum aliquos, cor nulla graui ægritudine laborare potest quin eius læsionem reliquum corpus persentiat & marcescat. Neque vllum viuere potest animal, ex cuius corde portio quantumuis exigua detracta fuerit: secus de cerebro. Etsi enim lædatur, nisi ad interiorem ventriculum noxa peruenerit, nulla fit in motu, aut in sensu læsio: & licet ista negentur à nonnullis: videntur tamen rationi & experimento congruentiora. Ita igitur cor per omnia reliquis humanæ fabricæ partibus præstat.

Probatur *tertio,* quia cor videtur esse non solùm arteriarum, sed & venarum, atque neruorum principium: de arteriis id fatentur omnes: de venis idem confirmatur *primo,* ex Platone, qui clarè in Timæo id docet. *secundo,* quia vena caua suum in corde orificium habet: ac non minùs, quam arteria magna in eo implantatur: venæ omnes ipsi affixæ sunt, & continuæ; habentque valuulas, quæ meritò illarum dici, haberique principia, & capita debeant: *Tertio,* Hepar mollius est, quam vt ab eo soliditatem venæ suam mutuentur: *quarto,* sanguis crudior exit ab hepate: debetque laboriosiùs in corde concoqui, ac purgari, vt inde ad nutrienda membra diffundatur: *quinto,* Piccolominæus narrat stylo in dexteram cordis auriculam iniecto, ac tum transmisso per hepar vsque ad venam magnam spinæ dorsi adiacentem, truncum venæ cauæ cordi iunctum maiorem videri: atque hac experientia conuictum Vessalium, concessisse cor esse venarum fontem. *Adhæc* in sectione animalium vena caua eâ parte, quâ cordi nectitur, apparet cordis motu agitari. Hinc non immerito Aristoteles vocauit cor primam conficiendi sanguinis officinam: quod is in corde vt in conceptaculo, in hepate verò vt in canali contineatur: neque alicubi extra venas existat, præterquam in cor.

de. Denique ob eam natiui, & sympathetici principij virtutem in animi deliquio sanguinem ad cor, vti ad fontem refugere, non ad hepar; non ad cerebrum: sicut ob eandem rationem in quiete animalis, cum spiritus suæ naturæ relicti, propriam sedem quærere sinuntur, atque in ea quiescere, spiritus ad cor confugiunt, non ad cerebrum: ideo tunc refrigeratur cerebrum; præcordia secus magis calefiunt, & vigent.

Quod verò cor sit etiam neruorum radix, inde coniectatur, quòd eius caro dura sit, densa & coriacea, plexusque neruorum habeat pœnè infinitos, & licet nerui à cerebro videantur deriuari, tamen prius occultè à corde ad cerebrum serpunt tenuissimæ fibræ, ceu arteriæ minutissimæ quæ in cerebro densiores effectæ, hinc sub visibili neruorum forma relabuntur.

Quarto, cor est primum sentiendi principium. Ergo est præcipua sedes. Antec. patet multis modis, nam preter authoritatem Aristotelis, quæ clara est, *in 5. de animalium ortu, c. 2. & 2. de part. Animal. c.* 10. Potest Hippocratis calculo id approbari: *l. de corde.* clarè ait: mentem habitare in sinistro cordis ventriculo: *& l. de morbis virgin.* sub initium, ait illarum delirium persæpe inde prouenire, quòd cum sanguis non habens effluxum, præ multitudine resiliat ad cor, & ad septum transuersum, quibus repletis; *Cor fatuum fit: deinde ex fatuitate torpedo; postea ex torpedine delirium*, &c. Hinc Plato in Theæteto cor facit memoriæ sedem: atque ex bona, vel mala eius temperie, memoriæ laudat, vituperatue qualitatem. Hinc multi existimāt cor esse ipsum primum phantasię organum: eo quòd hæc ab appetitu, vel non distinguatur, vel certè non separetur. Appetitus autem in corde est. Et quia mens quodammodo cum corpore per actus phantasiæ connecti, vel sociari videtur Ideo multi, quos inter Piccolominæus est, dixere mentis quoque sedem in corde constitui. Id quod etiam inde confirmatur, quòd si cor minùs calidum sit, quàm oporteat, imaginatio minùs perfecta efficiatur: similiterque memoria, & vis iudicandi multum ex temperamento cordis, vel iuuentur, vel lædantur: vnde fœminæ communiter viris animi præstantia cedunt, quia cor habent humidius. Hinc ingeniosi, cordati viri dicuntur, &c. Hæc pro cordis principatu.

Ex altera parte Galenistæ insurgunt: & quasi pro aris, focisque pugnant affirmando cerebrum corde multò esse præstantius. Argumenta sunt huiusmodi.

Primum est, quia est primum principium organicum motus voluntarij, & sensus: ergo cum hæ duæ functiones sint præcipuæ operationes animæ organicæ, sequitur cerebrum esse præcipuam eius sedem. Antecedens probatur, *primò*, quia reuera secundum omnes anatomicos ipsum est neruorum principiū; ideoque hi cerebro sunt assimiles: intus enim molles sunt, ac medullosi, foris verò membranis vestiti & obducti: quin etiam neruuli, qui circumplectuntur cor, filamenta solùm quædam sunt vnius satis exigui, qui è sexta coniugatione neruorum à cerebro veniente deducitur. Neruos autem eiusmodi seruire motui spon-

taneo norunt omnes: *secundo*, mouetur cor solum motu naturali; eoque violentè moto, vt in palpitatione fit, nec voluntarius partium motus deprauatur, nec ratio: at compressis cerebri ventriculis, vt fit in apoplexia, & epilepsia, otiantur omnia.

Secundum, Si cor esset facultatum omnium primaria & principalis sedes, eius temperamento insigniter deprauato functiones omnes lęderentur; sed hoc est falsum: nam in hectica febre, voluntariæ omnes, ac sentientes facultates saluæ manent, & incolumes. Item constat ab aura pestilente, & à venenato morsu vel haustu vitalem vim oppugnari; adeo vt cordis dolor, deliquium, vomitusque frequenter eueniant, dum tamen reliquę facultates maneat illibatę, & qui hoc modo affecti sunt ę-què bene sentiunt & ratiocinantur, ac ante.

Tertium, si facultatum principium, & sensitiuarum aliqua deprauetur, remedia capiti, non cordi adhibentur. Ergo præcipuarum sensionum sedes potius in cerebro, quam in corde collocanda est: Ideo ex nimio studio, ac attentione & diuturniore meditatione caput dolet, non cor, caput inflammatur, &c. Aliunde manifestè constat omnia fere sensuum organa esse in capite: memoriam lædi, aut iuuari, prout cerebrum aut cerebellum deterius, vel salubriùs afficiuntur, itemque variata eorum temperie variari quoque eam, vel in peius, vel in melius.

Quartum, falsum est cor esse etiam venarum principium: vt omnes Medici tuentur: & inde confirmatur, quòd truncus venæ cauæ amplior videatur in hepate, angustior verò in corde, inque ipso hepate venæ per innumeros ramusculos radicentur. Quamobrem vena caua solùm in cor subit, sanguinem in eius dextrum ventriculum infusura, neque per eandem viam sanguis ille regreditur, quia sic valuulæ sunt fabrefactæ, vt influentem ab hepate sanguinem ingredi sinant: egredi verò prohibeant. Denique non omnis sanguis meat in cor, neque ex corde in reliqua.

Quintum, Galenus 1. de placitis testatur, secto, aut intercepto neruo, qui per cordis substantiam disseminatur, non concidere animal; sed solum obmutescere. Item animalia plurima in sacrificiis præciso corde vociferare, & ambulare visa sunt. Imo sunt qui scribant testudinem, & Chameleontem auulso corde aliquandiu viuere, alij asseuerant experimento didicisse canes auulso subtiliter corde adhuc aliquandiu latrare, sentire, ambulare, &c. Hæc pro Medicis. *Paulus, Vrbinas, Columbus.*

§. 3.

Conclusio.

His vltro citroque agitatis quid adiici queat, non video. Solum itaque nonnulla seligam, quæ vt certiora, ita & scitu digniora mihi videbuntur. In primis cùm anima operationum genera multa possit ac debeat edere; debuit quoque multiplici organo præmuniri: & con-

sequenter quasdam illi Deus partes præcipuas adaptauit, quibus immediatè obiret munia diuersorum generum: aliam videlicet ad sentiendum, aliam ad nutriendum, &c. & hoc modo dicere possumus hepar esse vnã ex præcipuis ad sanguinem efformandum; cor ad spiritus vitales; & cerebrum ad animales. Ideo peculiari ratione venas ab hepate; neruos à cerebro; & arterias à corde oriri oportuit: reliquæ partes ad has referuntur.

Secundo, sicut hæ vni animæ subordinantur: ita mutuo quodamconcentu debent inter sese connecti per communem quandam animæ vim illarum conciliatricem: nullus autem concentus sine ordine: nec ordo sine subordinatione. At maximè talis subordinatio vigebit inter potentias, si ad suas omnes operationes exercendas vna quadam communi vi egeant, à qua principaliter pendeant, & per quam mutua omnium communio fiat: sicut in mundo visibili plures sunt causæ vniuersales, cœlum ad lucendum, terra ad germinandum; ignis ad purgandum, &c. tamen omnes illæ fiunt intermedio calore cœlesti, qui omnia permeat, fouet, connectit, & perficit. Ita in animali agnoscendus est calor vitalis. Is enim est velut commune, ac centrale instrumentum, sine quo nihil ab anima fit circa corpus, & quo mediante fiunt omnia. Hoc si ita sit, sine dubio illa pars, quæ fuerit fons huius caloris, dicetur centrum totius communionis, quæ reperitur inter partes animalis, & consequenter principium subordinationis, quam constitui necesse est inter omnes facultates vnius animalis. Ideo rectè Aristoteles: ex vnitate cordis ait semper vnitatem animalis constitisse, 4. *de gener. animal. c.* 4.

Fatebor quidem cerebrum, & iecur esse partes principes, & ab hoc quidem immediatè formari efficique sanguinem, qui per venas congruè illi adaptatas in multa mẽbra distribuatur: similiter à cerebro spiritus animales præparari, qui per neruos ab eo manifestè prodeuntes in reliquum corpus citissimè discurrant: fatebor item omnes sensus, motusque voluntarios ab hisce spiritibus pendere, vti dicemus suo loco. Hoc vnum tamen hic obtendo, quod nihil huiusmodi fiat sine calore vitali, è corde manante. Is facit, vt hepar chylum coquat, natiuamque sanguinificandi virtutem refocillat, perficitque, Sine illo etiam inertes euaderent spiritus animales, ipsa scilicet natiua cerebri frigiditate obtundendi. Vt à corde saliunt quo plus feruent: temperari debent: at non extingui. At neque sanguis per venas ascenderet, neque spiritus ocyssimè per neruos ita exiles & tortuosos discurrerent, nisi hoc calore vitali animarentur. Ergo ratione huius solius caloris, cuius veluti fornax in corde est: ac propter spiritus vitales, aut in animales conuertendos; aut cum animalibus, & cum sanguine ad omnes, cùm motus, tum sensus operationes edendas commixtos, crediderim certè cerebrum, heparque cordi subordinari, vt proreges Regi, à quo facultates accipiunt. Fortè suppeditat neruorum propagines, vt dictum est suprà: fortè etiam terminat venam cauam, vt refluat sanguinem coctiorem, non vt suscipiat indigestum. Fortè vt volunt *Harueius*, & *Ioan. Vvalaus* susceptum, coctum-

coctumq; sanguinem reuomit per arteriam. Sed in his non moror: vera hæc non sint: certè priora negari non possunt.

Certum quoque ex dictis arbitror, talem esse consensionem inter cor, & cerebrum, vt diu sine alterutro animal esse nequeat. Imo neque grauem in alterutro contingere posse læsionem, sine graui animalis iactura: potest quidem leuiter sauciari cor, vigentibus adhuc aliis facultatibus: secus si læsio caloris emanationem aut impediat, aut extinguat. Et quemadmodum pictor sola manu sine penicillo picturam prosequi non potest: sic nec anima solo corde, sine cerebro, eiusque influxu sensum, motumue voluntarium edere potest, vt contingit in epilepsia. Et quemadmodum irrigato viridario, & postmodum exsiccato fonte, humor ante aspersus arbores aliquandiu humectat, ac proluit; sic læso corde, spiritus qui ab illo salierat, potest vitalem aliquandiu eius efficaciam retinere, ac spargere. Falsum tamen reputauerim canem auulso corde vixisse superstitem, itemque reliquas animantes: quî enim sine principio vitali viuere potuissent? Quod de sensus ac phantasiæ sede vtrimque refertur, aliàs copiosiùs dissereretur: & hæc sufficiant.

CAPVT XI.

DE POTENTIIS ANIMÆ, earumque distinctione.

§. 1.

Exponitur quæstio & soluitur.

MVLTI quæstionem hanc magni faciunt. Ego parui; omnes siquidem quæstiones, vbi de sola distinctione rerum alioquin inseparabilium agitur, parum ad naturas rerum perfectè dignoscendas, conferre mihi semper visæ sunt: sed falli possum. Ideo cõmuni aliorum consuetudini facturus satis; hanc breuiter proponam, & expediam. Quæritur ergo, an potentiæ, quibus anima, vel in corpore, vel etiam supra corpus potest operari, sint accidentia verè, ac realiter ab eius essentia distincta, & ad prædicamentum qualitatis realiter item à substantia distinctæ pertinentia.

Hic autem ea decet recolere, quæ diximus in Phys. c. 21. §. 2. ibi enim multiplex genus potentiarum distinximus, nunc verò solùm loquimur de potentiis, quibus anima in composito suo, non vltra illud operatur, quales sunt potentia vegetatrix, generatrix, appetitiua, visiua, imaginatiua, &c. Quò etiam pertinebunt potentiæ intellectiuæ, vt voluntas, & intellectus: nam de his omnibus par est ratio: & quidam volunt has

non distingui, neque à se inuicem, neque ab essentia, nisi verbo tenus, ac solo modo loquendi: Ita *Nominales*: alij distingui eas volunt, sed solùm formaliter à parte rei: sic *Scotistæ*: alij haud aliter quam connotationibus, & relationibus. Ita vt anima dicatur potentia videndi, quatenus ordinatur ad actum videndi, & intellectus, quatenus ordinatur ad actum intelligendi: sic *Henric. quodl. 3.q.14. Gratiadeus in Phys. q.15. Dur.in 1.d.3.* Alij denique volunt eas absolutè distingui realiter: sic *Thomistæ*, cum quibus sit

CONCLVSIO. Probabilius est potentias animæ cum à seipsis, tum etiam ab eius essentia realiter distingui. Ita expresse *S.Thomas 1. p.q.77.a.1. Alb. Mag. in 1.d.3. Ægidius, Herueus, &c.* Ita quoque Platonici secundum Ficinum *l.10.de Theol. Plat.* & Stoici secundum Plutarchum *4.de placitis.* Bannez in *1. q.77.* conatur hanc conclusionem firmare authoritate sacræ scripturæ. Sed nihil inde profert, quod non facile soluatur ab aduersariis. Quamobrem sufficiet hic ea producere, quæ fidem non diuinam, sed humanam duntaxat facere valeant,

In primis ergo probatur conclusio auctoritate: nam S. Dionys. l. de Cœlesti Hier.c. 11. in Angelis distinguit hæc tria *essentiã, virtutem, & operationem.* Idem supra ex Proclo notauimus c. 1. Accedit D. August. qui quamquam obscurè admodum de hoc loquatur in libris de Trinitate, tamen satis euidenter ostendit in ea se fuisse persuasione, vt animi potentiæ ratione saltem aliqua reali, & non ficta distinguantur: libro enim 15. c. 17. in hoc maximè discrimen mentis nostræ à diuina concludit, quod ea quibus tres personæ sese intelligunt, ac diligunt, *non distent in eis, sicut in nobis aliud est memoria, aliud intelligentia, aliud dilectio, seu charitas.* Et c. 22. *non tamen sicut in imag.ne Trinitatis, non hæc tria vnus homo; sed vnius hominis sunt,* &c. Idem quoque docet *S. Ansel. 1. de concord. prædest cum lib.arb. c. vlt.* & similiter Magister sent. *in 1. d. 3.* quem sequuntur *D. Bonau. & Alex. Alensis.* Denique idem voluit Aristoteles, cùm Platonem in loquendo imitatus, animæ potentias per partes distingnit, ac enumerat *l. 2.t.27.& l.3.t.20.&c.*

Ratione autem probatur sic: Cuius *posse* distinguitur ab *esse*, eiusdem etiam potentia distinguitur ab essentia. Sed in anima non est idem *posse*, ac *esse*. Ergo in anima potentia distinguitur ab eius essentia: & quidem realiter, quemadmodum realiter aliud est *posse*, & aliud *esse*. Ma. est euidens, quia sicut se habet *esse* ad essentiam, sic *posse* ad potentiam. Ideo vti *posse* distinguitur ab *esse*, necesse est, vt aliud sit id quo sumus; aliud id quo possumus. Atque hocce genere argumentationis semper vsus est S. August. in li. de Trinit. & alibi. Probaturus enim in nobis distingui sapientiam, vel memoriam ab essentia, non alio vtitur medio, nisi *quia non est nobis esse, quod est nosse: vel sapere,* l. 15, &c. Minor probatur, quia quæ diuersos à parte rei effectus formales inferunt; vel diuersis modis possunt variari, certè à parte rei differunt: sed *posse* & *esse* sunt eiusmodi: Enimuerò *esse* toti composito cõfert anima: posse vero soli parti organicæ: vnde verum est eo

quod videre possit, ab ea exigi determinatum oculi organum: non verò eo quòd simpliciter sit. Hinc esse potest sine corpore, & sine oculo: videre autem non potest sine vtroque: item *esse* ipsum æquale in omnibus animantibus est: *posse* verò, non item: nam in aliis potentia visus præualet, in aliis olfactus, &c. & inter animos immortales, aliis datur *posse* subtiliùs & perspicaciùs intelligere, aliis obtusiùs: licet in omnibus idem, & eodem modo esse se habeat. Respondent quod animæ conueniat *posse* per se, ac per suum esse: sed ita vt *posse istiusmodi* connotet ordinem ad actus distinctos, qui quandoque nequeunt exeri sine quibusdam corporeis organis: vnde potentiæ organicæ dicuntur: aliquando sine illis quidem, sed non sine obiectorum quorumdam applicatione, quæ pédet vel ab anima, vel à Deo, vel aliunde vt fit in intellectu, voluntate, &c. Sic inquiunt, anima in ordine ad se considerata, dicitur essentia; in ordine ad corpus, anima; in ordine ad operationes, potentia. Sed *contrà*: fundamentum diuersæ connotationis & ordinis debet esse diuersum. Ergo aliud est, vnde connotat operationem: aliud vnde non connotat: tum eatenus connotat operationem, quatenus potens est operari. Ergo potentia supponitur vt radix talis relationis, & non per illam inducitur.

Hoc inde vlteriùs confirmatur, quòd vnius Dei hoc videatur esse priuilegium, vt per essentiam suam possit, quæcumque potest: creatura verò solùm participatione, ac contingenter. Ideo aliud Dei donum est potentia, qua quidpiam boni agere possumus: aliud essentia, qua quidpiam boni sumus: vnumque potuit Deus conferre sine alio: sicut modo sæpe id quod est *posse* confert, hoc quod est *operari*, non tribuens.

Confirmatur, quia quæ dicuntur animæ facultates, perfectiones quædam sunt, quæ illam essentiâ suâ iam gaudentem supponunt, quæque ad sui complementum aliquid externi desiderant, sine quo absolutè operatio exerceri non potest: neque enim mens potest intelligere sine speciebus, vel sine irradiatione idearum: neque anima sentire sine organis, sine luce, aut sine calore, &c. Cum ergo anima in ratione animæ sit perfectè completa per seipsam, non verò in ratione potentiæ, sequitur ipsam reuera potentiam suam non esse; atque in conceptu potentiæ, necessariò includi aliquid, quod præter essentiam eius sit, eique contingenter adueniat.

Denique hoc multò conformius est communi modo loquendi omnium hominum: dicimus enim nos per voluntatem velle, per intellectum intelligere; & ita solent omnes distinguere facultates, vbi diuersa operationum genera discernunt. Mens, inquit S. August. *reminiscitur per memoriam; intuetur per intelligentiam; amplectitur per dilectionem*, &c. Dices his significari solùm animam quatenus intelligit, intellectum dici; quatenus diligit, voluntatem, &c. *Contrà*, ille modus loquendi reuera innuit potentiã esse quid medium inter animam, quæ operatur, & operationem ipsam: quod habeat rationem instrumenti; sitque animæ ratio agendi hoc aut illud. Sicut dum dicimus: homo pedibus am- 15 de Trinit. c. 20.

bulat; manu percutit; penicillo pingit, &c. Ita cum ratio & communis modus loquendi conueniant, videtur probabilius rem ita se habere, præsertim, cùm in contrarium obstet nihil. Alias rationes vide apud D. Th. 1. p. q. 77. eiusque discipulos: præcipuè Bannez.

§. 2.

Rationes oppositæ diluuntur.

IN primis occurrit S. Augustinus, qui profectò contrarium videtur asserere 9. de Trinit. *Simul*, inquit, *admonemur, si vtrumque videre possumus hæc in anima existere, & tanquam inuoluta euolui, vt sentiantur, & dinumerentur substantialiter, vel, vt ita dicam, essentialiter, non tanquam in subiecto, vt color, aut figura in corpore, aut vlla alia qualitas, aut quantitas. Quicquid enim tale est, non excedit subiectum, in quo est; non enim color iste, aut figura huius corporis potest esse, & alterius corporis. Mens autem amore, quo se amat, potest amare & aliud præter se .... Quamobrem non amor, & cognitio tanquam in subiecto insunt menti, sed substantialiter etiam ita sunt, sicut ipsa Mens .... Item quamuis substantia sit amans, vel sciens; substantia sit scientia; substantia sit amor, &c.* Et lib. 10. cap. 11. ait tria hæc *memoriam, intelligentiam, voluntatem* esse vnam vitam, vnam mentem, vnam substantiam Potuitne clariùs dicere potentias animæ ad ipsius essentiam, & substantiam pertinere: easque minimè accidentia esse credenda?

Respondeo hæc verba iam olim diligentissimè ponderata fuisse à Magistro sent. Alex. Alensi, Alb. Mag. D. Th. D. Bonau. & aliis S. Augustini fidissimis discipulis, qui tamen omnes constantissimè docent ex mente ipsius, potentias animæ ab ea esse distinguendas. Quamobrem Respondet Magister in 1. d. 3. has vires esse proprietates ipsius animæ, à se inuicem differentes, ita vt vna non sit alia: dici tamen substantialiter esse quid vnum in anima, vt distinguantur ab accidentibus communibus, quæ sunt in subiecto, sic tamen vt possint abesse, & adesse citra eius corruptionem. D. Bonauent. idem quoque hic sentit: & addit has potentias dici substantiales, eo quòd per reductionem sint in eodem genere, in quo est anima: & similiter dici posse essentiales, id vocabuli extendendo ad id, *sine quo res non potest cogitari habere perfectum esse, vt sunt potentiæ in anima, & hoc est minimo modo substantiale, siue essentiale, non tamen tendit in aliud genus*: & in 2. d. 24. a. 2. q. 1. ait potentias animę ad eius essentiam pertinere, proptereà quòd in eius essentia radicentur, adeoque illi adhæreant intrinsecus, vt non cadant in aliud genus. Hæc solutio videtur maximè consentanea menti S. Augustini, quia dilucidè, ac disertè sententiam Platonicorum, qua imbutus ipse erat, explicat: volebant enim illi multos esse actus, viresque varias intra ipsummet substantiæ genus, vt de vita, lumine, rationibus seminalibus persæpe subinnuimus. Quomodo autem queant ista reuocari ad genus

ſubſtantiæ, ſic D. Bonauentura cit. exponit. Quinque modis, inquit, poteſt aliquid ad genus ſubſtantiæ reuocari: *primo*, ſicut principia. 2 ſicut complementum. 3. ſicut viæ. 4. ſicut ſimilitudines. 5. ſicut priuationes. Principia ſunt vel eſſentialia, vt materia & forma; vel integrantia, vt manus, pes, &c. Complementum eſt vel actus primus, vt vita, eſſe; vel aptitudo, vt differentiæ, quæ complent ſpeciem: quò poſſemus quoque reuocare primas proprietates, ex quibus ſpecierum diſtinctio communiter deſumi ſolet, vt hinnibile, riſibile, &c. Via eſt vel progreſſus ad ſubſtantiam, vt generatio; vel egreſſus è ſubſtantia, vt emanatio virtutis: & huc potentias anima reuocat: quia ſunt quædam energiæ, quibus anima quaſi è ſeipſa in externum quid exit, vt quando ex ſemine intelligentiæ, vel dilectionis, quod in natura ſua fouet, à Deo ſcilicet inſertum, prodit in actum ſecundum, quo rei à ſe diſtinctæ per notitiæ, vel affectûs cognationem accedit. Similitudo, vt ſpecies coloris, color eſt, &c. ſic animæ potentia conſideratur, non vt quid ab anima ſeparabile, ſicut color, aut ſcientia, &c. ſed ſicut aliquid eſſentialiter connexum animæ: ita vt anima in illo, ac per illud, intelligatur progredi ad obiecta; & illud quaſi via eius ad aliud, aut tanquam vis eam exprimens, & ex ea vigens, ac per eam, neque vnquam ſine ea.

D. Thomas vtpote Ariſtoteli magis addictus, cum nihil vellet admittere medium inter ſubſtantiam propriè dictam, & accidens, quod in 9. prædicamenta diſtribuitur, aſſeruit potentias eſſe verum accidens de genere qualitatis, ac propriè in anima, vt in ſubiecto ineſſe, ideo cogitur exponere D. Auguſtinum quaſi locutus impropriè fuerit: vel quaſi nomine cognitionis, & amoris ſolum rem cognitam, & amatam ſubaudiuerit: lege illum *1. p. q. 77. a. 1. ad* 1.

„ Interim notari velim hic D. Auguſtinum nomine cognitionis, & „ amoris his in locis non eſſe intelligendum de actibus elicitis, ſed de „ quodam actu virtuali, ſecundum quem dici poteſt anima ſemper ſe „ ſe cognoſcere, & amare: ſic Plotinus, Iamblicus, & alij olim docue„ re animam rationalem in continuo actu intelligendi eſſe, quamquam „ is à nobis niſi reflexione percipi non valeat: volebant ſcilicet hi men„ ti ſic *intelligere* conuenire, ſicut luci *lucere*. Quamobrem cum anima „ ſibi ſemper præſens ſit, ipſam ſibi ſemper eſſe cognitam aſſerebant: „ ſed hoc, vt dixi, de notitia virtuali debet intelligi; ſeu, ſi malis, de „ aliquo ſenſu intellectuali, ac velut intima quadam, & iugi perceptio„ ne experimentali, qualis eſt ea, qua ſentimus nos viuere, etiam cum „ de eo minimè cogitamus: non verò de actuali propriè dicta notitia: „ quam D. Auguſt. propriè nomine cogitationis indicauit Ità illum fa„ cile intelliges, dum lib. 15. cap. 15. dixit *ſempiternum eſt enim animo vi„ uere, ſempiternum eſt ſcire, quòd viuit: nec tamen ſempiternum eſt cogi„ tare vitam ſuam, vel cogitare ſcientiam vitæ ſuæ: quoniam cum aliud, at„ que aliud cœperit, hoc deſinit cogitare; quamuis non deſinat ſcire.*

Obiicitur ſecundò. Anima per ſeipſam poteſt intelligere, ac velle: ergo fruſtrà multiplicabis potentias. Antec. patet: *primo* quia anima ex

natura sua est intellectiua veri, & appetitiua boni: *Secundo*, anima est per se id quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus. *Tertio*, saltem cum organis corporeis potest esse sufficiēs principium operationes corporeas exercendi. Resp. negari communiter Antecedens à Thomistis, & merito; quia vt non potest creatura existere per essentiam, sic nec operari: & consequenter aliud in ea esse debet principium existendi; aliud operandi: vnde volunt id pertinere ad discrimen creaturæ à Creatore. *Dices*, forma quædā accidentalis datur, quæ immediatè per essentiam suam sit principium operandi, vt calor, lux, &c. ergo quidni dabitur similiter forma quædam substantialis? Resp. nego conseq. quia tota eiuscemodi formarum essentia in eo posita est, vt sit ipsamet virtus; siue potentia substantiæ: secus de forma substantiali: 2. quia forma accidentalis est eiusdem ordinis & generis, cum operatione: non verò forma substantialis: est autem admodum vero consentaneum, quòd potentia quæ per se ordinatur ad aliquem actum sit eiusdem cum illo generis: sicut solet omne principium reduci ad genus eius rei, cuius est principium.

Quoad instantias verò, quibus antecedens probabatur: *Resp. ad primam*, animam ex natura sua esse quidem intellectiuam, & appetitiuam radicaliter; at non formaliter. *Ad secundam*, similiter animam esse primùm & radicale principium, quo viuimus, &c. *Ad tertiam*, Nego sola organa sufficere sine potentia formali, quæ homini iam completè existenti censeatur accrescere. Idque ob rationes inductas.

Obiicitur tertiò. Quæ nulla vi, aut ratione possunt separari, ea sunt realiter idem: sed anima, & eius potentiæ sunt eiusmodi: sunt enim eius proprietates, & consequenter accidentia inseparabilia: *& confirmatur*, quia si separari possint, fingamus actu à Deo animam Petri suis potentiis destitui; & ponatur in corpore organizato, tunc an non illud viuificabit? an non vegetabit? eritne etiam animal rationale? at hæc quomodo faceret sine potentiis? Resp. *primo*, ex suprà cit. D. Bonau. constare, quòd secundum D. August. potentiæ, non sint naturæ quædam separabiles, sicut color, &c. & alia communia accidentia. Id quod etiam tenuit Caietanus, cū bene multis aliis: & ipse in primis D. Thomas fauet maximè, cùm ait *quòd cum potentiæ animæ sint naturales proprietates eius consequentes ipsam essentiam animæ, non potest esse sine illis*: & alibi negat dari apud Deum ideam propriæ passionis distinctam ab idea subiecti, eo quòd passio simul sit, ac simul fiat cum subiecto: quemadmodum ob eandem rationem generis non datur idea, quæ ab idea speciei distinguatur: quibus verbis ostendit proprietates verè ad essentiam, cuius sunt, pertinere, eique nexu essentiali, & insolubili æquè ac genus connecti: vnde haud multum à D. Bonauentura & à S. August. differre videtur, nisi forte solum in modo loquendi. Nec difficile profectò fuerit illos conciliare, si hanc distinctionem admittere lubeat: vt scilicet potentia dicatur accidens prædicamentale prædicatione directa, & Logica: licet substantialis sit prædicatione reductiua, & Physica.

12 qu 110. a 4. ad 3.

1. p qu 15. a. 3. ad 4.

Resp. 2. cum D. Thoma cit. in 12. *dato quòd anima sine potentijs esset, adhuc tamen diceretur secundum speciem suam intellectualis, vel rationalis; non quia actu haberet potentias: sed propter speciem talis essentiæ, ex qua nata sunt eiusmodi potentiæ effluere.* Quid ergo in corpore efficeret? certè solum esse ipsi contraderet, vnde animal quidem rationale constaret, sed quod neque actu intelligere, neque ridere, neque videre, &c. posset, sed solum radicaliter. Prior tamen solutio magis arridet.

Obiicitur quartò. Quæ eadem actione fiunt, sunt omnino idem, quia cum actio non distinguatur à termino, vt diximus in Phys. cap. 42. §. 4. sequitur non posse multiplicem esse terminum, si vnica tantùm sit actio. Atqui eadem actione fiunt potentiæ, qua fit anima, vti modo diximus ex D. Th. qui propterea docuit non aliam esse ideam proprietatis ab idea subiecti. Resp. ad Mai. quæ fiunt eadem actione virtualiter indiuisibili, sunt idem, *concedo*: quæ fiunt eadem actione virtualiter diuisibili, sunt idem, *nego*. Resp. 2. negari posse Min. quia potentiæ fiunt actione, quæ propriè dicitur emanatio: anima verò fit actione, quæ est creatio. vel eductio. Nec propterea diuersam ideam exigent, quia emanatio potentiarum virtute continetur in creatione: & Deus creans animam, simul principium creat, ex quo immediatè, ac in actu secundo potentiæ oriantur.

§. 3.

An potentiæ distinguantur per ordinem ad actus & obiecta.

HÆc quæstio sequitur ex priori: cum enim potentiæ distinguantur ab essentia: necesse est, vt distinguantur inter se. Quamobrem videndum est, à quo petiearum debeant pluralitas, & distinctio.

In primis notandum est aliud esse potentias distingui per ipsos actus, eorumque obiecta: aliud eas distingui per ordinem ad actus & obiecta: primum significaret ipsos actus, & obiecta esse principia formalia distinctionis potentiarum; vnde sequeretur ea simul esse principia specificantia, & constituentia, & consequenter intrinseca, ad eum modum, quo rationale constituit hominem, eumque à cæteris distinguit: hoc autem falsissimum est. Cùm verò dicitur potentias distingui per ordinem ad actus & obiecta, consideratur fundamentum huius ordinis tanquam quidpiam intrinsecum ipsis potentiis, & in hoc sensu sit

CONCLVSIO: potentiæ distinguuntur per ordinem ad diuersas rationes actuum, petitas à diuersis obiectis adæquatis. Quamobrem prima distinctionis radix & mensura debet si non deriuari, certè inuestigari ex obiectis. Quandoquidem potentiæ ex essentiali suo, ac primo instituto destinantur ad talium, vel talium obiectorum assecutionem, quæ quia non fit nisi per actus: Ideo per se ordinantur ad actus: quatenus per eos attingunt hæc obiecta. v. g. potentia visiua ex se instituta est ad per-

ceptionem lucis & colorum : ideo perse ad visionem eliciendam dirigitur, vt ea mediante colores percipiat : ita non oportet diuidere ordinem ad actus ab ordine ad obiecta : sed potius vtrumque simul, ac per modum vnius contemplari. Hinc fiet, vt qua ratione, actus specificabuntur ab obiectis, eadem potentiæ specificentur ab actibus. Rursus cùm obiecta sese ad potentias habeant vt fines: finis autem habeat rationem perfecti : quippe qui totam rei ad se tendentis inclinationem terminare, ac satiare debeat : ideo necesse est hic nomine obiecti, per ordinem ad quod potentiæ distinguuntur, intelligi obiectum adæquatum & proprium : quomodo v. g. se habet verum ad intellectum : coloratum siue lucidum ad visum, &c. sic ergo exposita Conclusio probatur breuiter : Cuius tota ratio est in ordine ad certa obiecta per certos actus, id variatur aut multiplicatur per ordinem ad certos actus & ad certa obiecta: sed potentiæ sunt eiusmodi. Ergo. Totum argumentum est euidens: & sanè quid est potentia, nisi efficacia quædam & vis ad certa quædam obiecta per certos quosdam actus tendentis? estque in anima id solum, quo hæc mobilis est ad hoc aut illud, ideo sicut motiua per motus distinguũtur à terminis : & relatiua à correlatis: sic potentiæ ab obiectis.

Dices, An non potiùs deberent distingui à principiis, è quibus emanant? si enim ad eorum speciem & essentiam reuocantur, an non etiam ad specificam eorum distinctionem specificè different? alioquin certè potentia visiua hominis, nihilo magis differret à potentia visiua leonis, quam ab alia potentia alterius hominis: hoc autem inde maximè falsum conuincitur, quòd proprietates conuertantur cum subiecto: neque enim proprietas hominis, eius esset proprietas, si leoni, vel alij vlli conueniret: at potentiæ sunt proprietates. Resp. nequaquam posse ab essentia erui potentiarum distinctionẽ : quia cum vnica essentia plures potentias habeat, necesse est, vt aliunde distinguantur. Quamobrem ad obiectionem duplex solet adhiberi distinctio. Prima est eiusmodi : potentiæ animę possunt considerari duobus modis : *primo* sub præcisa notione potentię: *secundo* sub notione proprietatis : primo modo, inquit Caiet. distinguũtur per ordinem ad obiecta, vt diximus : & sic potentiæ hominis & potentiæ leonis in ratione potentię non differunt : secus verò, secundo modo : Eodem recidet, si dixeris potentias illas specie logica, & secundum id quod directè, atque formaliter sunt ex seipsis, mutuo conuenire : differre verò specie physica, & secundum quod reductiuè, atque ex subiecto sunt : sic ex Auerroë membra hominis, & membra leonis differunt specie ob diuersam appropriationẽ, qua reuera pertinent suppositiuè ad diuersas species : licet alioquin in ratione ceruicis, vel cordis conueniant.

in 1. p. q. 71 a 5.

Secunda Responsio est, quòd attendi debeat gradus, è quo proprietates emanent : nam aliæ prorumpunt è gradu specifico, vt risibilitas, ratiocinandi facultas, &c. Et hæ soli conueniunt homini : aliæ verò è gradu generico videlicet animalis, vel viuentis, & hæ debent in omni animali, vel in omni viuente reperiri : & cum tali gradu conuertuntur.

Hoc

Hoc autem modo cunctæ potentiæ sensitiuæ, vt potentia visiua, imaginatiua &c. sunt proprietates animalis; à quo gradum vtique mutuantur: & in ratione potentiæ sensitiuæ ab eodem animali specificantur: licet in ratione talis, vel talis potentiæ distinguantur per ordinem ad actus & obiecta.

Dices secundo, potentiæ & actus sunt quid absolutum secundùm essentiam: Ergo non constituuntur per relationem ad aliud. Resp. potencias esse quid absolutum, per oppositionem ad relationem prædicamentalem: non verò per oppositionem ad transcendentalem: licet enim relatio prædicamentalis sequatur potentiam operantem; tamen potentia, vt prior actu, & ex se solùm relatiua est transcendenter.

Instabis tertio, si potentiæ distinguantur per ordinem ad obiecta, sequi vt vnius obiecti vnica esse deberet potentia: quod tamen est falsum, cùm verum & bonum sint vnum & idem: & tamen ab illo intellectus, & voluntas ab hoc speciem desumant suam. Aliunde potentiæ non minùs à diuersis obiectis particularibus deberent distinctionem vsurpare, quam habitus, quod tamen verum non est. Resp. negando sequelam: & ad instantiam Respondet S. Thomas distinctionem potentiarum non desumi ex distinctione materiali obiectorum: sed ex diuersa ratione formali ipsorum: Hoc tamen multorum diu torsit ingenia. Sufficiat modo, quòd cùm potentia non ob aliud ordinetur ad obiecta, quam vt circa ea sic afficiatur, quantum animarum, vel compositi perfectio exigit: si in eadem re sint diuersæ formalitates, quæ modis toto genere diuersis possint afficere operantem: tunc censentur constituere diuersa obiecta formalia & adæquata: sic autem se habent veri, & boni rationes: nam vt verum, illuminat; prolicit, vt bonum: illud assimulatione, quæ parit verbum: hoc adhæsione & complacentia, quæ parit affectum, percipitur. Denique actus illi ex ipso suo genere necessariò à parte rei diuersi sunt: vtpote realem ac necessariam subordinationem, & dependentiam includentes: affectus enim è notitia pendet. Quæ ergo potentiæ per se ordinantur ad tales actus, prout sic in genere specificantur ab eodem obiecto diuersas rationes obiectiuas continente, eæ verè atque realiter distinguuntur: sic se habent intellectus, & voluntas respectu veri, & boni. Ergo. Ad reliquum Respondet D. Thom. cit. quòd potentia superior per se respicit vniuersaliorem rationem obiecti, quam potentia inferior: & consequenter, quam habitus: vide 1. *p. q.* 77. *a.* 3.

1. p. qu. 10. *a.* 1. *ad* 2. & *q.* 59. *a.* 2.

QVÆRES, an in potentiis animæ ordo aliquis reperiatur. Resp. cum D. Thoma cit. affirmatiuè, quia cùm vna sit anima, & potentiæ plures: necesse est, vt ordine quodam ab vno in multitudinem procedatur: quia id Deus in omni multiplicatione obseruat: oppositum inordinationem argueret, quæ in operibus sapientissimi conditoris nusquam potest inueniri: *quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt.*

Ordo autem duplex est, Naturæ scilicet, & generationis. Secundum ordinem naturæ, potentiæ intellectiuæ sunt priores potentiis sensitiuis, vnde dirigunt eas, eisque imperant: & sic sensitiuæ vegetatiuis: quam-

quam non æque iis imperent: ſed tamen vt perfectiores, priùs quoque à natura intenduntur. Secundum ordinem generationis contrarium accidit, vt ait idem S. Thomas: ſed hoc velim potiſſimum ita intelligi, vt anima prius expedita ſit ad exercendum ordinem potentiæ quem habet ad actus vegetatiuos, quam ad actus ſenſitiuos; & ad hos quam ad intellectiuos: quia reuera ſic ſolet natura ſemper procedere ab imperfectis ad perfectiora: *ita Ariſtot. lib. 2. de anima cap. 3.*

§. 4.

In quo ſubiecto ſint potentiæ animæ.

DIFFICVLTAS hic nulla eſt de potentiis intellectiuis. Hæ namque ſunt in ipſamet anima, vt in confeſſo eſt apud omnes, qui eam ſpiritualem, & ſeparabilem confitentur. De ſolis ergo corporeis mouetur quæſtio ſc. de ſenſitiuis, & vegetatiuis.

Duæ autem ſunt ſententiæ omnino ſibi contrariæ: prima eſt D. Thomæ, quam communiter recentiores amplectuntur, nimirum potentias vitales organicas eſſe in toto viuente, ſicut in ſubiecto: in anima verò, ſolùm vt in principio emanationis. Ratio eſt, quia eius eſt ſuſcipere potentiam per modum ſubiecti, cuius eſt operari per modum ſuppoſiti: ſed totum viuens eſt id quod videt, quod ſentit, quod vegetatur, &c. Ergo totum viuens eſt ſubiectum potentiarum eiuſmodi.

Secunda ſententia eſt Platonicorum, quam etiam amplexi ſunt Paulus Venetus *in ſumma de anima cap.* 4. Iandunus 2. *de anima q.* 7. *ad* 3. Apollinaris *q.* 7. Gregor. Arim. *in* 2. *d.* 17. *q.* 2. & alij, dicentes haſce potentias eſſe ſubiectiuè in anima: ita tamen vt per ſe ac neceſſariò exigant organa corporea, quibus ſubminiſtrentur ſpecies, vel adhibeatur materia, & obiectum circa quod agere valeant. Ita ſenſiſſe reuera videtur ſanctus Auguſtinus: qui paſſim ait animam, *quædam ſentire per corpus: & non corpus, ſed animam dolere per corpus, quo vtitur tanquam nuncio:* fundamentum eſt. Quòd nullam vim agendi corpori attribuant: ſed ſolùm patiendi: & aliunde quòd proprietates ſolùm in eo ſint, ex quo emanant. Quamobrem plena huius litis ſolutio pendet ab hac alia quæſtione, quid ſit pati, & quomodo ad illud cõcurrat corpus. Interim ſolùm hic notauero poſſe tribus modis hanc à nobis expendi quæſtionem: potentia enim vel ſecundum purum conceptum potentiæ vitalis ſumitur; vel ſecundum omnia quæ tam ex parte formæ, quàm ex parte materiæ ad agendum requiruntur. Rurſus, cùm quæritur in quo ſit potentia, vt in ſubiecto, conſiderari poteſt quodnam ſit proprium ſuſceptiuum potentiæ ſecundum eſſentiam; vel quodnam ſecundum eſſe. His poſitis, quatuor concluſiones ſtatuendæ ſunt.

12. ſup. Gen. c. 46. 20 59.

PRIMA: Potentia vitalis præciſè, vt talis, ſecundum eſſentiam eſt in ſola anima, vt in proprio ſuſceptiuo. Id probat ratio ſecundæ ſententiæ; & inde roboratur, quòd eo genere locutionis ſolùm innuatur to-

tam vim & energiam agendi, quæ potentiis inest, penes solam animam esse, in eaque consistere, non in corpore, quippe cui sola patiendi, & non agendi vis insit.

SECVNDA: Potentia prout omnia, quæ sunt ad operandum requisita complectitur, sine dubio in toto composito residet: hoc enim modo continet organa, quæ profectò sunt in corpore: seque habent ad potentiam, vt quid materiale ad formale: nam ex parte materiæ solum requiruntur ad recipiendas species, vel ad fouendam temperiem requisitam.

TERTIA: Potentia vitalis in viuente merè corporeo solum inexistit toti mediante esse totius: etenim cum sit accidens, supponit esse substantiæ: quod cũ conueniat soli supposito, & non animæ irrationali, vt constat ex dictis suprà, sequitur etiam potentias omnes eiusmodi animarum existere consequenter in toto composito mediante ipso esse totius: ac non nisi eodem mediante à suo formali principio emanare. Id autem probat ratio S. Thomæ.

Quoad animam verò rationalem, sic possumus loqui: potentiæ vitales secundum quòd proprietates eius sunt, primariò existunt in sola anima, sed per quandam extensionem in toto: seu existunt in anima connotando corpus. Ratio enim disparitatis est, quia eatenus potentiæ illæ insunt animæ, quatenus ipsi esse competit: at esse primariò competit animæ rationali, & per extensionẽ toti: siquidem ipsa subsistens est: ac primum esse suscipit, quod deinde in corpus extenditur: ita ipsum inesse potentiarum primò respicit animam: secundò, per extensionem communicatur toti. Atque ita potuit rectè S. Augustinus pòst Platonem dicere animam per sensum dolere, sentire, &c.

Ex his infertur potentias, quæ organa corporea exigunt ad sui complementum, non posse manere sic integras in anima separata: neque posse absolutè simpliciter actus proprios, nimirum visionis, nutritionis, &c. edere: quoniam repugnat hos elici sine alteratione aliqua materiali, vel sine assimilatione corporea: quæ sine instrumento corporeo nusquam possunt subsistere. At si, vt sunt præcisè proprietates, considerentur; sic in anima rationali, velut in propria radice permanebunt, sed in solo actu primo, & sine efficacitate ad operandum.

CAPVT XII.

DE FORMATIONE CORPORIS.

Hactenus de Anima secundum se & secundum potentias in genere considerata diximus: nunc discutienda sunt ea, quæ ad vires particulares spectant, atque ad eas vitæ functiones, quas ipsa exercet in corpore: Ideo ab imperfectioribus progressuri ad perfectiores, exordiemur modo à vegetati-

non distingui, neque à se inuicem, neque ab essentia, nisi verbo tenus, ac solo modo loquendi: Ita *Nominales*: alij distingui eas volunt, sed solùm formaliter à parte rei: sic *Scotistæ*: alij haud aliter quam connotationibus, & relationibus. Ita vt anima dicatur potentia videndi, quatenus ordinatur ad actum videndi, & intellectus, quatenus ordinatur ad actum intelligendi: sic *Henric. quodl. 3.q.14. Gratiadeus in Phys. q.15. Dur. in 1.d.3.* Alij denique volunt eas absolutè distingui realiter: sic *Thomistæ*, cum quibus sit

CONCLVSIO. Probabilius est potentias animæ cum à seipsis, tum etiam ab eius essentia realiter distingui. Ita expresè *S. Thomas 1. p.q.77.a.1. Alb. Mag. in 1.d.3. Ægidius, Herueus, &c.* Ita quoque Platonici secundum Ficinum *l.10. de Theol. Plat.* & Stoici secundum Plutarchum *4. de placitis.* Bannez *in 1. q.77.* conatur hanc conclusionem firmare authoritate sacræ scripturæ. Sed nihil inde profert, quod non facile soluatur ab aduersariis. Quamobrem sufficiet hic ea producere, quæ fidem non diuinam, sed humanam duntaxat facere valeant,

In primis ergo probatur conclusio auctoritate: nam S. Dionys. l. de Cœlesti Hier. c. 11. in Angelis distinguit hæc tria *essentiã, virtutem, & operationem.* Idem supra ex Proclo notauimus c. 1. Accedit D. August. qui quamquam obscurè admodum de hoc loquatur in libris de Trinitate, tamen satis euidenter ostendit in ea se fuisse persuasione, vt animi potentiæ ratione saltem aliqua reali, & non ficta distinguantur: libro enim 15. c. 17. in hoc maximè discrimen mentis nostræ à diuina concludit, quod ea quibus tres personæ sese intelligunt, ac diligunt, *non distent in eis, sicut in nobis aliud est memoria, aliud intelligentia, aliud dilectio, seu charitas.* Et c. 22. *non tamen sicut in imagine Trinitatis, non hæc tria vnus homo; sed vnius hominis sunt,* &c. Idem quoque docet *S. Ansel. 1. de concord. prædest. cum lib. arb. c. vlt.* & similiter Magister sent. *in 1. d. 3.* quem sequuntur *D. Bonau. & Alex. Alensis.* Denique idem voluit Aristoteles, cùm Platonem in loquendo imitatus, animæ potentias per partes distingnit, ac enumerat *l. 2. t. 27. & l. 3. t. 20. &c.*

Ratione autem probatur sic: Cuius *posse* distinguitur ab *esse*, eiusdem etiam potentia distinguitur ab essentia. Sed in anima non est idem *posse*, ac *esse*. Ergo in anima potentia distinguitur ab eius essentia; & quidem realiter, quemadmodum realiter aliud est *posse*, & aliud *esse*. Ma. est euidens, quia sicut se habet *esse* ad essentiam, sic *posse* ad potentiam. Ideo vti *posse* distinguitur ab *esse*, necesse est, vt aliud sit id quo sumus; aliud id quo possumus. Atque hocce genere argumentationis semper vsus est S. August. in ll. de Trinit. & alibi. Probaturus enim in nobis distingui sapientiam, vel memoriam ab essentia, non alio vtitur medio, nisi *quia non est nobis esse, quod est nosse: vel sapere,* l. 15, &c. Minor probatur, quia quæ diuersos à parte rei effectus formales inferunt, vel diuersis modis possunt variari, certè à parte rei differunt: sed *posse* & *esse* sunt eiusmodi: Enimuerò *esse* toti composito cõfert anima: posse vero soli parti organicæ: vnde verum est eo

quod videre possit, ab ea exigi determinatum oculi organum: non verò eo quòd simpliciter sit. Hinc esse potest sine corpore, & sine oculo: videre autem non potest sine vtroque: item *esse* ipsum æquale in omnibus animantibus est: *posse* verò, non item: nam in aliis potentia visus prævalet, in aliis olfactus, &c. & inter animos immortales, aliis datur *posse* subtiliùs & perspicaciùs intelligere, aliis obtusiùs: licet in omnibus idem, & eodem modo esse se habeat. Respondent quod animæ conueniat *posse* per se, ac per suum esse: sed ita vt *posse* istiusmodi connotet ordinem ad actus distinctos, qui quandoque nequeunt exeri sine quibusdam corporeis organis: vnde potentiæ organicæ dicuntur: aliquando sine illis quidem, sed non sine obiectorum quorumdam applicatione, quæ pédet vel ab anima, vel à Deo, vel aliunde vt fit in intellectu, voluntate, &c. Sic inquiunt, anima in ordine ad se considerata, dicitur essentia; in ordine ad corpus, anima; in ordine ad operationes, potentia. Sed *contrà*: fundamentum diuersæ connotationis & ordinis debet esse diuersum. Ergo aliud est, vnde connotat operationem: aliud vnde non connotat: tùm eatenus connotat operationem, quatenus potens est operari. Ergo potentia supponitur vt radix talis relationis, & non per illam inducitur.

Hoc inde vlteriùs confirmatur, quòd vnius Dei hoc videatur esse priuilegium, vt per essentiam suam possit, quæcumque potest: creatura verò solùm participatione, ac contingenter. Ideo aliud Dei donum est potentia, qua quidpiam boni agere possumus: aliud essentia, qua quidpiam boni sumus: vnumque potuit Deus conferre sine alio: sicut modo sæpe id quod est *posse* confert, hoc quod est *operari*, non tribuens.

Confirmatur, quia quæ dicuntur animæ facultates, perfectiones quædam sunt, quæ illam essentiâ suâ iam gaudentem supponunt, quæque ad sui complementum aliquid externi desiderant, sine quo absolutè operatio exerceri non potest: neque enim mens potest intelligere sine speciebus, vel sine irradiatione idearum: neque anima sentire sine organis, sine luce, aut sine calore, &c. Cum ergo anima in ratione animæ sit perfectè completa per seipsam: non verò in ratione potentiæ, sequitur ipsam reuera potentiam suam non esse; atque in conceptu potentiæ, necessariò includi aliquid, quod præter essentiam ejus sit, eique contingenter adueniat.

Denique hoc multò conformius est communi modo loquendi omnium hominum: dicimus enim nos per voluntatem velle, per intellectum intelligere; & ita solent omnes distinguere facultates, vbi diuersa operationum genera discernunt. Mens, inquit S. August. *reminiscitur per memoriam; intuetur per intelligentiam; amplectitur per dilectionem*, &c. Dices his significari solùm animam quatenus intelligit, intellectum dici; quatenus diligit, voluntatem, &c. *Contrà*, ille modus loquendi reuera innuit potentiã esse quid medium inter animam, quæ operatur, & operationem ipsam: quod habeat rationem instrumenti; sitque animæ ratio agendi hoc aut illud. Sicut dum dicimus: homo pedibus am- 15 *de Trinit. c.* 20.

bulat; manu percutit; penicillo pingit, &c. Ita cum ratio & communis modus loquendi conueniant, videtur probabilius rem ita se habere, præsertim, cùm in contrarium obstet nihil. Alias rationes vide apud D. Th. 1. p. q. 77. eiusque discipulos: præcipuè Bannez.

§. 2.

Rationes oppositæ diluuntur.

IN primis occurrit S. Augustinus, qui profectò contrarium videtur asserere 9. de Trinit. *Simul*, inquit, *admonemur, si vtrumque videre possumus hæc in anima existere, & tanquam inuoluta euolui, vt sentiantur, & dinumerentur substantialiter, vel, vt ita dicam, essentialiter, non tanquam in subiecto, vt color, aut figura in corpore, aut vlla alia qualitas, aut quantitas. Quicquid enim tale est, non excedit subiectum, in quo est; non enim color iste, aut figura huius corporis potest esse, & alterius corporis. Mens autem amore, quo se amat, potest amare & aliud præter se .... Quamobrem non amor, & cognitio tanquam in subiecto insunt menti, sed substantialiter etiam ita sunt, sicut ipsa Mens.... Item quamuis substantia sit amans, vel sciens; substantia sit scientia; substantia sit amor, &c.* Et lib. 10. cap. 11. ait tria hæc *memoriam, intelligentiam, voluntatem* esse vnam vitam, vnam mentem, vnam substantiam Potuitne clariùs dicere potentias animæ ad ipsius essentiam, & substantiam pertinere: easque minimè accidentia esse credenda?

Respondeo hæc verba iam olim diligentissimè ponderata fuisse à Mastro sent. Alex. Alensi, Alb. Mag. D. Th. D. Bonau. & aliis S. Augustini fidissimis discipulis, qui tamen omnes constantissimè docent ex mente ipsius, potentias animæ ab ea esse distinguendas. Quamobrem Respondet Magister in 1. d. 3. has vires esse proprietates ipsius animæ, à se inuicem differentes, ita vt vna non sit alia: dici tamen substantialiter esse quid vnum in anima, vt distinguantur ab accidentibus communibus, quæ sunt in subiecto, sic tamen vt possint abesse, & adesse citra eius corruptionem. D. Bonauent. idem quoque hic sentit: & addit has potentias dici substantiales, eo quòd per reductionem sint in eodem genere, in quo est anima: & similiter dici posse essentiales, id vocabuli extendendo ad id, *sine quo res non potest cogitari habere perfectum esse, vt sunt potentia in anima, & hoc est minimo modo substantiale, siue essentiale, non tamen tendit in aliud genus*: & in 2. d. 24. a. 2. q. 1. ait potentias animę ad eius essentiam pertinere, propterea quòd in eius essentia radicentur, adeoque illi adhæreant intrinsecus, vt non cadant in aliud genus. Hæc solutio videtur maximè consentanea menti S. Augustini, quia dilucidè, ac disertè sententiam Platonicorum, qua imbutus ipse erat, explicat: volebant enim illi multos esse actus, viresque varias intra ipsummet substantiæ genus, vt de vita, lumine, rationibus seminalibus persæpe subinnuimus. Quomodo autem queant ista reuocari ad genus

substantiæ, sic D. Bonauentura cit. exponit. Quinque modis, inquit, potest aliquid ad genus substantiæ reuocari: *primo*, sicut principia. 2 sicut complementum. 3. sicut viæ. 4. sicut similitudines. 5. sicut priuationes. Principia sunt vel essentialia, vt materia & forma; vel integrantia, vt manus, pes, &c. Complementum est vel actus primus, vt vita, esse; vel aptitudo, vt differentiæ, quæ complent speciem: quò possemus quoque reuocare primas proprietates, ex quibus specierum distinctio communiter desumi solet, vt hinnibile, risibile, &c. Via est vel progressus ad substantiam, vt generatio; vel egressus è substantia, vt emanatio virtutis: & huc potentias anima reuocat: quia sunt quædam energiæ, quibus anima quasi è seipsa in externum quid exit, vt quando ex semine intelligentiæ, vel dilectionis, quod in natura sua fouet, à Deo scilicet insertum, prodit in actum secundum, quo rei à se distinctæ per notitiæ, vel affectus cognationem accedit. Similitudo, vt species coloris, color est, &c. sic animæ potentia consideratur, non vt quid ab anima separabile, sicut color, aut scientia, &c. sed sicut aliquid essentialiter connexum animæ: ita vt anima in illo, ac per illud, intelligatur progredi ad obiecta; & illud quasi via eius ad aliud, aut tanquam vis eam exprimens, & ex ea vigens, ac per eam, neque vnquàm sine ea.

D. Thomas vtpote Aristoteli magis addictus, cum nihil vellet admittere medium inter substantiam propriè dictam, & accidens, quod in 9. prædicamenta distribuitur, asseruit potentias esse verum accidens de genere qualitatis, ac propriè in anima, vt in subiecto inesse, ideo cogitur exponere D. Augustinum quasi locutus impropriè fuerit: vel quasi nomine cognitionis, & amoris solum rem cognitam, & amatam subaudiuerit: lege illum *1.p.q.77.a.1.ad 1.*

„ Interim notari velim hic D. Augustinum nomine cognitionis, & „ amoris his in locis non esse intelligendum de actibus elicitis, sed de „ quodam actu virtuali, secundum quem dici potest anima semper se „ se cognoscere, & amare: sic Plotinus, Iamblicus, & alij olim docue„ re animam rationalem in continuo actu intelligendi esse, quamquam „ is à nobis nisi reflexione percipi non valeat: volebant scilicet hi men„ ti sic *intelligere* conuenire, sicut luci *lucere*. Quamobrem cum anima „ sibi semper præsens sit, ipsam sibi semper esse cognitam asserebant: „ sed hoc, vt dixi, de notitiâ virtuali debet intelligi; seu, si malis, de „ aliquo sensu intellectuali, ac velut intima quadam, & iugi perceptio„ ne experimentali, qualis est ea, qua sentimus nos viuere, etiam cum „ de eo minimè cogitamus: non verò de actuali propriè dicta notitia: „ quam D. August. propriè nomine cogitationis indicauit. Ità illum fa„ cile intelliges, dum lib. 15. cap. 15. dixit *sempiternum est enim animæ vi„ uere. sempiternum est scire, quòd viuit: nec tamen sempiternum est cogi„ tare vitam suam, vel cogitare scientiam vitæ suæ: quoniam cum aliud, at„ que aliud cœperit, hoc desinit cogitare; quamuis non desinat scire.*

Obiicitur secundò. Anima per seipsam potest intelligere, ac velle: ergo frustrà multiplicabis potentias. Antec. patet: *primo* quia anima ex

natura sua est intellectiua veri, & appetitiua boni: *Secundo*, anima est per se id quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus. *Tertio*, saltem cum organis corporeis potest esse sufficiẽs principium operationes corporeas exercendi. Resp. negari communiter Antecedens à Thomistis, & merito; quia vt non potest creatura existere per essentiam, sic nec operari: & consequenter aliud in ea esse debet principium existendi; aliud operandi: vnde volunt id pertinere ad discrimen creaturæ à Creatore. *Dices*, forma quædã accidentalis datur, quæ immediatè per essentiam suam sit principium operandi, vt calor, lux, &c. ergo quidni dabitur similiter forma quædam substantialis? Resp. nego conseq. quia tota eiuscemodi formarum essentia in eo posita est, vt sit ipsamet virtus, siue potentia substantiæ: secus de forma substantiali: 2. quia forma accidentalis est eiusdem ordinis & generis, cum operatione: non verò forma substantialis: est autem admodum vero consentaneum, quòd potentia quæ per se ordinatur ad aliquem actum sit eiusdem cum illo generis: sicut solet omne principium reduci ad genus eius rei, cuius est principium.

Quoad instantias verò, quibus antecedens probabatur: *Resp. ad primam*, animam ex natura sua esse quidem intellectiuam, & appetitiuam radicaliter; at non formaliter. *Ad secundam*, similiter animam esse primùm & radicale principium, quo viuimus, &c. *Ad tertiam*, Nego sola organa sufficere sine potentia formali, quæ homini iam completè existenti censeatur accrescere. Idque ob rationes inductas.

Obiicitur tertiò. Quæ nulla vi, aut ratione possunt separari, ea sunt realiter idem: sed anima, & eius potentiæ sunt eiusmodi: sunt enim eius proprietates, & consequenter accidentia inseparabilia: *& confirmatur*, quia si separari possint, fingamus actu à Deo animam Petri suis potentiis destitui; & ponatur in corpore organizato, tunc an non illud viuificabit? an non vegetabit? eritne etiam animal rationale? at hæc quomodo faceret sine potentiis? Resp. *primo*, ex suprà cit. D. Bonau. constare, quòd secundum D. August. potentiæ, non sint naturæ quædam separabiles, sicut color, &c. & alia communia accidentia. Id quod etiam tenuit Caietanus, cũ bene multis aliis: & ipse in primis D. Thomas fauet maximè, cùm ait *quòd cum potentiæ animæ sint naturales proprietates eius consequentes ipsam essentiam animæ, non potest esse sine illis*: & alibi negat dari apud Deum ideam propriæ passionis distinctam ab idea subiecti, eo quòd passio simul sit, ac simul fiat cum subiecto: quemadmodum ob eandem rationem generis non datur idea, quæ ab idea speciei distinguatur: quibus verbis ostendit proprietates verè ad essentiam, cuius sunt, pertinere, eique nexu essentiali, & insolubili æquè ac genus connecti: vnde haud multum à D. Bonauentura & à S. August. differre videtur, nisi forte solum in modo loquendi. Nec difficile profectò fuerit illos conciliare, si hanc distinctionem admittere lubeat: vt scilicet potentia dicatur accidens prædicamentale prædicatione directa, & Logica: licet substantialis sit prædicatione reductiua, & Physica.

12 qu 110. a 4. ad 3.

1. p qu 15. a. 3. ad 4.

Resp. 2. cum D. Thoma cit. in 12. *dato quòd anima sine potentijs esset, adhuc tamen diceretur secundum speciem suam intellectualis, vel rationalis; non quia actu haberet potentias: sed propter speciem talis essentiæ, ex qua natæ sunt eiusmodi potentiæ effluere.* Quid ergo in corpore efficeret? certè solum esse ipsi contraderet, vnde animal quidem rationale constaret, sed quod neque actu intelligere, neque ridere, neque videre, &c. posset, sed solum radicaliter. Prior tamen solutio magis arridet.

Obiicitur quartò. Quæ eadem actione fiunt, sunt omnino idem, quia cum actio non distinguatur à termino, vt diximus in Phys. cap. 42. §. 4. sequitur non posse multiplicem esse terminum, si vnica tantùm sit actio. Atqui eadem actione fiunt potentiæ, qua fit anima, vti modo diximus ex D. Th. qui propterea docuit non aliam esse ideam proprietatis ab idea subiecti. Resp. ad Mai. quæ fiunt eadem actione virtualiter indiuisibili, sunt idem, *concedo*: quæ fiunt eadem actione virtualiter diuisibili, sunt idem, *nego*. Resp. 2. negari posse Min. quia potentiæ fiunt actione, quæ propriè dicitur emanatio: anima verò fit actione, quæ est creatio. vel eductio. Nec propterea diuersam ideam exigent, quia emanatio potentiarum virtute continetur in creatione: & Deus creans animam, simul principium creat, ex quo immediatè, ac in actu secundo potentiæ oriantur.

§. 3.

An potentiæ distinguantur per ordinem ad actus & obiecta.

HÆc quæstio sequitur ex priori: cum enim potentiæ distinguantur ab essentia: necesse est, vt distinguantur inter se. Quamobrem videndum est, à quo peti earum debeant pluralitas, & distinctio.

In primis notandum est aliud esse potentias distingui per ipsos actus, eorumque obiecta: aliud eas distingui per ordinem ad actus & obiecta: primum significaret ipsos actus, & obiecta esse principia formalia distinctionis potentiarum; vnde sequeretur ea simul esse principia specificantia, & constituentia, & consequenter intrinseca, ad eum modum, quo rationale constituit hominem, eumque à cæteris distinguit: hoc autem falsissimum est. Cùm verò dicitur potentias distingui per ordinem ad actus & obiecta, consideratur fundamentum huius ordinis tanquam quidpiam intrinsecum ipsis potentiis, & in hoc sensu sit

Conclvsio: potentiæ distinguuntur per ordinem ad diuersas rationes actuum, petitas à diuersis obiectis adæquatis. Quamobrem prima distinctionis radix & mensura debet si non deriuari, certè inuestigari ex obiectis. Quandoquidem potentiæ ex essentiali suo, ac primo instituto destinantur ad talium, vel talium obiectorum assecutionem, quæ quia non fit nisi per actus: Ideo per se ordinantur ad actus: quatenus per eos attingunt hæc obiecta. v. g. potentia visiua ex se instituta est ad per-

ceptionem lucis & colorum : ideo perſe ad viſionem eliciendam dirigitur, vt ea mediante colores percipiat : ita non oportet diuidere ordinem ad actus ab ordine ad obiecta : ſed potius vtrumque ſimul, ac per modum vnius contemplari. Hinc fiet, vt qua ratione, actus ſpecificabuntur ab obiectis, eadem potentiæ ſpecificentur ab actibus. Rurſus cùm obiecta ſeſe ad potentias habeant vt fines: finis autem habeat rationem perfecti : quippe qui totam rei ad ſe tendentis inclinationem terminare, ac ſatiare debeat : ideo neceſſe eſt hic nomine obiecti, per ordinem ad quod potentiæ diſtinguuntur, intelligi obiectum adæquatum & proprium : quomodo v. g. ſe habet verum ad intellectum : coloratum ſiue lucidum ad viſum, &c. ſic ergo expoſita Concluſio probatur breuiter : Cuius tota ratio eſt in ordine ad certa obiecta per certos actus, id variatur aut multiplicatur per ordinem ad certos actus & ad certa obiecta: ſed potentiæ ſunt eiuſmodi. Ergo. Totum argumentum eſt euidens : & ſanè quid eſt potentia, niſi efficacia quædam & vis ad certa quædam obiecta per certos quoſdam actus tendentis? eſtque in anima id ſolum, quo hæc mobilis eſt ad hoc aut illud, ideo ſicut motiua per motus diſtinguũtur à terminis : & relatiua à correlatis : ſic potentiæ ab obiectis.

Dices, An non potiùs deberent diſtingui à principiis, è quibus emanant? ſi enim ad eorum ſpeciem & eſſentiam reuocantur, an non etiam ad ſpecificam eorum diſtinctionem ſpecificè different? alioquin certè potentia viſiua hominis, nihilo magis differret à potentia viſiua leonis, quam ab alia potentia alterius hominis: hoc autem inde maximè falſum conuincitur, quòd proprietates conuertantur cum ſubiecto: neque enim proprietas hominis, eius eſſet proprietas, ſi leoni, vel alij vlli conueniret: at potentiæ ſunt proprietates. Reſp. nequaquam poſſe ab eſſentia erui potentiarum diſtinctionẽ : quia cum vnica eſſentia plures potentias habeat, neceſſe eſt, vt aliunde diſtinguantur. Quamobrem ad obiectionem duplex ſolet adhiberi diſtinctio. Prima eſt eiuſmodi : potentiæ animę poſſunt conſiderari duobus modis : *primo* ſub præciſa notione potentię: *ſecundo* ſub notione proprietatis : primo modo, inquit Caiet. diſtinguũtur per ordinem ad obiecta, vt diximus : & ſic potentiæ hominis & potentiæ leonis in ratione potentię non differunt : ſecus verò, ſecundo modo : Eodem recidet, ſi dixeris potentias illas ſpecie logica, & ſecundum id quod directè, atque formaliter ſunt ex ſeipſis, mutuo conuenire : differre verò ſpecie phyſica, & ſecundum quod reductiuè, atque ex ſubiecto ſunt : ſic ex Auerroë membra hominis, & membra leonis differunt ſpecie ob diuerſam appropriationẽ, qua reuera pertinent ſuppoſitiuè ad diuerſas ſpecies : licet alioquin in ratione ceruicis, vel cordis conueniant.

in 1. p. q. 77 a 3.

Secunda Reſponſio eſt, quòd attendi debeat gradus, è quo proprietates emanent : nam aliæ prorumpunt è gradu ſpecifico, vt riſibilitas, ratiocinandi facultas, &c. Et hæ ſoli conueniunt homini : aliæ verò è gradu generico videlicet animalis, vel viuentis, & hæ debent in omni animali, vel in omni viuente reperiri : & cum tali gradu conuertuntur.

Hoc

Hoc autem modo cunctæ potentiæ sensitiuæ, vt potentia visiua, imaginatiua. &c. sunt proprietates animalis; à quo gradum vtique mutuantur: & in ratione potentiæ sensitiuæ ab eodem animali specificantur: licet in ratione talis, vel talis potentiæ distinguantur per ordinem ad actus & obiecta.

Dices secundo, potentiæ & actus sunt quid absolutum secundùm essentiam: Ergo non constituuntur per relationem ad aliud. Resp. potentias esse quid absolutum, per oppositionem ad relationem prædicamentalem: non verò per oppositionem ad transcendentalem: licet enim relatio prædicamentalis sequatur potentiam operantem; tamen potentia, vt prior actu, & ex se solùm relatiua est transcendenter.

Instabis tertio, si potentiæ distinguantur per ordinem ad obiecta, sequi vt vnius obiecti vnica esse deberet potentia: quod tamen est falsum, cùm verum & bonum sint vnum & idem: & tamen ab illo intellectus, & voluntas ab hoc speciem desumant suam. Aliunde potentiæ non minùs à diuersis obiectis particularibus deberent distinctionem vsurpare, quam habitus, quod tamen verum non est. Resp. negando sequelam: & ad instantiam Respondet S. Thomas distinctionem potentiarum non desumi ex distinctione materiali obiectorum: sed ex diuersa ratione formali ipsorum: Hoc tamen multorum diu torsit ingenia. Sufficiat modo, quòd cùm potentia non ob aliud ordinetur ad obiecta, quam vt circa ea sic afficiatur, quantum animarum, vel compositi perfectio exigit: si in eadem re sint diuersæ formalitates, quæ modis toto genere diuersis possint afficere operantem: tunc censentur constituere diuersa obiecta formalia & adæquata: sic autem se habent veri, & boni rationes: nam vt verum, illuminat; prolicit, vt bonum: illud assimulatione, quæ parit verbum: hoc adhæsione & complacentia, quæ parit affectum, percipitur. Denique actus illi ex ipso suo genere necessariò à parte rei diuersi sunt: vtpote realem ac necessariam subordinationem, & dependentiam includentes: affectus enim è notitia pendet. Quæ ergo potentiæ per se ordinantur ad tales actus, prout sic in genere specificantur ab eodem obiecto diuersas rationes obiectiuas continente, eæ verè atque realiter distinguuntur: sic se habent intellectus, & voluntas respectu veri, & boni. Ergo. Ad reliquum Respondet D. Thom. cit. quòd potentia superior per se respicit vniuersaliorem rationem obiecti, quam potentia inferior: & consequenter, quam habitus: vide 1. *p. q.* 77. *a.* 3.

1. p. qu. 10. a. 1. ad 2. & q. 59. a. 2.

QVÆRES, an in potentiis animæ ordo aliquis reperiatur. Resp. cum D. Thoma cit. affirmatiuè, quia cùm vna sit anima, & potentiæ plures: necesse est, vt ordine quodam ab vno in multitudinem procedatur: quia id Deus in omni multiplicatione obseruat: oppositum inordinationem argueret, quæ in operibus sapientissimi conditoris nusquam potest inueniri: *quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt.*

Ordo autem duplex est, Naturæ scilicet, & generationis. Secundum ordinem naturæ, potentiæ intellectiuæ sunt priores potentiis sensitiuis, vnde dirigunt eas, eisque imperant: & sic sensitiuæ vegetatiuis: quam-

tam vim & energiam agendi, quæ potentiis inest, penes solam animam esse, in eaque consistere, non in corpore, quippe cui sola patiendi, & non agendi vis insit.

Secunda: Potentia prout omnia, quæ sunt ad operandum requisita complectitur, sine dubio in toto composito residet: hoc enim modo continet organa, quæ profectò sunt in corpore: seque habent ad potentiam, vt quid materiale ad formale: nam ex parte materiæ solum requiruntur ad recipiendas species, vel ad fouendam temperiem requisitam.

Tertia: Potentia vitalis in viuente merè corporeo solum inexistit toti mediante esse totius: etenim cum sit accidens, supponit esse substantiæ: quod cũ conueniat soli supposito, & non animæ irrationali, vt constat ex dictis suprà, sequitur etiam potentias omnes eiusmodi animarum existere consequenter in toto composito mediante ipso esse totius: ac non nisi eodem mediante à suo formali principio emanare. Id autem probat ratio S. Thomæ.

Quoad animam verò rationalem, sic possumus loqui: potentiæ vitales secundum quòd proprietates eius sunt, primariò existunt in sola anima, sed per quandam extensionem in toto: seu existunt in anima connotando corpus. Ratio enim disparitatis est, quia eatenus potentiæ illæ insunt animæ, quatenus ipsi esse competit: at esse primariò competit animæ rationali, & per extensionẽ toti: siquidem ipsa subsistens est: ac primum esse suscipit, quod deinde in corpus extenditur: ita ipsum inesse potentiarum primò respicit animam: secundò, per extensionem communicatur toti. Atque ita potuit rectè S. Augustinus pòst Platonem dicere animam per sensum dolere, sentire, &c.

Ex his infertur potentias, quæ organa corporea exigunt ad sui complementum, non posse manere sic integras in anima separata: neque posse absolutè simpliciter actus proprios, nimirum visionis, nutritionis, &c. edere: quoniam repugnat hos elici sine alteratione aliqua materiali, vel sine assimilatione corporea: quæ sine instrumento corporeo nusquam possunt subsistere. At si, vt sunt præcisè proprietates, considerentur; sic in anima rationali, velut in propria radice permanebunt, sed in solo actu primo, & sine efficacitate ad operandum.

CAPVT XII.

DE FORMATIONE CORPORIS.

Hactenus de Anima secundum se & secundum potentias in genere considerata diximus: nunc discutienda sunt ea, quæ ad vires particulares spectant, atque ad eas vitæ functiones, quas ipsa exercet in corpore: Ideo ab imperfectioribus progressuri ad perfectiores, exordiemur modo à vegetati-

nis: generatione scilicet, nutritione, augmentatione, vita, &c. quæ omnes operationes ipsam corporis formationem supponunt. Ideo de hac primùm agimus.

§. 1.

De principio materiali, formali, & effectiuo corporis viui.

CVM duplex sit formatio viuentium, vna per Creationem; altera per generationem: de hac solùm hic loquimur. *Prima* enim pertinet ad opus Creatoris, quando initio cuncta è nihilo produxit: de qua Theologi differunt *in 2. sent. d. 17. & 1. p. q. 91.* cui hoc peculiare fuit, vt quemadmodum nullam habuit materiam præparatam, sic nullo, præ-
2. de anima c. 43. terquam se solo vsus sit cooperatore. Solus creauit omnia, neque quisquam cum ipso: neque ipse ex quoquam. *Secunda* est opus naturæ, & quidem, vt docet Aristoteles, φυσικώτατον: ac præstantissimum. In hoc partem non exiguam habent cœli, elementa, & in primis ipsi progenitores vniuoci.

Quamquam autem formatio cuiuslibet viuentis sit planè admirabilis, eò quòd multis, iisque mira symmetria concinnatis, distinctisque partibus, & dispositionibus constare debeat; tamen humani corporis architectura, & organizatio, cæteris longo antestant interuallo. Eaque propter merito viuorum corporum, atque animantium omnium mensura ex homine desumenda est. Eius probè perspecta constitutione, nihil est in vniuersa natura, quod lateat. Est enim rerum omnium mirum & animatum compendium. *Est*, inquit D. Th. *ex rebus omnibus quodammodo compositus, dum de genere spiritualium substantiarum habet in se animam rationalem. De similitudine verò cælestium corporum habet elongationem à contrarijs per maximam æqualitatem complexionis. Elementa verò secundum substantiam, &c.* vt diximus, cum de temperamento ageremus. Id disertiùs ita edixit S. August. *quamuis omnis caro terrenam soliditatem in promptu gerat*: habet tamen in se, & aëris aliquid, quod & *in pulmonibus continetur; & à corde per venas, quas arterias vocant, diffunditur: & ignis non solùm feruidam qualitatem, cuius sedes in iecore est; verùm etiam luculentam, quam velut eliquari, ac subuolare ostendunt in excelsum cerebri locum, tanquam in cœlum corporis nostri: vnde & radij emicant oculorum: & de cuius medio, velut centro quodam non solùm ad oculos, sed etiam ad sensus cæteros tenues fistulæ deducuntur, &c.* Addam ex Platonicis, spiritum, qui nostris corporibus inest præsertim vitalem, suam perenni agitatione cœli perpetuæ conuersioni respondere: semen verò, & ea quæ generationi seruiunt, lunæ ac veneri; cor, soli: linguam, Mercurio, fel, Marti; hepar, Ioui; caput, Saturno, &c.

lib. 7 in gen. cap. 13.

Plato verò hanc animati corporis fabricam sic describit in Timæo. *Deo* in sua incommutabili vnitate *permanente, eius filij* (corpora cœlestia) *cum parentis Dei ordinem cognouissent* moderatorum suorum in-

ſtinctu, *eum protinus ſequebantur* cooperando inſtrumentariè, *itaque accepto ab illo mortalis animantis immortali principio*, ſc. *anima rationali, ſui effectorem imitati, ignis, aëris, aquæ, terræ particulas, quas rurſus redderent, à mundo mutuabantur: eaſque inter ſe copulabant, haud iiſdem indiſſolubilibus vinculis, quibus ipſi fuerant colligati* (quia corpora animalium non ſunt incorruptibilia, ſicut corpora cœleſtia.) *Sed talibus, quæ propter paruitatem cerni non poſſent: crebriſque huiuſmodi clauis coniunctis vnum ex omnibus corpus efficiebant, atque in hoc ipſum tum influente, tum effluente corpore animæ diuinæ circuitus illigabant.* His quamquã Democritũ redoleat, tamen optimè explicat, quomodo fiat miſtio elementorũ ad componendum corpus animatum. Per clauos autem eiuſmodi coniunctos intelligit arcanam, & ineffabilẽ proportionem, qua portio cuiuſque elementi cum aliis connectitur. Alcinous ea vocat occulta vincula: nec propriè aliud his debet intelligi, quam vis quædam naturalis animæ propria, quæ regit, fouet, ac ſtabilit conſiſtentiam corporis, & partes heterogeneas ſociat, mutuòque committit, vt primarium animæ inſtrumentum. Eaque potiſſimum ſita eſſe dicitur in calore igneo, cui pabulum præbet humor pinguis & oleoſus, ſiue aërius.

Formatur autem corpus eiuſmodi ex ſemine, quod quid ſit, quaue forma conſtet, & vnde proueniat, paucis hic erit explicandum.

In primis quæritur quid ſit. Duplex eſt ſententia. Prior vult eſſe ſuperfluum alimenti, tanquam excrementum. Poſterior uult eſſe quaſi fructum viuentis, quia vt ait Ariſt. *Semen & fructus inter ſe differunt prioris, & poſterioris ratione, fructus enim, quod ex alio eſt: ſemen, ex quo aliud: nam aliàs ambo idem.* Senſus autem eſt prolificam eiuſmodi ſubſtantiam non ex reiectaneo ſucco, qui ex debito & ſufficienti alimento reſtat, effici: quaſi ex materia quæ vt omnino inutilis inter excrementa eſſet expellenda: ſeu potiùs eam primaria naturæ intentione ex optima portione alimenti, ſeu ſanguinis, à vi formatrice & ſeminifica generari. Atque id videtur admodum probabile, neque ab Ariſt. alienum: cum enim viuentibus indita ſit virtus ſeſe per ſimilem prolem propagandi, debuit quoque ex primaria naturæ intentione prouideri materia huic operi neceſſaria: neque decebat, vt ea ex iis, quæ per accidens ſe habent in viuente, cuiuſmodi ſunt excrementa, fieret: & quando Deus indulta ſua benedictione feraces reddidit plantas, vt facerent ſemen, benedictionem hanc non eo ſolùm fine indulſit, vt excrementa pro gignerent. Hoc tamen non impedit, quin eiuſmodi humor ſpermaticus fiat ex ipſo alimento, antequam conuertatur in ſubſtantiam viuentis aliti, quemadmodum vult D. Thom. 1. p. q. vlt. quo ſenſu dicere poſſumus, id genus materiei fieri ex ipſis reliquiis alimenti, quia nimirum fit ex ea perfecti ſanguinis portione, quæ vel non erat nutritioni amplius vtilis: vel ſi vtilis fuiſſet, in opus generationis à natura transfertur: non eſſe autem excrementum planè inutile, inde Ariſtoteles demonſtrat, quòd iis qui vel ex ætate, vel ex morbo peſſimè ſe habent, inutilis excrementi plurimum ineſt: ſeminis verò nihil, vel certè minimum: vide *Fernel. 7. Phyſiol.*

c. 1. Quamobrem ſic poteſt definiri, *Corpus à generante formatum calido innato plenum, ad animæ cuiuſuis ſpeciei propagationem vtile.* Illud porro calidum innatum in plantis eſt quid oleoſum, & pingue: in animalibus ouiparis continetur in ouis: in viuiparis eſt in forma ſpirituoſa, & facile diſſipatur, & exhalat, niſi mox in vtero concipiatur, eiuſque calore foueatur. Ideo ſemen à Fernelio cit. vocatur *aëreum, aut potius æthereum:* diciturque calore cogi, & albeſcere ad eum modum, quo aqua oleo permiſta, aut oui candidum diutius agitatum, à coërcito flatu in ſpumæ denſæ, & albæ ingentem tumorem exurgit.

§. 2.

An ſit animatum.

SECVNDA QVÆSTIO eſt, qua forma conſtet eiuſmodi ſemen: hoc eſt, an ſit animatum: quidue in eo ſit principium formale virtutis formatricis. Etenim in illo tria ſolent obſeruari: *primum*, materia craſſior & magis corpulenta, quæ moles ſeminis vocatur, eſtque diuerſa in diuerſis viuentibus, prout vnicuique admiranda Creatoris ſapientia prouiſum eſt: *ſecundum*, ſpiritus, ſiue ſubſtantia tenuiſſima, viuax, & maximè efficax, quam voluit Ariſtoteles proportione reſpondere ſtellarum elementis: quæque reuera caloris natiui, necnon virtutis generatiuæ è viuentis anima manantis efficacitate viget, ſicut inſtrumentum ſolet virtute cauſæ principalis fœcundari: nam & is propriè inſtrumentum eſt animæ, tam bene ad generandum, quam ad nutricādum: & vtroque modo diſponit materiam, ſiue alimentitiam ad introductionem formæ præexiſtentis in nouam corporis partem: quod fit per nutritionē: ſiue ſeminalem ad introductionem nouæ formæ in adæquatum corpus, quod accidit in generatione: *tertium*, eſt forma ſubſtantialis ſeminis, & de hac quæritur an ſit anima, nec ne v. g. an forma ſeminis fraxini, ſit reuera fraxini anima: & ſimiliter an forma ſeminis equi, ſit anima equi, necne:

Multi perilluſtres Medici, & nonnulli quoque Theologi ſentiunt, ſemen hoc modo verè animari, & vocari animal imperfectum, eſſeque vniuocum generanti: v. g. ſemen equi, eſſentialiter eſſe equum, & ſic de cæteris: & Patrem tunc reuera generare, quando à ſe ſemen excutit; tunc enim ad ſubiecti partitionem diuidi eius formam, & ex vna fieri duplicem: Denique ad eum modum multiplicari animas, ſicut ex approximatione materiæ combuſtibilis, putà naphtæ, vel ſulphuris ad ignem: ſtatim multiplicatur forma ignis & lucis: Præcipuum fundamentum deſumitur ex inſigni formationis opificio, de quo poſtea: Tale enim ac tantum eſt illud, vt Plutarchus dixerit, *amplius ſemen eſſe, ac grandius, quam quod ex eo gignitur.* Quamobrem ſic ipſi argumentantur: à quo prodeunt operationes vitæ, id animatum eſt: ſed à ſemine prodeunt operationes vitæ: nempe conceptus viuificatio, & omnium

partium organizatarum efformatio, quibus quid vitalius poteſt cogitari? Ergo, *adhæc* abſurdum eſt, inquiunt, conformationem, nutritionem, & augmentationem fœtus, quæ cum ipſa anima incipiunt, à principio non vitali prouenire? *Tertio*, eædem operationes idem principiũ arguunt; ergo cum videamus ab anima reparari carnem amiſſam, venas regenerari; dentes reſtitui. &c. Cur non ab eadẽ hæc initio formari dicemus: & cum augmentatio non ſit aliud, quam continuatio quædam, & amplificatio primæ formationis, quî fiet, vt aliâ virtute prima formẽtur membra; & alia deinde per cõtinuatam operationẽ amplientur, abſoluantur, & reparẽtur? *Quarto* fauet Ariſt. 2. de gen. anim. c. 1. inquiẽs: *Quæcumque aut natura, vel arte fiunt, ab eo quod actu eſt fiunt, ex eo quod potentia tale eſt: ſemen igitur tale eſt, motumque, & principium tale in ſe habet, vt motu peracto pars vnaquaque exiſtat, quæque eadem ſit animata*: & 2. Phyſ. c. 3. vocat ſemen *principium vnde eſt motus*. Hæc concludam elegantibus hiſce verbis Scaligeri: *Illa virtus tam nobilis templi architecta ſapientiſſima ab omnibus Philoſophis iudicata eſt. Ædificabitur igitur à ſubſtantia: at hæc forma ſeminis eſt: ſanè ſeminis forma, ſi non eſt anima, bruta res eſt: & ſi fabricat, eſt æqualis animæ. At incrementis, & amiſſæ carnis repoſitione opus illud animæ eſt. Erit igitur in ſemine anima formatrix.*

Ex oppoſito ſtant optimi Medici, iiſque haud impares Philoſophi. Fernelius *in 7. Phyſiol.* & *l. de abd. rerum cauſ.* Conciliator *diff.* 48. Thomas Garbius *l. 1. tract. 5.* Alb, Mag. 2. *p. ſum. de homine.* D. Th. 2. *contra Gentes c.* 89. &c. Videturque expreſſior mens Ariſtotelis 2. *de Gener. anim. c.* 1. vbi moueri ſemen à generante profitetur, idque potentia eſſe animatum, & 2. *de anim. t.* 10. *Semen*, inquit, *& fructus potentia eiuſmodi corpus eſt.* Et certè haud leuia occurrunt argumenta, quibus hæc ſecunda opinio ſuadeatur. In primis enim ſi quæ poſſet eſſe ratio, quæ oppoſitam ſententiam iure firmaret, ea certè mõſtraret humanum quoque ſperma, ex quo à parentibus diſcinditur, eſſe verè, ac neceſſariò animatum: quia vel nihil probaret in reliquis, vel hoc in iſta conuincit; atqui hoc falſiſſimum eſſe ſupra oſtendimus. Ergo. *Rurſus*, ſemen fit ex ipſa excocti ſanguinis maſſa priuſquam conuertatur in ſubſtantiam aliti: Ergo etiam priuſquam animetur. Conſequentia indevrgetur, quod nulla materies ſuſcipiat vnquam totaliter aliquam formam, niſi cùm probè diſpoſita vltimò fuerit ſub ratione ſuſceptiui adæquati, ſed in eo inſtanti, quando fit eiuſmodi ſubſtantia prolifica, hæc non eſt vltimò diſpoſita in ratione adæquati ſuſceptiui animæ: Ergo eã tunc nequit totaliter ſuſcipere: explico, cum in ſubſtantiam viuentis conuertitur, ſufficit, ſi diſponatur ſolum vt pars corporis animati: quia ſolum eatenus informari debet ab anima viuentis, quatenus ſubſtituitur loco partis conſumptæ, quæ prius ab eadem anima informabatur: ſed quando noua ſubintrat anima, debet tunc ei totum corpus apparari, cui toti & ſoli totalis hæc anima inſinuetur. Quamobrem quod vix potuit obtinere diſpoſitionem, qua per nutritionem euaderet pars corporis animati,

quomodo integrè diſponi queat, vt euadat totale, atque adęquatum corpus nouæ animæ? *Confirmatur primo*, quia ſanguis immediatè antequam conuertatur in ſanguinem, fuit indifferens, vt fieret hæc vel illa pars corporis: Ergo non fuit vltimò diſpoſitus ad vllam determinatam rationem partis corporis animati. Quomodo ergo diſpoſitus dici poſſet ad omnes determinatas rationes partium huiuſmodi corporis? *Confirmatur ſecundo*, quia corpus adæquatum animæ debet eſſe diſtinctis organis præditum: at hoc non conuenit ſemini. Ergo, &c.

Tertio, quod Mater ſubminiſtrat, æquè animatum dici deberet, quam quod Pater: hoc autem ſi conceſſerint, ſequitur in vnius equi generatione, duos gigni equos oportere, quia vtriuſq; parentis ſemen equus eſſet, vt dictum eſt. Si autem id negent, vix tueri poterunt, quòd Mater prolificet, quòd ſimile gignat: quòd proprius fructus vteri eius ſit proles, &c.

Quarto, cum anima ſit indiuiſibilis, ægrè poterit explicari, quomodo diuidi queat: tum vel pars animæ parentum diſcindetur cum ſanguine illo prolifico: vel non: *ſi primum*, ergo anima parentum manebit decurtata: item qualis pars deciditur? *ſi ſecundum*, ergo noua omnino anima ſimilis animæ parentum de nouo educitur ex materia illius ſanguinis: ſicut noua forma ignis generatur in materia Naphtæ vel ſulphuris. At hoc ipſi nolunt: quia hoc pacto anima non decideretur ex anima parentum, & etiam contra hoc maximè vrgent ſuperiores rationes. Et verò quid dicent quando plures catuli ſimul eduntur, an in vno ſpermate plures animæ ab vnica parentis anima decidentur? qualis profecto, ac quanta phalanx animarum in anima qualibet eſſet conſtituenda?

Vltimo, argumenta quæ ipſi inducunt, vel ſupra quam oporteat probant, vel nihil: nam quoad vim formatricem, reuera ea ſuadet principium organizationis eſſe admittendum quod omni anima creata ſuperius ſit, vti & fatentur, qui primam opinionē ſecuti ſunt. Nam & Scaliger ſupra cit. merito ſubiecit: *Erit igitur in ſemine anima formatrix, antecedens animam, cui parat illud domicilium: quare prior illa poſteriore hac ſapientior, ac nobilior. Quemadmodum nos anteit poteſtate, ac ſapientia Creator Opt. Max. qui noſtra hac vtenda dedit nobis.* Hippocr. conſiderās huius formationis artificium naturam appellat ſagaciſſimam, iuſtiſſimā, artificioſiſſimā, prouidiſſimam, prudentiſſimam: an talem dicent animā in tam deformi corpuſculo exorientem? Galenus non minorem ſapientiam, virtutem, ac prouidentiam in formando animalis corpore, quam in Cœlo, ſyderibus, elementis omnibus, eorumque mirabili harmonia fabricandis admiratur. An hoc de anima ſenſus omnis, omniſque cognitionis experte affirmabis? Vide quæ diximus Phyſ. c. 15. & ſupra c. 3. §. 3. contra Sennertum. & in fine §. 4.

l. de alim. de corde de artis &c l. 5. de vſu. part. c. 10.

Scio reſponſuros aduerſarios, formationem eiuſmodi animæ opus eſſe, ſed non ſolius: eamque à Deo dirigi, ac corroborari. Sed *contrà*, ſi anima per ſeſe impar cum ſit tantæ architecturæ, idonea illi perficiendæ

euadat

suadat ipso conditoris adminiculo suffulta, cur eidem quoque non sufficiens erit spiritus ille prolificationis opifex, quem parentes cum materia fœtûs transfundere solent, cùm manu omnipotentis & sapientissimi conditoris ductus, & adiutus fuerit?

Quamobrem in haccemateria, è qua formatur fœtus, considerari debent ratio seminalis, spiritus vitæ opifex, atque ipsa in primis assistentia Creatoris: de ratione seminali sat multa diximus Phys. cap. 15. & de mundo cap. 3. §. 4. quæ sufficere posse videntur ad sententiam Alberti Mag. suadendam iis, qui principiis Aristotelicis præoccupati non fuerint: (alioquin enim eam haud spero placituram:) si cui autem hæc arriserit, is dicere poterit talem rationem seminalem esse actum primordialem, cui veritas animæ insit, ac potentia actiua informandi tale vel ille corpus; ex se interim indifferentem ad hoc, vel ad illud indiuiduum talis speciei conflandum, vt docet S. Bonauent. *in 2. d 7 & 18.* vbi sententiam Præceptoris sui Alexand Alensis cæteris præfert, sequiturque. Cui tamen ea probari non poterit, legat alias explicationes rationum seminalium, quas attulimus *in Phys. cap. 15. §. 3.* easque rite ponderet. Et inde perspectam sibi magis habebit ipsam assistentiam conditoris. Quamobrem si per rationē seminalem intellexeris ipsammet ideam Dei, prout accedente operatione causæ creatæ, sese occulta expressione obsignat in materia, res erit facilis intellectu: si verò malis esse quid creatum, secundum essentiam distinctum à quouis alio, veritate specificæ formæ gaudens, & largitate conditoris maxime efficax, id cum D. Augustino licebit concipere tanquam vim quamdam substantificam in qua, & per quam Deus, modum, pondus, & numerum rei cuiusque determinat & fingit: secundum quod D. August. ait seminibus primordialibus rerum *inesse efficacissimos numeros, trahentes secum sequaces potentias ex illis perfectis operibus Dei, à quibus in septimo die requieuit: omnemque modum & numerum, & pondus eius, vnde efficitur, vt & sic, & natura ita & ita sit, ab intelligibili, & incommutabili vita, quæ super omnia est, existere.* Restat spiritus vitalis: is est instrumentum proprium animæ parentum: quemadmodum enim in animali est spiritus viuax & actuosus, & efficacitate animæ plenus, qui sanguinem nutrimentalem excoquit, addensat, & parat ad animæ susceptionem. Talis diuisibilis cum sit, in prolificatione diuiditur & multiplicatur, vel nouus generatur, qui cum materia seruiente generationi funditur. Is ergo calore insito, ac virtute parentum refocillatus, parat corpus animæ vel educendæ, vel infundendæ: multaque interim agit, quæ caloris vim excedere non videntur: vt secretionem, aut concretionem, rarefactionem, fermentationem, agitationem, emollitionem, aut indurationem, &c. quod verò hanc figuram, sub his numeris, cum hac proportione cudat, &c. superioris certè virtutis effectus est, vt diximus. Interim hoc vel illi negari non debet, quin vt instrumentum animæ parentum concurrat ad eductionem & vnionem animæ, si de irrationali loquamur; aut saltem ad vnionem, si de rationali. Alioquin vix explicari posset, quomodo

parentes dicerentur causę filiorum.

His positis facile potest responderi ad argumenta doctorum contra sentientium. *Ad primum Resp.* fœtum initio non viuere actu, sed solum potentia: ideo negatur Min. quod de organorum efformatione dicitur, distingui debet: vel sermo est de imperfecta quarumdam partium inchoatione: vel de perfecta corporis constitutione: prior fieri potest vi spiritûs viuifici ante animam: secunda non item.

Ad secundum Resp. fœtum initio non nutriri, neque augeri per intus susceptionem: sed solum postquam incœperit animari. Anteà verò solum augetur ad eum modum, quo fermentum adhibita noua farina increscit.

Ad tertium Resp. ex eo solùm sequi perfectam formationem carnis in esse carnis humanæ, vel leoninæ, &c. esse ab anima, quod concedimus: & sic de reliquis: inchoari verò ab ea corporis integri, seu principalium partium, formationem negamus: alioquin cur exacto corde, anima ex superstite sanguine, cor aliud formare sibi non posset? cur non iecur, pulmonem, oculum? &c. imo, an venas quoque possit anima reficere, merito dubitatur: & nisi vidisse se illud in capite testaretur Galenus *lib. de sem.* certè incredibile haberetur. Quod additur de continuatione formationis, nihil est: primò enim parari domicilium animæ debuit, tum ipsius animæ fuit illud, augere, integrare, ac perficere.

Denique Aristoteles euidenter explicari debet per ea quæ ex ipso supra retulimus.

§. 3.

Vnde proueniat.

ISTVD breuiter sic Plato definiuit in Timæo, dicens, *Sunt quidam trianguli primi quidem, & indeflexi, lenesque ad ignis, aëris, aquæ, & terræ exactissimam generationem accommodatissimi. E quorum generibus singulis, Deus secernens singulos, & inuicem contemperatos permiscens, totius generationis mortalium sementem, fomitemque constituit, dum medullæ ex his substantiam procrearet. Postea vero serens in ea, animarum genera alligauit. Figuras præterea quotcumque, & qualescumque ex singulis speciebus adesse medullæ oportuit, tot penitus & tales statim in prima illa distributione distinxit, &c.* ex his pauca hæc percipe: *primo*, inducitur Deus ipse (& non dij iuniores) animalium genituram moliens, & architectans. *Secundo*, per triangulos intelliguntur principia essentialia, numerique formales elementorum cum proportionibus, secundum quas in mixtorum fabricam, priùs subtilissimè liquata, rediguntur; in eaque, licet opposita, concordissimè tamen commorantur. *Tertio*, per figuras debent subaudiri *occulti & efficacissimi numeri, trahentes secum sequaces potentias ex opificio Dei*: id est, rationes seminales. *Quarto*, voluit Plato conditam à Deo fuisse substantiam aliam seminalem, in qua ex industria, & pro mirabilis suæ sapientiæ arte peculiares inseruit vires omnium partium

& organorum animalis fabricandorum. *Denique* voluit talem substantiam prolificam in vno quoque animali ex medulla fluere.

In hoc vltimo videtur carpi ab Aristotele lib. 2. de part. anim. cap. 6. *Huic* tamen fauent Hippocrates, Galenus, & Aristoteles ipsemet. Hippocrates lib. de genit. ita scribit, *Ad medullam spinæ ex vniuerso corpore viæ permultæ concurrunt; semenque ipsum ex cerebro in lumbos, & corpus vniuersum, & spinæ medullam diffunditur: ex qua etiam vasa quædam protenduntur, adeo vt facile tum in eam humor subire possit, tum ex ea abscedere. Porro cum genitura in ipsam medullam peruenerit, postea defertur in renes, ad quos per venas via patet; quibus exulceratis, nonnunquam etiam sanguis vnà delabitur.* Galenus in fragmento commentarij de iis, quæ à Platone dicta sunt medicè in Timæo, ait hanc Platonis opinionem fuisse peruetustam, eiusq; participem fuisse Hippocratem. Aristoteles problem. 56. sect. 10. Hippocratem sequi videtur. Quidquid sit, certum est in arboribus medullam maximè genitalem esse, atque inde fœcunditatis omnem pendere originem: cum in eam ex qualibet parte arboris spirituosum quiddam & valde efficax defluxerit, vnde fiunt nuclei, qui tertia decoctione sublimati, perfecti seminis vim ac rationem obtinent: simile quid in viuentibus reliquis generaturis contingere volunt medici, licet non in eo conueniant, è medulla semen, an ex hoc potiùs medulla existat: sed de hoc ipsi viderint: solùm notauerim triplicem medullam distingui, medullam cerebri, spinæ dorsi, & ossium: medulla dorsi Galeno, quædam est cerebri propago, ipso tamen multò durior, & magis condensata, adeo vt nullius ignis vi liquescere ista valeat, aut dissipari: medulla ossium non minùs, quæ adeps calore liquata dilapsaque diffunditur: quamquam negat Aristoteles dorsi medullam iunctam esse cum cerebro, quòd medullam natura sua calidam, cerebrum verò partium omnium corporis frigidissimum esse censuerit 2. de part. anim. cap. 7. sed Galeno magis annuit Fernelius dicens medullam dorsi esse ceu stipitem quemdam cerebri, & portionem longius exporrectam. Atque hæc dicta sufficiant: quomodo autem, & ex quo formentur membra singula, Medicorum est inuestigare, non Philosophorum. Nobis sat erit stupendum creatoris opificium admirari? & exclamare cum Galeno, *lib. 3. de vsu part. c. 10.* *quod cultu conueniente exornare omnia, nihilque suis beneficijs priuatum esse voluerit, id perfectissimæ bonitatis specimen esse statuo: & hac quidem ratione eius bonitas hymnis nobis est celebranda. Hoc autem omne inuenisse, quo pacto omnia potissimum adornarentur, summæ sapientiæ est; effecisse autem omnino quæ voluit, virtutis est inuictæ, & insuperabilis. Ne igitur mireris Solem, Lunam, & vniuersorum aliorum astrorum seriem summo artificio dispositam esse, neuè te attonitũ magnitudo eorum, vel pulchritudo, vel motus perpetuus, vel circuitionum certa descriptio reddat, &c. diuina sunt illa & cœlestia, nos terrea statua, opificis tamen ars in vtroque æqualis.*

§. 4.

Quomodo vterque parens concurrat.

QVÆRITVR, an mater actiuè in generatione concurrat. Nota ergo hancce quæstionem non solùm inter Medicos, sed etiam inter Theologos *in 3. p. q. 32. & in 3. sent. d. 3.* solere agitari, nec non inter Philosophos. Nam Aristoteles matribus solum attribuit facultatem patiendi, & materiam subministrandi, nempe sanguinem menstruum, ex quo virtute à viro corriuatâ formetur, atque alatur fœtus, aut si quid aliud ab iis emittatur, id non prolificum sanguinem esse, sed aquosum tantum atque serosum humorem. Fundamentum præcipuum est, quòd alioquin nulla posset ratio assignari, cur sine viris concipere nusquam possent: tum quòd fœminæ pueris voce, pilis, humiditate atque adeo gignendi imbecillitate compares sint. Addit Alb. Magnus in omni natura deprehendi quòd agenti respondeat ex opposito patiens aliquod, subiecto distinctum. Cum ergo pater agentis prærogatiua donetur, sequitur matrē solâ patiendi constare. Accedit & Galeni authoritas, *fœmina*, inquit, *cùm masculo frigidior sit, incoctum & tenuem humorem habet, qui nihil ad prolis generationem confert.* Hanc sequuntur *Auerr. Auic, D. Th. Alb. Mag.* 15 *de animal. tract.* 2. *&c.*

lib. 1 de gen. anim. c. 19. & 20. & alibi.

lib 4. de vsu part c. p 1,

At ex altera parte *Hippocrates & Gal.* cum omnibus Medicis, quos ex Theologis sequuntur *S. Bonauent. Scotus, Maior, Ochamus, &c.* contrarium docent, eo quòd matres verum sanguinē prolificum, siue sperma æquè ac viri conficiant: vt ex anatomia atque ex cæteris passionibus quæ illis obtingunt, manifestè colligunt medici: quibus tamen omissis: Hæc duo duntaxat hic vrgere sufficiet. *Primum est*, quòd formas eiusdem speciei debeat potentia quæque consimilis consequi: sed fœmina donatur forma eiusdem speciei ac vir. Ergo. *Secundum* vrget Galenus sic: fœtus frequenter euadunt matribus similes: Ergo hæ concurrunt actiuè: id enim fieri non posset si solum menstruum sanguinem suppeditarent: alioquin quidni semper matribus similes fœtus ederētur? adde quod menstruus non possit singularum partium characteres, aut dispositiones indere: cum ab illis non proueniat: at dispositiones partium corporis materni communicantur quoque fœtui: nam arthritica, arthriticum; epileptica, epilepticum; calculosa, calculosum gignit. Eodem modo si ouem caper inierit, ouem duriori lanitio; si capram aries, capram molliori pilo gigni ait Athenæus. Ergo à matre aliqua vis formatrix prouenit: atqui hæc non sanguini, vt concedunt omnes; sed soli fœcundo, ac prolifico spermati conuenit.

At si hoc ita sit, cur, inquies, opus masculo? Respondent Medici, materiam, quæ à fœmina suppeditatur, licet aliquali gaudeat fœcunditate, tamen non sufficere; quia debilior illa & frigidior est: egetque vi aliqua nobiliori: ipsamque animalis saltem perfecti conceptionem

exigere talem materiam, quæ necessario ex inæqualibus temperamentis pendeat: nempe è mascula necnon calidiore virtute, quam sola temperies viri: & molliore, humectiore, atque abundantiore quam sola temperies fœminæ prodere possit: vt sic vni quædam communis massa coaguletur, accrescat, & transmutetur. Hoc autem sensu verùm est patrem fungi simpliciter officio agentis: matrem verò, patientis; licet ille aliquid materiæ subministret, sed parum; & ista nonnihil agat, sed modicè.

Hinc patet non repugnare, quòd quædam imperfecta viuentia sine sexus distinctione procreentur, vt stirpes; imo & pisces aliqui; vt rubeliones, hiatulæ: quibus adde Erythrinos & Chamnos, &c. animantes eiusmodi. Nota interim sanguinem fœmineum, qui cedit in materiam fœtus, non esse illum impurum, qui menstruus dicitur; sed puriorem ac exquisitiorem: qui tamen si non expendatur in procreationem corrumpitur, ita vt statis certisque temporibus excerni, expellique debeat & tunc menstruus appellatur.

§ 5.

Vnde proueniat similitudo filiorum.

MVLTA hic notanda sunt: nam triplex est similitudo: *prima* speciei, *secunda* sexus; *tertia* indiuidualium proprietatum. Prima sine dubio à forma generantis, & virtute eius formatrice, ac dispositiua prouenit. Hinc enim necessariò fit, vt leo à leone, ab equo equus generentur. Cæterùm cum mater plus materiæ cōferat, quam pater; ideo communiter fœtus matres potius referunt, quam patres: præsertim in eo, quo matres degenerant à perfectione specifica patrum: quia virtus paterna tunc quoque degenerat in virtutem maternam. Ideo ex capra & ariete nascitur capra; ex oue & hirco, ouis, &c.

Secunda pendet ex qualitate materiæ prolificæ: cum calor, virtusque mascula præualent, mas; cum humor, frigiditasque fœminea, fœmina procreatur: ille in dextro; hæc in sinistro latere, quia frigidiore.

Tertia explicatu difficilior est. Consistit autem partim in eo quòd fœtus temperiem parentùm, morbidosque affectus referant; atque adeo ipsam plerumque indolem, imitentur quæ omnia possunt ex temperie materiei prolificæ oriri: partim in colore & conformatione membrorum, dum gnati patris aut matris, aut aui, aut aliorum vultum integrum, aut quoad partem; aliaque membra omnino repræsentant. Licet enim diuina Prouidentia admirabili prorsus arte omnia indiuidua diuersis præsertim vultus characteribus insignita semper gigni voluerit; ne frater cum fratre, aut cum patre, mater cum vxore, &c. confundentur, vt optimè notat Nemesius; tamen in tanta varietate, talis vt plurimùm est gnatorum ad parentes similitudo; vt ex solo conspectu aliquando iudicetur, quis ex quo sit oriundus. Interdum etiam filij *lib. de anim. facult. c. 42.*

alios, quam parentes referunt. Apud Chinenses, filij patribus sunt similes naso, oculis, fronte, & barba: fuerunt, in quibusdam familiis gentilitia quædam signa, vt Spartis, Thebanis, lancea; quibusdam stellæ, cancer, &c. innata & insita statim ab ortu. D. Aug. 18. de Ciuit. c. 5. refert apud Ægyptios fuisse bouem quendam, maculis quibusdam candidis insignitum, *Apin* dictum; cui iugi generationum serie semper æqualis, similisque succederet.

Quænam ergo huius similitudinis ratio? Astrologi volunt id ab astris deriuari: alij vt Aristoteles à motu spermatis: alij à virtute sola formatrice: alij ad solam imaginationem recurrunt. Verum omisso harum sententiarum examine, sit

CONCLVSIO. Similitudo filiorũ prodit ex ipsa prolifici sanguinis virtute formatrice: quamquam & hæc plurimum à phantasia immutetur. Quoad virtutem formatricem, certum est eam esse omnium quæ in fœtu cooriuntur communem artificem. Quamobrem notandum est sanguinem prolificum agere vt instrumentum animæ. Quod enim in eo effectiuum est, id prodit ab anima; quod verò passiuum, à materia. Et quod generat, secundum animam potius generat: transfert ergo vim suam effectricem in corpus rei generandæ per spiritum, qui præualet in suo semine: virtus autem generandi, est virtus assimilandi: quia omne agens intendit simile. Ergo ea vis formatrix, est etiã vis assimilatrix. In anima porro præiacet vis & ratio formatiua omnium membrorum, non solùm ad speciem suam, sed insuper ad suum indiuiduum, & suppositum pertinentium. Ideo vis quoque formatrix, quæ in semine est, gerit in se characterem & ideam, vimque expressiuam & assimilatricem omnium partiũ generantis. Idcircò ab ea fluit tota ratio similitudinis, quæ est in fœtu: dissimilitudo verò potius ex inæqualitate materiæ. Hinc Aristoteles dixit in sanguine illo prolifico esse vim accedendi ad omnia: id est, ad omnes partes generantis potius, quam alterius fœtum per similitudinẽ adducendi. Quando ergo in illo vis patris præualet, fœtus refert patrem: quando vis matris, matrem: si aliqua vis auorum adhuc delituerit in parentibus; ea aliquando sese exerit in nepote, &c.

Quoad Phantasiam verò, certum est eam hac in re mirificam vim obtinere, vt patet ex 30. c. Genesis, vbi oues quotquot in hora conceptus virgas variegatas inspexere, fœtus quoque multicolores ediderunt. Item ex eo quòd vxor Æthiops, quæ (iuxta consilium Galeni l. de theriaca ad Pisonem) tempore conceptus attentè formosam imaginem intuita, formosum quoque, albumque fœtum enixa est. Huc etiam facit quod refert S. Hieron. qq. in Genesim, mulierem accusatam adulterij, eo quòd eius proles nullo modo patrem referret, suæ famæ, atque saluti consuluisse asserendo, quòd concipiendo, viri cuius similitudinem gerebat proles, imaginem fuisset contemplata. Ad eam quoque phantasiæ vim ostendendam facit quod supra de Api diximus. Rationem enim hanc D. August. reddit, quòd dæmones ad decipiendos Ægyptios phantasiam tauri paribus maculis albis picti, quam solam cerneret,

vaccæ concipienti ostentarent: *vt libido eius attraheret, quod in eius fœtu iam corporaliter appareret.* Experientiæ manifestæ sunt, ratio verò valde occulta. Arabes tantum imaginationi dederunt, vt existimarent animam virtute imaginationis sic extolli, vt non solum in proprium corpus, sed & in alia queat id quod cogitauit imprimere, sanare, debilitare, quos velit, miraculaque edere, &c. At magicam tunc euulgant artem, dæmonum præstigiis commendatam, sed rationem eius quod in corpus à phantasia exercetur imperij, non reddunt, quid ergo?

Resp. *primo*, quòd haustis per phantasiam speciebus rerum externarum, quales illæ cumque sint, anima sic afficiatur, vt ipsis euadat assimilis; fit enim actu id quod cognoscit: estque propterea omnia potestate: cuius ergo rationem formalem extrinsecus accepit virtute imaginationis, eandem vi generationis extra se iterum communicat & exprimit. *Secundo*, spiritus phantasiæ seruientes miram habent cõsensionem cum spiritibus, qui seruiunt generationi, ideo qualiter affecti sunt ab externis obiectis, dum per eos hæc mouent phantasiam, taliter quoque afficiunt spiritus genitales; forteque iidem, qui phantasiam commouent, celeritate mirabili ad organa potentiæ genitricis se transferunt, eiusq; functionibus administrant: quidquid sit, certum est magnam esse sympathiam inter facultatem imaginandi, & illam generandi: adeo vt moueri vna vix possit, quin naturaliter altera excitari se sentiat, nisi obstet ratio, amorque boni nobilioris. Adhæc, quemadmodum spiritus per internam caloris excedentis impressionem alterati, caloris huiusmodi vim fœtui conferunt, ita dum per externam coloris actionem alterantur, huius etiam vim quidni similiter imprimant? Præsertimque eo tempore, quo spiritus animales magis incalescunt: tunc & impressiones fortiores suscipiunt, & edunt.

Ex his facile conijcietur quomodo phantasia vim habeat corpus tam multipliciter immutandi, nam non solum affectus commouet, vimque motricem excitat, dirigitque, sed sanum facit, aut languidum: multi enim verè ægrotant, quia ægrotare se prius cogitarunt, aut verè conualescunt, quia conualescere sibi videntur. Hæc enim & similia eueniunt, quia verè imaginando spiritus alterantur secundum speciem rei cogitatæ: ipsaque anima illius formam, vimque suscipit: ac statim in corpus traducit.

Itaque virtus formatrix eo naturaliter tendit, vt parentum similitudinem imprimat, nisi ab alia vi præualente vincatur, qualis aliquando est vis ab imaginatione procedens. Aliquando hæc vis de semine transfertur in semen: sic Niceus poëta Bizantinus à candidis parentibus genitus factus est niger, vt auus qui fuerat Æthiops; & Helis quidam legitur ex vxore Æthiope genuisse filiam candidam, quæ ex viro candido Æthiopem genuit.

CAPVT XIII

DE VITA.

§. I.

Quid ſit vita, quidue calidum innatum.

FORMATIONIS exordia percurrimus; modo quid ſit vitæ, & quæ ad ipſam pertinent, videamus; id eſt, calorem naturalem, eiuſque ſubiectum, quod humidum radicale, ſeu calidum innatum, & primigenium dicitur: itemque pulſus ac reſpirationis cauſas, denique vitæ affectiones, oportet modo percurrere: vnde ſcilicet longæuitas, aut breuitas vitæ proueniat, & quæ ſunt generis eiuſdem.

Quoad vitam, variè ipſa definitur, prout variè à diuerſis eius notio fabricatur; à Boëtio enim ſic deſcribitur, *vita eſt internus, & naturalis motus, tantum vigens intrinſecus*: ab Ariſtot. *vita eſt primus, & continuus actus viuentis*: ab aliis, *actus primus animæ, & corporis adaptati ad mouendum.* Sed iis omnibus certè deeſt aliquid. Nam ſecundum primam emanatio frigiditatis ab aqua dici poſſet vita; ſecunda nihil declarat vltra ſignificatum nominis: cùm enim dicitur *actus viuentis*, perinde eſt ac ſi quærenti quid ſit calor, reſpondeatur, *actus calidi*,: quæritur enim vlterius, quid ſit viuere, quid ſit eſſe calidum, &c. contrà tertiam obiici etiam poteſt, quòd Angelus, & anima quoque ſeparata viuant ſine corpore. Quid ergo? an non fortè aptiùs dicetur actus primus rei ſe mouentis: ſeu iugis energia, quâ quid ſe primo mouet? ſed qualis actus, accidentalis, an ſubſtantialis? Diximus ſæpe Platonicis vitam eſſe actũ, ſiue ἐντελέχειαν ſubſtantialem. hoc eſt, motionem quandam continuatam ſubſtantiæ intimam: qua nimirum iugiter ipſa ſe in eſſe conſeruat, & à ſe ipſa primò incipitquaſi egredi, operatura vel circa ſe intelligendo, vel circa corpus animando, &c. Ideo à quibuſdam conſideratur, ceu vigor quidam continuus ſubſtantiæ: qui propriè neque ſit ſubſtantia, neque accidens, ſed ſolùm quidpiam ſubſtantiale, eo quòd ad ſubſtantiam reuocari debeat, ſicut actus eius proprius & immediatus: quemadmodum de ipſo eius eſſe à nobis dictum eſt in Logica cap. 15. §. 2. vide etiam Phyſ. c. 14. §. 3, Verum D. Thomas vitam duplicem diſtinguit. vnam ſubſtantialem: alteram accidentalem: primam ponit in ipſo eſſe ſubſtantiæ, cui conuenit ſecundum ſuam ſubſtantiam mouere ſe ipſam: ſecundam in eiuſdem operatione conſtituit.

Verum diſtinguere nihilominus decet vitam animæ ſeparatæ, à vita hominis vel animalis; illa eſt actus ſimplex ſimplicis ſubſtantiæ, ab ea æquè primò, & adæquatè procedens: Iſta eſt actus ſubſtantiæ compoſi-

tæ,

tæ, à forma per se solùm prodiens, & participatione ad corpus se extendens. Quamobrem, cum non omne corpus aptum sit viuere, necesse est vt interueniat aliquid, quo aptetur, quodue sit generale quoddam viuendi instrumentum. Id autem calor natiuus est, de quo pauca ista subdamus.

Calor natiuus est ille qui à natiuitate implantatur, & afflatur specialiter ab anima, vt actiones vitæ possit exercere. Is benignus est, salutaris, & viuax. Creditur à Medicis non sine magna probabilitate distingui ab elementari, vt iam diximus in tom. 4. c. 14. §. 3. Quibus adde duo hæc argumenta, quæ multum roboris habere censenda sunt. Primum; in ossibus, neruis, & aliis partibus similaribus emortui animalis æquè viget calor elementaris, ac in lapide, metallo, &c. At quis potest dubitare, quin dum hoc viueret, calor aliquis vegetior, & nobilior huic inesset, qui vtique vitalis operationis efficax esset instrumentum? *Confirmatur* hoc ex pipere v. g. Hoc omnes sciunt temperamento impensè calidum esse: consideremus ergo illud, & quatenus viuum priùs, & deinde quatenus mortuum: dum viuit, alitur, crescit, generat, sese perpetuo mouet, assurgit, se dilatat, &c. nihil horum efficit, dum exaruit: fatentur omnes vitalis motionis instrumentum esse calorem innatum. Ergo is abest è pipere mortuo: at nunquid abest calor elementaris? quin imo, si temperiem pensites, æquè, imo magis tunc calet, quam viuens. Ergo calor, quo eius temperamentum constat, ab eo distinguitur, quo viuebat.

Secundum argumentum desumitur ex animantibus, vel stirpibus præfrigidis, vt sunt salamandra, serpentes, mandragora, lactuca, &c in iis calor elementaris omnino victus, ac iners iacet, prædominante sc. frigore; & tamen alimentum trahunt, concoquunt, aluntur, generant, &c. Quomodo ergo hæc à temperamento frigido, vel à diminuto, & victo calore proficiscentur, nisi alius adsit superioris ordinis, & singularis efficacitatis calor, lethiferam, & stipticam vim frigoris absolutè vincens, ac cohibens? Hinc Aristoteles mortem definiens, huic calori viuifico non frigus opponit, sed solùm extinctionem: ita vt quemadmodum lumini contrarium propriè nihil est, ita nec calori vegetali. Denique si calor igneus vitæ in nobis effector esset, ac refocillator, sanè quæ illo ampliùs abundant vt sulphur, arrhenicum, naphta, &c. potiori iure viuere dicenda essent; secus quæ magis eo destituuntur, vt papauer, salamandra, &c. oporteret inter inanima, & emortua penitus annumerare.

Huius caloris fontem communiter in corde Medici constituunt: Hinc in singulas corporis partes diffundi, ac pro cuiusque dignitate dispensari asserunt: idcirco ipsi merito vehiculum quoddam subtilissimum attribuunt, cui tanquam natiuo subiecto insit; & cuius agilitate quam maxima momento possit omnibus partibus impartiri. Illudq; propterea dicunt esse substantiam aëream, fouendo calori familiarem, & amicam: quæque ætheris modo semper blandè, ac perbenignè ardeat: semper-

insiliat, & præ sua exilitate omnem effugiat sensum, solo rationis examine detegenda. Hæc spiritus nominatur; & flammulæ potest meritissimè comparari, quòd sit corpus tenuissimum eximio calore præditum. Quamobrem, sicut elementaris flammæ calor eget pabulo quodam pingui, & vnctuoso: sic calori vitali fouendo prouidit Deus humorem aliquem pinguem, & oleo similem; adipe multò subtiliorem: ipsoue aëre puriorem, & leniorem. Is in partium similarium substantiam insertus, innati caloris fundamentum est, ac prima substantia: vocaturque diuersis nominibus, sc. spiritus vitalis; calidum naturale; humidum radicale, vel primigenium, &c.

Notanda est autem triplex humoris distinctio: nempe elementaris, primigenij, & alimentarij. Alimentarius est aduentitius, atque extrinsecus, qui nimirum cum alimento infertur: Elementaris seu aqueus temperamentum necessarium viuentis intrat, & conflat, nectendis sc. continuandis, & terminandis partibus idoneus. Primigenius denique substantiæ nostræ quædam portio est, à prima statim origine suscepta. Differt autem à priori, quòd licet vterque nobis ingenitus sit, ille tamen omnium corporum, vel inanimorum communis sit, nihilque societatis, aut commercij habeat cum calore, ac spiritu; iste verò secus, vtpote caloris vegetantis propria sedes, & fomentum, & ideo aëris naturæ valde affinis est, oleoque, & balsamo compar. Distinguiturque ab aqueo; qui minimè viuax est, phlegmatisque, ac pituitæ plurimam vim creans. Ideoque videmus hunc in senibus abundare; qui tamen humore illo vitali, & primigenio indigent.

Tale ergo est humidum, seu calidum radicale: hæc enim tria illi per se competunt, vt subtile, vt oleosum, & vt spirituosum sit. Hoc ex ipso prolificationis exordio extractum esse dicitur, & cùm caro reliqua ex sanguine fieri credatur, istud præsertim è semine prodiisse dicunt Medici: atque inde agnatum esse, atque adhærescere cæteris partibus corporis: & quidem ita, vt nulla hinc arte possit extrahi: quidquid dicant Chymici. Ratio est, quia hoc ab anima corpus fouente necessariò pendet vt flammæ feruor ab igne, qui fumum accendit. Quamobrem si quãdo Chymici oleosi quidpiam, vel balsamo similem humorem extraxerint, vel non est id calidum ipsum innatum, vel non est merum: sed simul cum ipso pars aliqua educitur, cui adhærebat, & quæ componebat corpus viuentis: vel succus quidam ex elementis mixtus, in quo humor alimentarius fouebatur, &c.

Sed alia subnascitur quæstio, an scilicet illud humidum congenitum, fuerit parentum pars aliqua: & an idem omnino multiplicetur in prole, & quomodo. Alex. Alensis refert opinionem aliquorum asserentium ab Adamo modicum quid eius substantię in prolem transiisse, & similiter ex ea in reliquos posteros, ita vt illud modicum sine adiectione rei extrinsecæ multiplicatum fuerit in omnibus hominibus. Idque ipse sic explicat: materia quæ est in minimo aëre potest sic in infinitum multiplicari, & infinitas partes non solum ignis, & terræ, sed & eiusdem aëris so-

2 p. q. 81. m. 2. a. 2.

la sui diuisione procreare. Cum ergo id quod ex Adami substantia defluxit in filios, habuerit quatuor elementa: modicum illud terræ, quod gerebat, potuit infinitè in alias terræ portiones multiplicari; & similiter modicum aëris, &c. vim autem illam se sic multiplicandi è tribus volebat deriuari. 1. ex viribus seminariis, quę proportionē quandam habent ad infinitas materias, 2. ex natura elementaris materiæ; quæ rarescendo potest in immensum amplificari. 3. Ex participatione naturæ cœlestis quæ sine sui diminutione potest infinitè diffundi, vt patet in luce. Hanc opinionem putat, ille probabilem, vt pote quam Magister sententiarū in 2. l. defenderit: videturq; S. Aug. quidpiam simile credidisse, cùm scripsit nos fuisse in Adamo secundum corpulentam substantiam, & secundum seminalem rationem: Christum verò solum secūdum corpulentam substantiam: & in l. de vera relig. *Ex vno semine*, inquit, *segetes segetum, sylua syluarum, greges gregum, & populi populorum educi possunt.* D. Bonau. hanc sententiam reiicit vt sensui, rationi, & authoritati repugnātem, sed tamen opinatur aliquid humidi radicalis parentum defluere in filios, & cum adiectione nouæ materiæ verè multiplicari: ita vt substantia illa ex qua formatur fœtus, constet partim ex superfluo alimenti, & partim ex parte modica humidi radicalis. Additq; id modicum humidi primigenij per virtutem naturæ toti corpori filij sic commisceri, vt nulla eius pars fuerit, cui quidpiam illius humidi primigenij non sit inspersum. Et ex illo similiter aliquid transfundi quoque in posteros, vt verum sit omnes nos verè secundum corpulentam substantiam in Adamo fuisse, quatenus illud humidum radicale, quod in nobis est, pars aliquota fuerit humidi radicalis Adami: multum tamen aucta humoris alimentarij adiectione: ad eum ferme modum, quo massa farinæ aliquo fermento totaliter inspersa, quidpiam eiusdem fermenti cæteris massis, inde ordine fermentandis communicat. Ergo secundum huiusmodi sententias duo necessariò concedenda sunt: *primum*, quod primum humidum radicale, mole perexiguum, fuerit diuisibile in partes aliquotas ferme infinitas: *secundum*, quòd sit omnino incorruptibile, vtrumque sanè arduum est in Philosophia. Ideo meritò reiicitur à S. Thom. 3. p. q. 31. a. 6. Ideo D. August. verissimè dixit, quòd *illa quæ producuntur ex semine, in semine omnia fuerunt primitùs, non mole corporea magnitudinis, sed in potentia causalite:* Itaque potest forte quidpiam humidi primigenij parentum cum humore prolifico descendere immediatè in filios: vnde & ipsi parentibus assimilantur; & præterea inde potest proficisci, vt qui rebus venereis frequentiùs indulgent, attenuari soleant, quòd necessarij humidi nimium perdant. Sed tamen in sobole illud aggeneratione multiplicatur: itemque grassatione hostilis caloris minuitur: atque ita ex vno aliud procreatur: sicque primum causa est posterioris; non materia. Originem dedit, vt post ipsum multiplicetur aliud; non ex ipso: id quod elucescet adhuc euidentiùs ex iis, quæ posteriùs edisseremus: quamobrem hæc sufficiant.

10. l. ingen. c. 20.

§. 2.

De affectionibus vitæ.

PRÆCIPVA vitæ affectio in longæuitate aut breuitate consistit, de qua hic pauca inserere nos oportuit.

In primis statuendum est certam cuique à natura, durationis periodum esse definitam; id inductione omnium patet, *fugaces enim labuntur anni: nec pietas moram rugis & instanti senectæ afferet, indomitæque morti.* Huic fato subduntur omnia, quæ temporis lege tenentur: ac præsertim homines, qui responsum mortis ex intimis vitæ penetralibus iugiter audiunt: quando calor natiuus, quo vegetamur ac viuimus, persæpe nobis extremam perniciem moliatur: & aliunde summus ille vitæ Dominus, *qui fecit ex vno omne genus hominum habitare super vniuersam faciem terræ*, definiuit *statuta tempora, & terminos habitationis eorum.* i. vitæ. Quamobrem subsannandi meritò sunt Chymici illi, qui per aurum colliquatum, & quintas essentias arceri posse senectutem, mortemque fabulantur. Facessat quoque Cardanus, dum arte medicaminum vitam in centenos annos prorogari posse contendit, similibus præstigiis dementati erant ij, qui apud Galenum dicebant mortem nulli hominum ex naturæ necessitate, sed solùm ex ignoratione remediorum accidere.

Horat l. 2. carm. od. 14

Act 17.

Lib. de Marasmo.

Plures enim sunt interitus causæ, cùm internæ, tum externæ. Interius grassatur semper ignis vitalis in humidum radicale, ac nisi alimentum conuenientissimum nactus fuerit, vel debilitatur, vel nimium inferuescit. Rarissimè quoque congrua caloris ad humidum proportio inuenitur. Alimenta quæ adhibentur, non omni ex parte conueniunt: semperque iis inest aliquid extraneum & repugnans: sed multò magis medicaminibus: adde aëris intemperiem, passionum insurgentium æstum, mœroris scilicet, ac effusi gaudij: quibus temperies alteratur: excessum famis, aut saturitatis; vigiliarum vel somni & infinita id genus alia. Quamobrem solum inquirendum est, quid præcipuè iuuet longæuam vitam: ex iis enim, quæ finem eius accelerent, ac breuitatem inducant, planum efficietur.

In primis optima requiritur calidi naturalis, & primigenij dispositio quæ quantitate, vel qualitate neque excedat, neque deficiat: copiosum enim plus vitæ pollicetur, quam paucum: sed & bene compactum esse debet, pingue, ac oleagineum; calore benigno, & cœlesti, non igneo vigens. Humidum sic debet caloris intensioni respondere, vt illi fouendo sufficiat: nec tamen eum excrementis obtundat: vt enim oleum si vel copiosius, vel crassius fuerit, ellychnij flammam absorbet: sic humidum radicale si peregrinis concretionibus inspersum, aut si copia prænimium fuerit, calorem mox, vitamque suffocat: & quemadmodum flamma, quæ fœculento nutritur oleo, tetrica fit, ac molesta; sic dum humidum

excrementitium, & crassum est, vitæ omnis functio morbida, subleſta, & deficiens efficitur. Optimum porro humidum in iis esse perhibetur, qui sanguinei dicuntur: iis enim inest vt maximè calor vegetus, & temperatus, humorque pinguis & cohærens. Caueant tamen ij exquisitiores vitæ delicias, quibus ob lætiorem indolem sæpe vltra mediocritatem indulgent.

Exteriùs multò plura requiruntur. Primo iuuat maximè salubris cœlorum irradiatio, spiritus enim quidam à cœlo afflatur mundo inferiori, quem Aristot. 2. *de anim. ortu*, *& lib. de mundo*; Itemque Cic. ex Stoïcis 2. *de nat. Deor.* volunt fusum esse per omnia. Nosque in Phys. c. 14. confirmauimus: eo sanè multùm vegetari, ac foueri mortalia corpora certum est: Sol enim & homo generant hominem: nec sine Sole viuunt plantæ.

Huc proximè accensenda est aëris grata temperies, quantum enim viuentibus noceat aër infectus, vel ipsa pestilentiæ lues sat demonstrat: aliunde quantùm prosit vel hinc coniice, quòd certa sint climata in quibus homines diuturniorem vitam degere soleant, quam in aliis. In India regiones sunt quarum incolę communiter 120. annos sanissimi transigunt: aliæ, vbi nec dentium, nec oculorum, neque capitis dolor vllus, neque excreatus: neque reumatum fluxiones ingruunt. Quid quòd gens *Pandore* vocata ducentos annos viuere scribitur, capillos canos à iuuentute: nigros in senio gerens? vide Solinum & Plinium. Hæc vnde nisi ex aëre? *Plin. lib. 7.*

At qualis aër saluberrimus est? Is certè qui calido, humidoque primigenio fouendo ad eum modum, quo supra insinuauimus, maximè congruit: quique neque crassior, vt non sit excrementorum ferax; neque purior, ne ad alendum non sit satis pinguis; neque calidior, ne inflammet; denique nec frigidior sit, ne calorem extinguat.

Quamquam aliquando frigus externum vitæ refocillandæ multùm inseruiat, quatenus calorem internum cohibet, quemadmodum diximus cum de frigore disseruimus in tomo 5. Ideo in Suecia, Dania, Noruegia, &c. homines diu viuunt, & viuacissimi sunt: arbores etiam ibi maximè proceræ, ac annosæ: denique bestiæ temperamento benigniori pollent, cutemque molliorem ac rariorem habent. Cæterum id de iis viuentibus intellige, quæ à natiuitate talem aërem resorbent ac experiuntur: quia eorum corpus quodammodo exinde tali ac tanto frigori aptatur, vt eatenus compactum euadat, quatenus ad interna cordis penetrare frigus non valeat.

Tertiò ad longæuitatem confert alimentorum delectus, & parcitas: quibus adde moderatam corporis & animi exercitationem: quæ omnia fusiùs exequi nostri non est instituti.

Ex his à contrario colligi possunt causæ breuitatis vitæ.

Quæri solet hic à nonnullis, cur homines primæui, à quibus humanum genus propagatum est, adeo longæuam vitam duxerint, cùm modo vita sit adeo breuis. Respondent aliqui aquarum inundatione, quæ

tempore Noëmi contigit, vires ac vigorem terræ, & plantarum multùm elanguiſſe, quaſi hæc immenſa eluuies computreſecerit ſeminales rerum rationes, & vegetalem telluris calorem debilitarit. Sed *contrà*, poſt diluuium homines adhuc diutiſſimè viuebant. Noë poſt diluuium vixit 350. annos cùm ante illud ſexcentos tranſegiſſet, Sem quoque à diluuio vixit 500. alij 400. plus, minùs: & ita deinceps. Reſpondeo igitur id diuino conſilio factum fuiſſe, vt humanum genus propagari commodè poſſet: atque vt longis experimentis homines valerent artes vitæ neceſſarias, morumque diſciplinas ediſcere: nec tamen ideo miracula ordini naturali diuinæ Prouidentiæ aduerſa edidit Deus: ſed præſtantiſſimam calidi primigenij conſtitutionem primum creauerat: quæ poſtmodum ſucceſſione propagationis degenerauit: quemadmodum, & quotidie modo nutritione marceſcit. Adde ob varias aëris commutationes, peſtilentias, & cùm ex aſtris, tum etiam ex terræ motibus aut aliunde ortam intemperiem elementorum ſuccos alimentitios modo alterari, ac quodammodo infici, vnde non ſat conueniens alimentum fouendo calori naturali exhibent. Nihilque horum in primis illis ſeculis contingebat. Neque opinor probabile, quod quidam Ioſephus Michelius ſcriptitauit, Priſcos illos humani generis progenitores aliqua vſos eſſe medicina cœlitus reuelata, qua morbos, ipſamque tandiu mortem arcerent: friuolum enim id eſt, ac ſine vllo fundamento. Quare quod priùs diximus ſufficit.

§. 3.

De pulſu.

EX dictis conſtat vitam in calido naturali conſiſtere: eiuſque fouendi, ac generandi quaſi fornacem eſſe cor: in quo flamma vitalis perpetuo alitur, ex qua iugiter ſpiritus viuifici procreantur, atque in omnes partes momento confluunt. Ideo nonnullis eget adminiculis, quibus in æquali, eaque debita intenſione ſemper foueatur. Ea ſunt tria hæc, *refrigeratio, congruum pabulum, excrementorum expulſio.* Determinatum enim ei feruorem à natura conceſſum eſſe oportuit, qui non inflammando, ſed fouendo ſolùm corpori aptus eſſet. Quamobrem identidem ei refrigerium prouideri debuit. Aliunde niſi congruo aëre nutriretur, vt cæteri noſtrates ignes, extingueretur: ergo ſorbendus aër ei fuit; iſque moderatus, ac lenis: denique nutriri nequit, quin fuligines exhalentur; quæ niſi expellantur, ipſæ ſint flammam illam vitalē extincturæ: ergo expelli eas oportuit: & quia pari calore, licet non pariter intenſo, reliquæ corporis partes vegetantur, etiam ibi ſimile quid accidit: ſed non tanto cum apparatu, ac in corde: Ad hæc igitur tria diſtincta officia pulſus, & reſpiratio ſeruiunt. Pulſus primum in corde calidum naturale refrigerat, paſcit, purgat: deinde ſimilem vim licet minorem arteriis inde diffuſis communicat. Reſpiratio hæc tria quoque

multò efficaciùs, sed cordi solùm impertit.

Ergo pulsus est commotio, qua sese cor, & arteriæ modo dilatant, & modo contrahunt. Cordis *dilatatione* attrahitur è pulmonibus aër temperatè frigidus, & sanguis in dextrum cordis ventriculum influit: inde in sinistrum ventriculum illapsurus, in quo perfectiùs elaboretur. Contractione vero fumosus & excrementitius vapor egeritur: & è sinistro ventriculo spiritus vitales illic ex sanguine procreati in arterias insperguntur.

Simili modo arteriæ, quæ vbique per corpus fusæ sunt spiritus viuificos deferentes dilatantur: & comprimuntur. Dum dilatantur, spiritum vitalem è corde alliciunt; dum comprimuntur verò, repellunt spiritum versus cor, & quidquid fuliginis, vel excrementi ex nutricationis actu in ipsis resedit, eliminant, ac foras amandant.

Sed hic continuo grauis exurgit difficultas, qua scilicet virtute pulsus fiat. Aristoteli videtur fere κατὰ συμβεβηκὸς ex accidente obtingere: ac solùm occasione sanguinis influentis. Ita vt per se duntaxat ipsi calefaciendi vis competat. Ex occasione verò, pulsus: id quod sic secundum illum potest explicari. Cùm sanguis in cor influit, ostiolum eleuat; ac intus vi caloris rarefit, & consequenter intumescit, vnde necesse est tunicam extimam cordis dilatari: & talis diductio vocatur *diastole* tum statim deferuescit, & vi expultrice in arterias exoneratur, vnde comprimitur cor, & hoc dicitur *systole*. Ideo ipsa dilatatio non erit causa cur attrahitur aër aut sanguis: sed sola sanguinis appulsio causa erit dilatationis.

Simile quid voluit Haruæus quidam Medicus Anglus cum Ioan. Vvalæo: sed inuento multum dissimili. Commenti enim ij sunt sanguinem iugiter per omnes corporis partes in gyrum fluere, ita vt è corde per vniuersi corporis arterias propellatur in venas, quæ arteriis vbique continuè supponuntur, & è venis rursus in cor regrediatur ac refluat. Circulationē sanguinis vocant hunc circuitum, & vt celerrimè, sic sæpe sæpiùs in die volunt peragi. Hac ergo circulatione supposita sine alia vlla facultate sic pulsum explicant. *Diastole*, inquiunt, fit quando cor tum à spiritibus in fibras eius dilatatorias influentibus; tum à sanguine ex vena caua in dextrum ventriculum, & ex arteria venosa in sinistrum per systolem illapso, ibidemque rarescente, eodem momento secundum latitudinem, & profunditatem dilatatur, & intumescit. *Systole* verò fit, quando cor cùm ob spiritus in fibras eius prolongâtorias influentes, tum ob maximam sanguinis rarefacti ex eo expulsam partem, detumescit. Hinc quoque intumescere arterias volunt, sanguine rarefacto è corde in illas erumpente, atque ita reliquum arteriarum sanguinem propellente, eumque ac tunicas succutiente: deprimi verò ob sanguinis in eas impulsi refrigerationem, & aliquantam eius per poros in diastole magis dilatatos, euacuationem.

Verùm communior opinio est eiusmodi pulsum non fieri per accidens, nec à solo sanguinis ingressu, vel exitu; sed ex primaria intentio-

ne naturæ, & peculiari ad id destinata facultate. Ita Medici, vt apparet apud Fernelium physiol. lib. 6. cap. 17. & optimè id monstrat Petrus Gassendi: tum quòd incongruum videatur actionem adeo necessariam animali, & tam regularem; imo & ineffabiliter continuatam solum ex accidenti elici: tum quòd ipsa cordis constructio prodere videatur ipsum eo fine sic fuisse à natura fabrefactum vt ita sese attolleret, deprimeretque: adeo natura incredibiliter, vt ita loquar cum Fernelio, pulsum machinata est. Tum etiam id experientia confirmatur: dum pulsus intra ouum formatur, & nihil adhuc nisi seminea quædam contextura extat, & albicans massa; priusquam sanguis vllus appareat, cordis pulsatio persentitur. Eadem deprehenditur in corde cyprini viui exempto, cum nullus adest sanguis influens, effluensve: hoc idem confirmatur ex Bartholino *lib. 2. inst. anat. in cap. 6. append.* vbi ait quaslibet cordis particulas exsectas & sanguinis expertes adhuc pulsare: & cor exemptum à corpore, aut dissectum in frusta, leuiter compunctum acicula, statim pulsare: qua punctura nulla ebullitio; nullaque repletio cordi accedit.

Ergo ipsa pulsûs vicissitudo, non ex eo præcisè prouenit quòd sanguis ingruat ac rarefiat, aut transmittatur, & deferuescat; sed ex aliqua facultate innata, quam Deus ad hanc sanguinis attractionem, & emissionem ex parte destinarit: (fines enim alios supra retulimus.) Interim quærendum restat, quænam illa facultas sit? sunt qui solùm calorem cordis sufficere dicant. Verùm licet ea pulsifica vis nusquam sine calore vigeat; tamen haud profectò sufficere is potest. Quòd calore indigeat, patet, quia corda piscium pulsant donec refriguerint, & si frigefacta rursus calore aliquo refocillentur, rursus pulsationis motum incæptabunt. Quòd verò calor ille non sufficiat, hinc etiam fit euidens, quòd calor commune sit vitalium functionum instrumentum. Ergo vis quædam alia particularis requiritur ad motus istos ita singulares. Quid ergo? sane vis hæc animæ propria est, non secus ac vis progressiua, &c. ex parte tamen corporis, vnâ cum illo calore ipsa cordis constitutio iuuat quatenus per varias fibras ineffabiliter coaptatas: tunicæ cordis protendi valeant ad minimi corpusculi aduentum vel rarefactionē, atque iterum reduci: & licet naturalis earum grauitas ad compressionem actualem sufficere quibusdam visa sit: Tamen crediderim opus insuper esse ipsa virtute animæ: alioquin difficile creditu foret quod naturalis hæc grauitas calentes fuligines superaret. Ita ordinatis vicibus sanguis, vel aër in cor receptus, eius calore rarefit, & inflatur, vnde tenduntur cordis tunicæ: identidemque propriam consistentiam repetit. Simile quidpiam de æstu maris diximus.

Notandum hic superest pulsum arteriarum è vi pulsifica cordis proficisci: sic enim cum corde cohærent, vt & eius virtutem ad se quodammodo deriuatam experiantur: non item venæ, vt communiter asseritur: licet harum perinde, ac arteriarum tunicæ cordi adhæreant: consentiunt ergo arteriæ cum corde, & cum istud sese attollit, attolluntur arteriæ

arteriæ; cum subsidet, illæ concidunt. Ideo ex pulsu istarum, pulsus & affectio cordis coniectantur. Idem porro Galenus hoc experimento comprobauit, si viui animalis arteria in longum secetur, & immittatur congruus canaliculus capacitatem replens, per quem fluere sanguis queat: donec arteria super canaliculum ligata non fuerit, certè pulsabit vltra, citrà, supraque: at si circumligetur, solum pulsabit totâ illâ parte, quæ à corde est, vsque ad ligamen; non vero illâ quæ vlterius. At nunquid in arteriis sufficiet spiritus vitalis in eas appellens, & inde diffluens, vt sine vlla alia virtute pulsus in iis vigeat? Resp. nequaquam, vt optimè monstrat Fernelius, quia ita non simul nec vno tenore cum corde micarent: quia licet perniciſſimè, non tamen vno & eodem momento possunt spiritus illi per omnes arterias transcurrere: iis ergo inest simul cum calore cordis participato, similis quædam vis, qua laxari ab influente spiritu, & se ad naturalem constipationem rursus reuocare, ac comprimere queant; dependenter tamen à corde; ideo, quo remotiùs ab eo arteriæ dissident, eò debilius micant.

Nota hoc cont. Heruæium

Notandum denique, quòd quamquam arteriarum micatio, cordis pulsationi similitudine quadam magnitudinis, celeritatis, & frequentiæ respondeat, quemadmodum diximus, hæ tamen dilatantur in systole cordis; contrahuntur verò in diastole: quia dilatantur, dum compressum cor in eas spiritum immittit.

§. 4.

De Respiratione.

DIXIMVS suprà Cordi ob vehementiorem æstum non sufficere ipsam pulsus ventilationem: ideo adiunctam ei esse respirationem. Quare de hac modo paucis dicendum est. Respiratio ergo fit cùm attrahitur aër per vocalem arteriam in pulmones: qui propterea sese habent sicut folles quidam naturales, ad attrahendum aërem maximè accomodati, itemque ad eundem expellendum: idcirco spongiosi sunt, & minusculis venulis distincti, vt facile dilatari & comprimi valeant: eo temperamento sunt, vt aërem calidiorem refrigerare, frigidiorem verò calefacere valeant, eâ quæ cordi amica sit & competens, intensione. Idcirco etiam aërem intus in sese per poros pulmo recipit, aliquandiuque fouet, & emendat; vnde, si quando satis promptè hauriri extrinsecus aër non valeat, vt inter loquendum aut natandum, à pulmonibus suppeditatur ex eo, qui illic asseruatur.

Notandum est autem pulmonis carnem triplici vasorum genere instar retis implicatorum contexi. *Primum*, est arteriosa vena, quæ à dextro cordis ventriculo in omnes pulmonis particulas diffunditur. *Secundum*, est arteria venosa, quæ ex omnibus eius particulis tenues ramusculos excipiens, trunco vnico in sinistrum ventriculum cordis intruditur. *Tertium*, aspera arteria, quæ à faucibus ducta, primò in duos

ramos distenditur, & inde in exiguas propagines dissecta, totum pulmonem percurrit. Præterea duos quasi folliculos pulmo habet, vnum in dextro, alterum in læuo latere: vt ex omni parte aër attrahi possit: & vno læso, ex defluxionibus cerebri, alter respirationis officium prosequatur.

At vnde illi contractionis & dilatationis principium? Resp. hac in re Medicos ab Aristotele dissidere. Hic enim ait id oriri à corde: negat Galenus, & cum eo communiter medici, volentes initium motus pulmonis ducendum potius esse à thorace, & à diaphragmate: vt ex textura, & quantitate musculorum, quibus hoc constat, probari solet, & à nonnullis hoc experimentum adducitur, quòd perforato pectore, pulmo concidat: & diaphragma interim palpitet, & cartilagines costasque spurias quibus adhæret, attollat: aëremque in pectoris capacitatem per eius vulnus attrahat, &c. at si forte duæ istæ sententiæ attentè ponderentur, haud ita multùm dissidebunt: nam ex vna parte certum est pulmones ad motum cordis non agitari, cùm pulsus cordis & arteriarum crebrior sit ipsa respiratione: & possit hæc cohiberi, illo pergente. Aliunde pulmones suum à corde calorem mutuantur: atque à dextro illius ventriculo sanguinem cordiaco calore feruentė hauriunt, quo nutriantur, & incalescant: calorem autem commune esse motionis instrumentum certum est. Quidquid sit, respirationi necessaria sunt ista. *Primò*, facultas motrix. *Secundò*, diaphragma: itemque thorax variis musculis agitatus, tum iis, qui inter costas positi sunt, tum iis qui extrinsecus sunt adhibiti: quandoque iis, qui sunt in abdomine. *Tertiò*, aspera arteria, quæ respirationis est via. *Quartò*, pulmones. *Quintò*, materia spirabilis, quæ siue per os, siue per nares attrahitur.

Cùm ergo ardor nimius incessit, ipsamque vim animalem stimulat, thorax musculorum ope laxatur, & consequenter pulmones, hinc ambiens aër per arteriam influit. Secus verò cum thorax contrahitur, pulmones comprimuntur, & superuacuum aërem per eandem arteriam eliminant: pro modica respiratione, solùm sufficit diaphragma; pro ampliori requiritur insuper thoracis eleuatio: pro maxima demum, omnes relati musculi distendi debent: E contrario pro maxima expiratione, maxima quoque thoracis & musculorum compressio necessaria est. Ex his ergo patet, quod respiratio ex diaphragmate pendeat: ideo si hoc læsum fuerit, aut crassioribus halitibus accensum, vel oppletum, spirandi difficultas oritur, vna cum laterum punctionibus, ac propterea non minus ægrè quam pulmo curari potest, scil. ob continuam agitationem: nec denique minus vitæ necessarium est.

Hinc duæ alternis fiunt actiones, inspiratio scil. & expiratio. Inspiratione aër intus adducitur: expiratione foras eiicitur: vtriusque autem vicissitudo respiratio dicitur. Aër porro inspiratus omnes ramos arteriæ asperæ per pulmonem diffusos implet, ita vt vniuersam thoracis capacitatem inflatus pulmo occupet. Aër ille in pulmone præparatur, vt cruditate sua castigata idoneum calidi naturalis pabulum euadat: & tum

in sinistrum cordis ventriculum arripitur; ex quo, simulque ex purissimo sanguine vitalis spiritus procreatur: sed interim emergunt fuligines expellendæ, quibus aër etiam feruentior admixtus est. Tunc igitur thorax deprimitur, pulmones concidunt, & fuligines noxiæ foras truduntur per asperam arteriam. Qui autem in venis est sanguis tenuis pulmonis contractione in dextrum cordis sinum haudquaquam remeat, sed in carnem pro alimento transmittitur.

Interim cor diastole ex pulmone per leues arterias præparatum aërem in sinistrum sinum rapit, & ex vena caua sanguinem in dextrum sinum allicit: idque patefactis horum vasorum valuis. Systole, ex dextro sinu per arteriosam venam, sanguinem in pulmones exonerat; ex sinistro verò confectum iam vitalem spiritum, in maiorem arteriam, quæ aorta dicitur, necnon in minores effundit. Hæc de ratione & instrumentis respirandi: supersunt quædam dubia.

PRIMVM dubium est, quem ob finem necessaria sit respiratio. Resp. superiùs à nobis dictum esse calidum innatum egere refrigeratione; pabulo; & fuliginum expulsione: & quidem multò magis, quam arterias. His ergo præstandis suffecti sunt pulmones: quòd autem refrigeratione opus sit, inde fit, quòd alimenti accessione calor internus intendi soleat: aëremque semel respiratum, ipsasque fuligines ex eliquato sanguine resultantes inflammet, nisi nouus, isque paulo frigidior aër intercurrat: ex qua inflammatione mors sequeretur, vt fit in iis, qui laqueo præfocantur: similiterq; nisi humor alimentitius apponeretur, vorax ipsa cordis flamma interiores partes torreret, easque depasceretur.

At, inquies, quomodo aër refrigerabit, siquidem eum esse calidum diximus? Resp. aërem, quem respirando sorbemus, roscidum esse, nec non vaporibus plenum: alioquin non minùs, quam qui olympum superabant, viuere possemus.

Præter hunc finem est alius minùs principalis, nimirum olfactus gratia: is enim fieri non posset, nisi aër externus odores deferens per inspirationem attraheretur: & præterea cum constet cerebrum aliquando crassis humoribus oppressum: (vnde oritur grauedo capitis,) sternutatione leuari; ac tum retentione spiritus incalescere, respiratio ei vtilis fuit, vt & refrigeretur spiritus calidior, & noxius expellatur: sed ex contrario modo fit in cerebro ac in pulmone: nam tunc aër attrahitur, quando cerebrum se se comprimit: quia sequitur aër vacui locum suppleturus, vide *Gal. lib. de orig. odoratus*: *Arist. 2. de anima cap. 9.*

SECVNDVM DVBIVM an respiratio sit actio naturalis, an animalis, siue spontanea. Resp. solutionem petendam esse ex Gal. *lib. de motu muscul.* vbi notat motus, qui ex arteria & vena procedunt, esse naturales & inuoluntarios: qui autem à musculis, animales & voluntarios: eosque à naturalibus dignosci, quòd sedari, festinari, aut tardari possint pro nutu animalis: huiusmodi tamen motuum naturalium duo sunt genera: alij enim deliberatione vel electione fiunt: & hi sunt propriè liberi, aut voluntarij: alij, quodam impetu interno, qui Græcè ὁρμὴ dicitur,

excitantur, quales in brutis, atque dormientibus persæpe fiunt. His positis cum Gal. & Platone respondeo respirationem esse motum animalem in hoc secundo sensu. Certè pendet à musculis, cohiberi potest, ac frequentari, & cuique nota est historia illius serui Syri malefici, qui cùm ob maleficia supplicio esset afficiendus, respirationem ita cohibuit, vt animam exhalarit vt refert Gal. hæc autem de pulsu nequaquam dici possunt: quoniam is nullo modo à nostro appetitu pendet. Attamen respirationis motus multum de naturali participat, cùm è causis naturalibus pendeat; nimirum à corde & ab aëre naturaliter influente: sitque aliàs naturaliter crebrior; aliàs tardior; neque supponat cognitionem, quæ prouocat appetitum: Denique continuatur regulariter, etiam in somno, &c.

Tertium dubium an expiratio siue reductio pulmonum fiat sola eorum grauitate ad eum modum, quo vesica inflata statim se se complicat, cùm primum vis quæ illam distendebat, imminuitur. Resp. licet ea grauitas aliquantùm iuuet, vt instrumentum naturale, tamen eam non sufficere sine animali facultate, de qua suprà. Ratio est, quia vix vnquam cessaret pulmo inflari: nam semper adessent excrementa, & spiritus distendentes: tum liberè possumus magis aut minùs pulmones comprimere: nam qui clamat, magis eos constringit, quam qui submissè loquitur: denique Galenus nobis author est alios à natura comparatos esse musculos ad expirandum; aliosque ad inspirandum. *in lib. de respir. causis.*

Quartum an omnes animantes vere respirent. Resp. grauem hic excitari, præsertim de piscibus, disceptationem. Negat Aristoteles, affirmant Plato, Galenus, & consequenter medici: vtrinque magni momenti rationes afferuntur. Pro Aristotele sunt hæ: *primo*, fatentur antiqui scil. Democritus, Anaxagoras, & alij pisces non expirare: ergo neque inspirant: at respiratio ex his duabus integratur: ergo. *Secundo*, pisces non habent arteriam vocalem, nec pulmones: ergo. *Tertio*, si respirarent, non tam cito morerentur in aëre: ergo. *Quarto*, dum animalia quæ respirant, suffocantur in aqua, continuò apparent in extimis aquæ partibus bullæ quædam ex spiritu, qui vehementer à pulmonibus exprimitur, conflatæ: nihil autem tale videtur in piscibus. *Quinto*, pisces non egent tali refrigeratione, quia sunt frigidi: ergo. *Sexto*, in aqua non est aër, quem attrahere valeant: quoniam quomodo in eam descendisset: at in ea si fuerit, vel ita cum aqua concretus est, vt separari non possit, quemadmodum aqua vino infusa: vel sic ab aqua discretus est, vt facile separabilis sit, vt is qui in spongiâ continetur: si primo modo, qua vi eum pisces percolabunt? si secundo, cur ipsemet sua leuitate non dissiliet? At his obstat Plinius, qui sic oppositum probat, pulmonum vice, aliis possunt alia spirabilia inesse viscera, ita volente natura, sicut & pro sanguine inest multis alius humor. In aquas autem penetrare vitalem hunc halitum quis miretur, qui etiam reddi ab his eum cernat? & in terras quoque tantò spissiorem naturæ partem penetrare, argumento animalium, quæ semper defossa viuunt, ceu talpæ? Accedunt *Lib. 9. cap. 7.*

sæpe adnotata piscium æstiuo calore quædam anhelatio; & aliqua tranquillo cœlo velut oscitatio: ipsorum quoque qui sunt in aduersa opinione, de somno piscium confessio. Quis enim sine respiratione somno locus? &c. His adde sequentia: quæcumque nutriuntur ea respirant: sed pisces nutriuntur, Ergo, *secundo*, habent quo respirent, & spirandi quoque instrumenta: ergo nihil abest, quominus respirationis illis actio denegetur. Antecedens patet: ex vna enim parte commodius illis aër in aqua suppeditatur, ostendimus enim in tomo quinto, nullum elementum esse purum: ergo cum aqua maris immixtus est aër: alioquin quomodo pisces audirent, & olfacerent? quomodo sonus in aqua fieret, &c. Ex alia parte brāchiæ ipsis vice pulmonis sunt, vt testatur Gal. quandoquidem crebris & tenuibus foraminibus sunt interceptæ, subtilioribus tamen, quam vt per hæc possit aqua transmeare: quamobrem per hasce branchias allicitur, ac fugitur humor circunstās, qui cum sit aqua spiritu aërio fœcunda, in illo commeatu quasi percolatur, dum relictis partibus densioribus, quæ sunt partes aquæ, solùm sorbentur subtiliores, quæ sunt aëris: *tertio*, idem confirmatur ex eo quod multi sunt pisces, quibus natura pulmones indidit, vt sunt Delphinus, Balæna, Phoca, siue vitulus marinus, &c. Ergo hi respirant. Si hi, cur non alij? *quarto*, denique affertur experimentum piscium, qui possunt in vase angusti orificij diu viuere, si plenum aqua id fuerit, & apertum orificium relinquatur; alioquin statim morituri, si occludatur. Cur ita? certè non ob aliud, nisi quia sine aëre per ostiolum apertum influente viuere non possunt. Ergo similiter neque in mari sine aëre viuere possunt. Respondent ad hoc ideo non posse viuere pisces in vase concluso, quia certè indigent spiritu æthereo, & cœlesti: sed hunc distingui ab aëre: nec deesse in mari: quandoquidem eo vita omnium foueatur, nec sine illo cuiuspiam viuentis generatio esse valeat: denique non negari ab Aristotele, sed admitti. Sed *contra primo*, si spiritus ille sic fusus sit per omnia, quidni etiam aër? *secundo*, si necessarius est ad fouendam piscium vitam, cur non inspirari eum oportebit, sicut aërem? *tertio*, si spiritus ille, quem fugunt ætherius est, adeoque subtilior aëre, cur non penetrat, sicut reuera terræ crassitiem permeat? Resp. aërem esse quidem immixtum aquæ, sed non posse eum excerni ab aqua. *Contra primo*, cur non saltem excerni poterit, sicut ille spiritus æthereus? *Secundo*, quid opus est tali segregatione, cùm aër haustus communi respiratione non sit ab omni aqua detersus, imo plurimum vaporosus, & humescens?

Propter hæc difficile reor litem omnino dirimere, nisi ad hancce distinctionem veniamus, qua respiratio alia propria dicitur ac manifesta; alia occulta, ac impropria: vnde sic soluemus quæstionem, dicendo sola ea propriè respirare, quæ pulmones habent, & diaphragmata, cætera verò solùm impropriè: ex piscibus autem, aliqui pulmonibus præditi sunt, vt cetacei, Balena, Delphinus, &c. Ideoque hi dormiunt, & stertunt ore supra maris superficiem exerto; & quando retibus implicitі, diutiùs in imo depressi sunt, moriuntur. Denique cum per ima

va la pisces aliós venantur, identidem foras exiliant aërem resumpturi. Cæteri verò, quia sanguine, aut pauco, aut frigido prædití sunt, refrigeratione tanta opus non habent, quanta cæteræ animantes. Tamen cùm nutriantur, neque vlla nutritio sine concoctione, neque concoctio, sine calore, & fuligine esse valeant: ideo aliquali etiam respiratione indigent, quod optimè ni fallor Fernelius explicat, cũ in 6. Physiol. c. 16. ait: *Aquatilia autem non aër, sed aqua humor tuetur, vt qui refrigerationis vsum, & commoditatem illis suppeditat; ab humore, nonnihil etiam vaporis, & halitus pro caloris, spiritusque pabulo trahunt, in quem commodè fumosa caloris supernacanea depellunt.* Tum differentiam hanc respirandi hinc deducit, quòd animantes multo sanguine abundantes, ideoq; calidæ, celeri refrigeratione, qualis fit ex aëre, egeant; pisces verò, vt exangues ferme, ac perparum calidi, soliùs aquæ contagione & appulsu satis commodè sustententur. Ita ergo possunt pisces subtiliores aquæ partes tenuissimis branchiarum poris in pectus transpirare, cum quibus etiam aliquantum illud aëris, quod iis inest, sugunt; & quia is aptior est ad calidi naturalis nutritionem, naturâ duce, potiùs præparari potest ad id officij administrandum: vnde si non respiratio perfecta: saltem quidpiam respirationi simile contingit.

Quintum dubium, an cæteræ animantes respirent, vt volucres, ranæ, &c. Etenim volucres etsi pulmones habeant, & arteriam asperam diaphragma tamen nõ habẽt. Ranæ verò diutissimè in aqua lutosa subsident, quin vllo modo aërem sorbeant. At quid de insectis dicetur? ea enim neque pulmones, neque sanguinem, neque cor habent. Resp. tamen omnia hæc vel propriè, vel analogicè respirare: volucres respirant propriè: vt patet, ideo credendum est aliquid ipsis vice diaphragmatis esse datum à natura. Ad volandum enim debuit illis aptari sternum magis flexibile, ideoque costulas habent ad id muneris haud impares. Habent item pulmonem fungosiorem. Ranæ verò, testitudines, &c. quia sanguinem habent frigidiorem, tardiùs quoque ac rariùs respirant: ideo possunt diutiùs aëris ferre absentiam: insecta demum mucorem quemdam habent; qui in iis idem prçstet, quod sanguis in animantibus aliis: ita quidpiam habent cordi, & pulmonibus æquiualens.

Sextum dubium, an infans in vtero materno respiret. Id enim negat Andr. Laurentius l. 2. anat. quòd eius cor, inquit, non moueatur: at contra alij. Resp. ergo ex quo primùm fœtus animatur, respirare eum necesse est. Nutritur enim: & mouetur reuera ipsius cor, vtpote primum viuens, sed quomodo respirat? Resp. sanguinem attrahendo ex matre, sine dubio simul ab ea spirare quoque aërem, quo calor natiuus foueatur, expurgeturque.

CAPVT XIV.

DE AVGMENTO ET nutritione viuentium.

§. I.

Quid accretio, nutritio, & aggeneratio: quibus etiam facultatibus peragantur.

NOVERCAM ſanè, atque improuidam iure naturam appellaremus, niſi concepto & nato animali, (idem proportione de plantis,) vim eſſet elargita, qua creſcere, necnon, & deſideratam magnitudinis menſuram aſſequi poſſent: creſcunt autem, dum nutriuntur; nutriuntur verò, cum alimentum appoſitum mutatur in ſubſtantiam non totalem, ſed partialem rei, quæ nutritur; & hæc mutatio *aggeneratio* dicitur. Quare nutritio, & aggeneratio ſunt idem quoad rem: & ſummùm connotatis differunt, aggeneratio enim præciſe ſonat conuerſionem ſubſtantiæ in partem alterius iam exiſtentis. Eſtque generatio ſubſtantialis alicui præexiſtenti, & manenti accedens; vt quando ſuccus terræ mutatur in caudicem, ramos, &c. arboris. Nutritio eſt partis in corpore viuo deperditæ inſtauratio ex alimenti conuerſione; quam Gal. 1. Aphor. definit *repletionem eius, quod euacuatum eſt:* Scaliger Exerc. 101. *alimenti tranſmutati vnionem naturalem*: ſed malim ex Fernelio Phyſiol. l. 5. c. 3. dicere quòd ſit adiecti alimenti in viuentis corporis ſubſtantiam conuerſio & aſsimilatio. Hac verò conuerſione alimenti in ſubſtantiã viuentis fit accretio, quando per agglutinationem copioſioris nutrimenti omnes partes corporis viui extenduntur ſecundum omnem extenſionem; vnde meritò definitur corporis viui quoquouerſum porrectio: quamobrem remiſſo hic pauliſper accretionis examine: paucis, hic nutritionis principia, vires, officiaque exponamus.

Notandum ergo in primis calore natiuo ſemper aliquid humidi radicalis, ſiue primigenij abſumi, adeo vt niſi adiectione pabuli reſarcietur id, quod abſumptum eſt, breui ſecutura ſit vitæ extinctio. Ideo vim altricem animæ cuilibet naturæ author impertiit, eamque à procreatrice diſtinctam; cum opus & officium nutricationis maximè ab iis generationis diſterminentur.

Huic autem altrici facultati, quaſi ſubminiſtras alias quatuor annexuit, re diſtinctas, an ratione; haud refert. Hæ ſunt attrahens, expellens, continens, concoquens: tum ipſa, quæ reliquarum eſt velut domina, ſeu finis, aſsimilandi, aggenerandique potentia: vna certè anima his

omnibus viribus à Deo instructa est. Actiones hic multæ intercedunt: sed idem omnium principium, vnus finis. Ergo ab eadem anima per subordinatas virtutes symmetrico & regulari progressu omnes eliciuntur.

Primùm itaque nulla est, ne vel minima corporis particula, quam non alimenti benignitas attingat. Id autem non suopte solum impetu per omnes partes dispergitur: neque enim recta patet via: debet igitur alieno tractu huc induci & allici: & quidem prout cuique parti congruum alimentum fuerit. Ita singulis partibus inest sympathetica vis alliciendi commodum nutrimentum, inest & retinendi allectum: alioquin frustrà illa existeret: quin repellendi contrarium facultas antipathetica negari non debuit: nec est negata. Tum attractum concoqui, ipsumq; exactius apparari ad formæ substantialis in illud introductionem, oportuit, & certè talem quoque creator virtutem indulsit.

At harum virium exercitiis obeundis insuper apta instrumenta pro singularum conditione apparauit: nimirum fibras aliquas miris modis dispositas, quibus laxatis, aut reductis expelli, attrahi, cohiberique illapsa corpora valeant: adhibitæ insuper sunt in orificiis vasorum, & vbicumque decuit, quędam carunculę ex similibus fibris, tanquam villis, siue neruulis contextæ (sphincteres vocant) quibus retineri naturaliter alimenta in locis necessariis, cùm, & quandiu oportet, valeant: atque omnia hęc miro artificio constructa; mirabiliori adhuc, officiis quæque suis funguntur, vt reuera non minus in conseruatione, quam in donatione vitæ, conditoris sapientia elucescat: à qua qui opus nutricationis, vti & generationis distrahere student, & ad causas stupidas inertes, & impotentes, quales sunt atomi cum suis figuris, magnitudinibus, & dispositionibus merè naturalibus, omnia reuocare: næ ipsi sane infinito maius miraculum narrant, quam si dicerent posse horologium cõstrui, cum omnibus suis artificiosis machinamentis, eorumque omnes motus regulariter perpetuo continuari, sine vllius artificis industria. quid enim proportionis inter horologium, & corpus animalis? & tamen moueri illud sine mouente rationali non posse autumant: moueri hoc vel sine Deo ipso, contendunt! An non sine Deo moueretur, si non peculiari aliquo affectu, & afflatu, sed communi solùm nutu, quo & horologii ferramenta non destituit, viuentium functiones moliretur? Agnoscendus ergo est diuinus opifex in anima semper præsens, eique vires impertiens, quibus ipsa suum præsidem imitata, eius operationem fidè suscipiat, perseueranterque prosequatur. Interim reliqua videamus, quomodo scilicet nutricationis opus peragatur.

Notandum in primis est admirabilem esse totius corporis fabricam, & licet innumerabiles de illo experientiæ factę sint, & infinitæ sectones quibus quotidie medici summo studio arcana huius fabrefactionis inquirere studeant: tamen vix adhuc satis constat, quibus modis fiat nutritio, quò tendat alimentum, quot mutationes suscipiat, quibus in locis quæque fiat: per quas vias sigillatim traducatur, quot officinis egeat antequam in singulas partes perueniat, in quibus vltimò in sub-

stantiam aliti verti debeat: Dixi vix ea constare, quoniam licet multa deprehensa fuerint, plura tamen adhuc occultantur: & nouæ quot diebus in singula difficultates ingeruntur: neque omnes vno modo ea explicant. Causa porro eiusmodi difficultatum hinc præcipuè oritur: *primo*, quod aliter corpus sit affectum, cùm viuit ob participationem animæ, quam cùm anima caret: humores concrescunt, aut variant, carnes concidunt: vasa omnia suis functionibus orbata sunt, &c. quamobrem cum sectio non fiat, nisi post mortem, perspicacissimos anatomistas quam multa fugiunt, ex quibus amplior certè ac certior coniectura duceretur. *Secundo*, ex eo quod innumeræ sunt fibræ, neruuli, arteriolæ, venulæque adeo tenues, vt discerni vix, ac ne vix queant; multa item organula, quæ à carne distingui non valeant, multaque alia, quorum proprius vsus ignoretur. Ideo in his omnibus non minùs, quam in reliquis naturæ operibus dicendum est cum Ecclesiaste, *Plurima Dei opera sunt in absconsis.* Et *cuncta res difficiles, non potest eas homo explicare sermone.*

Idcirco grauiorem & enucleatiorem horum omnium disquisitionem Medicis relinquentes, solum ea hinc excerpemus, quæ certiora, clariora, & Philosophi scopo congruentiora visa sunt.

Notandum enim est quasi publicas aliquas vias in nobis esse, quibus in omnes partes alimenta deuehantur: aliasque minutiores & quasi priuatos angiportus, quibus vel minimis corporis particulis applicetur proprius cibus. Communes viæ sunt hæ: *prima*, est vna maxima, quæ ab ore ad ventriculum descendit: *secunda*, à ventriculo tendit ad hepar: ventriculo subest orificium, quòd πύλωρον, siue ianitor dicitur, ex quo suboriuntur venæ ad hepar, quas mesaraicas, seu mesenterium vocant; hepar multis fibris obsepitur, ad deferendos humores: insunt præterea innumeræ venæ per iecur disiectæ, tenuissimæ tamen velut capillamenta. Hisque hinc inde serpentibus interseritur vena sat ampla, quæ vena Porta dicitur.

His suppositis incipiamus ab ea cibi præparatione quæ in ore fit, ibi enim atteritur, vt coctioni sit aptior: nec leuem tum conuersionem accipit: admiscetque sibi quodammodo animalis qualitates, vt pristinam speciem vix retineat: id quod vltra comminutionem potissimum fit oris calore; pituitæque perfusione: tum etiam tunicæ eius, quæ ipsi quoque ventriculo continuatur, attractione. Hinc per stomachum tanquam per communem viam in ventriculum detruditur, à quo etiam per vim attractiuam allicitur iuuantibus villis, siue fibris transuersis, quæ in externa gulæ tunica persperguntur: cùm enim aliquid deglutimus, transuersæ fibræ quæ supra illud sunt, contrahuntur; inferiores distenduntur. Attractionem ventriculi naturalis appetentia magis aut minùs auget; prout hæc maior, aut minor fuerit: tum ipse obliquarum fibrarum adminiculo arctissimè, & omni ex parte complectitur, imo constringit, id quod iam attraxit; pylorúque sic obsignat, vt effluere nihil queat. Interim coctrice facultate alimẽtũ cõcoquit, velut naturæ lebes:

non fibris quidem adminiculantibus, sed calore partim proprio, partim affuso ex vicinis & circunstãtibus focis, nimirũ Iecore, liene, diaphragmate, vena caua, omẽto, & præcipuè corde. Ipse autem affectata sibi proprietate alimenta in vnum cogit: deinde minutissimè conterit, & tandem superatis discrepantibus qualitatibus, ea in vniusmodi substantiam redigit, quæ quandam cremoris speciem retinet. Nec id satis: eam insuper subigit, eique qualitatem animali nutriendo accommodatam impertitur, & tum prima concoctio perficitur, ex qua consurgit *Chylus*, id est, substantia quædam albicans fluidaque, instar vini recenter ex vua calcata emanantis. An verò ab alimento essentialiter distinguatur, controuertitur: sed probabilius est distingui: nimia enim accidentium fit immutatio. Quæritur item an concoctio illa sit per modum elixationis, quę cum humido fit. Affirmat Aristoteles: ideo eam ἕψησιν vocat. Alij contrà, id negant, eo quòd multi viri sint, qui vel per annum integrum à potu abstinent. In his ergo concoctio fit alimenti, sed sine humido, nisi velis humorem in his phlegmaticum abundare, ac vice potus concoctioni obsequi. Quidquid sit,

Chylus est substantia iniucunda gustu, & olfactu; adeo vt aliqui eam esse quid putridum arbitrati sint: sed perperam. Est tamen conueniens animali, & per se generata: eiusque aliqua portio ventriculo ipsi cedit in delicias: quod enim in cremore longè optimum est, id halitus specie ad se corripit, sugit, ac inter suas tunicas abscondit: ex ipso fructum, ac voluptatem percipit. Denique eo saturatur: at si Fernelio contra Galenum credimus, non propterea eo verè nutritur vẽtriculus sed sanguine: quòd animalium sanguineorum partes omnes solo sanguine nutriantur; ossaq; ipsa; tametsi ventriculo ignobiliora. Lis apud illos esto. Sic saturatio ventriculi, non nutritio dicẽda est, sed dolori, qui ex vacuitate, & compressione laterum sese comprimentium, atque arescentia illa, quæ tum in illo fit, sedatio: assuetus enim ventriculus succo illo imbibi, & impleri: suauitatem hinc quandam percipit, qua dum caret, appetitus stimulatur: sedaturque cum fruitur. Hactenus prima concoctio.

Sic satiato ventriculo, laxatur pylorum: transuersæ fibræ constringuntur: & arctatur vẽtriculus, chylum per pylorum in intestina traiecturus: quorum quoniam multiplex est anfractus: haud ita facile ille perlabitur: ideo in sinuoso illo traiectu non totus prætersluit; sed eius aliquid, venarum, quæ interim occurrunt, orificiis illabitur, reliquum verò in venas Mesaraicas vadit, & quod inutilius, crassiusque fuerit, in intestina reliqua penitus à toto corpore mox excernendum, reiicitur. Quod verò vtile conueniensque intestinis ipsis fuerit, retinetur, magis, magisque concoquitur: ac tum quoque per totum venas minores, ad maiores sensim permanat, donec ad iecur transfundatur: ad quod nonnisi per multiplices, easque perangustas vias datur introitus. Interim vt per singulas venas Mesaraicas chylus in iecur refunditur, ita per easdem à iecore ad intestina defertur sanguis, quo nutriantur: inseruientibus ad hoc duplex officium diuersis quoque facultatibus, attrahentibus, expellentibus, ex-

crementibusque, &c. Cæterum non sola vis attractrix alimenta in eiusmodi venas, aut intestina pellicit, quia cum in sympathia fundetur, sæpe antipathetica recipiunt: vt in medicaminibus multis: & saturatæ, crebro suffarcinantur superfluis, vt in helluonibus: propterea illam traiectionem multum iuuant tenuitas, fluiditas, aliæve qualitates eiusmodi alimentorum; sed in primis spiritus affluentes, ac refluentes: quibus alias rationes in peculiari addere facile esset, si liceret singula quæque percurrere. Sed sufficiet modo hoc notare, quod venæ mesaraicæ succum alimentitium sugant, magis coquant, puriorемque efficiant, ac tandem conuomant in hepar, ad eum fermè modum, quo videmus in arboribus alimentum benignius per fibras & capillamenta radicum ex humo sursum attrahi, & in medullam transfundi. Ita non sine admiratione considerabis, quanta sedulitate natura studeat alimentum attenuare: 1. comminuitur in ore: deinde subtilius fit in ventriculo; tum adhuc magis in intestinis; ampliusque in mesenterio. Nec tamen adhuc natura contenta est. Debet in minima redigi. Hoc autem fit in hepate adminiculo fibrarum & capillamentorum, quæ venam portam hepate conclusam irrigant.

Nam subtiles illæ chyli reliquiæ per venulas illas in totum hepar distrahuntur; ibique cum ob exilitatem venarum, tum ob anfractus admodum implexos diu asseruantur: interimque minuuntur, attenuantur, excoquuntur, denique magis elaborantur. In venis mesaraicis iam aliquam sanguinis tincturam acceperant: in hepate ipsam formam & naturam. Hoc geniti sanguinis portionem quandam familiarem ac salutarem sibi adglutinat, & assimilat, reliquum in venam cauam fluere sinit, à qua in omnes corporis partes distribuitur, prout cuiusque natura & qualitas exigunt: atq; tunc in illis partibus tertia & consummata fit concoctio.

Verùm omiseramus dicere chylum in hepate, verti proximè in massam aliquam, quæ chymus appellatur, constantem quatuor humoribus; quorum temperatissimus sanguis dicitur: qui calidior, flaua bilis; frigidior & humidior pituita; frigidior, & siccior, melancholia. Hi quatuor humores simul creantur: sed & mox quoque discernuntur hoc modo. Flaua bilis delabitur, attrahiturque in folliculum fellis: atra in splenem: pituita, sanguisque in venam cauam, quæ quoquouersum, ceu via regia sese exporrigit, & innumeris ramusculis frondescit, quæ venæ capillares vocari solent, quod capillos exilitate & copia referant; & in omnes omnino partes corporis peruadunt. Tamen antequam sanguis in eas exoneretur, in subtilissimum vaporem resoluitur, qui ros alimentarius vocitatur, & hoc modo singulis partibus adhibetur, in quibus instar glutinis concrescit: dictisque partibus insita vi caloris natiui adhærescit, agglutinaturque, mox assimilatur; tandem conuertitur.

Atenim in illis partibus sanguis vltimò concoquitur, vt diximus, exque concoctione necessariò exhalat aliquid excrementitium: aliud quidem exile, quod sola transpiratione per poros effluit, aut difflatur;

ceu vapor aliquis reiectaneus, qui quandoque adeo teter eſt, vt morbos creet, ſcabiemque, &c. aliud craſſum vt ſudor, furfur, fuligo, ſorditieſque corporis, pili, &c.

Ita ergo ſeſe habet vniuerſum nutricationis negotium, cui promouendo inſeruiunt, *primo*, fibræ innumeræ altricibus facultatibus ancillantes: earum autem aliæ ſunt rectæ, aliæ obliquæ, aliæ tranſuerſæ. Rectæ ſunt, quæ ad perpendiculum è ſuperiore parte in inferiorem deſcendunt, & hæ ſeruiunt facultati attractrici: obliquæ deſcendunt quidem, ſed à perpendiculo declinando: & hæ obſequuntur retentrici: tranſuerſæ, quæ ab vno latere in oppoſitum diriguntur: & hæ expultricem iuuant: pro concoctrice, aſſimilatrice, & immutatrice fibræ non dantur, ſed calor cum virtute progeneratrice animalis ſufficit. Notandum tamen, quòd ita diſpoſitæ ſint fibræ huiuſmodi, vt plerumque ad diſtenſionem aliquarum aliæ conſtringantur: vbi ſtringuntur: hinc propellunt; vbi laxantur, hac eiiciunt.

Secundo, principaliter omnes ſupradictas operationes iuuat calor naturalis. Is enim eſt commune inſtrumentum vitæ, & conſequenter ſine illo, ac ſine ſpiritibus viuificis nihil in animali poteſt perfici: poſſunt quoque prodeſſe, vel obeſſe ſpiritus peculiares, qui cum alimento deferuntur: ſed iſta penitius inueſtigare Medicorum eſt, potius quam Philoſophorum.

§. 3.

Quale ſit alimentum, & quàm neceſſarium.

MVLTA hic occurrunt examinanda. In primis enim hoc debet indubitatiſſimum haberi, quod non omnia indifferenter ex quolibet ali poſſint: cùm enim alitura debeat viuentis in partem ſuccedere; eiuſque quotidianas iacturas reſarcire, ſine dubio talis eſſe debet, quæ viuenti refocillando & reficiendo compar ſit, & accommoda; quandamque cum eo conformitatem habeat. Hinc meritò Ariſt. 2. de gen. c. 8. dixit omnia ex iis nutriri ex quibus conſtant. Et cum neceſſe ſit alimentum ſubſtantialiter mutari, vt in ſubſtantiam, & ſpeciem rei nutritæ decedat: etiam neceſſario debet forma, & ſpecie differre à re nutrita? Neq; enim videmus vllam mutationẽ fieri è ſimili in ſimile ſimpliciter. Hinc merito dicitur alimentum eſſe oportere ſimile, ac diſſimile: non ſolùm ita vt diſsimile ſolùm ſit ante vltimam concoctionem: deinde ea in exactã ſimilitudinem redigendum; ſed ita vt ex natura ſua, cum primum eligitur, & ore aſſumitur, vtrumque ſimul ſit: ac ſub forma, ſpecieque diſsimili, ſimilitudinem quandam & conformitatem temperamenti, nec non virium multarum habeat: ne ſi diſsimilius fuerit, concoctionem remoretur, ipſamque viuentis temperiem perniciosius vincat; neue ſi prorſus ſimile, generari conuertique poſsit nunquam. Hinc dici etiam ſolet in alimentum aſciſci poſſe, quod ſiccum & calidum fuerit: quia

cùm vita in humido, calidoque consistat, ita partim simile, partimque dissimile fiet. Verùm non ita siccum illud esse oportet, quin reuera id humidum esse debeat, vt facile à facultatibus altricibus comminui, digeri, deferri, quin & agglutinari corpori viuo debeat. Imo cùm omne viuens sit corpus mixtum, in quo vltra elementorum mixturam, partes diuersi generis sint, solidę, humidæque ac præsertim diuersis spiritibus constét: à quibus præcipuæ corporum proprietates & efficaciæ manant: necesse est ea omnia crescere ac multiplicari beneficio nutritionis: & cùm deperdita vel absumpta fuerint, reparari. Ergo debet alimentum constare partibus solidis: alioquin totum in vapores efflueret; neque soliditatem redhiberet sicut oportet: debet & fluidæ naturæ habere quidpiam, ob rationem, quam modo dedimus: denique spiritibus fœtum sit, oportet: at non quibuslibet, sed congeneribus, & sympatheticis. Quæ omnia, si alimento conuenerint, quis mirabitur ab eo reparari quod depastum fuerit? an non etiam inde clarissima reddetur ratio, cur alimentum sugatur, & allyciatur tam auidè à viuente: ac tandem, cur tam arctè ipsi agglutinetur?

Hinc patet alimentum præcipuè in succis consistere: quia his prædictæ conditiones insunt communiter: neque videmus nutriri quidquam, nisi rebus succosis. Succus tamen ille debet esse non modo humidus, sed aëreus, & oleosus, ac maximè spirituosus.

Hinc vlteriùs infertur difficile reperiri posse alimentum, quo totum id perfectè reparetur, quod calore natiuo absumitur: quia vix quidquam est, quod spiritibus quibusdam, viribusque non polleat, repugnantibus, aut dissentaneis naturis cæteris. Ideo nusquam potest vita in æuum solo nutrimentorum beneficio perennari.

Infertur præterea succo alimentitio talem cum facultate vitali viuentis proportionem inesse oportere, qualis exigitur inter passiuum, & actiuum: alioquin vel alimentum destrueret viuens: vel à calido citiùs absumeretur. Ideo bene prouidit Deus, vt variè cibi præpararentur, antequam vel ad ventriculum, vel ad partes nutriendas deferantur: & animalibus voracibus vel dedit omasum, reticulum, & abomasum, vbi ruminarent: ne crudiora citiùs transferrent in ventriculum, vel certè ventriculum dedit magis carnosum & calidiorem, vt constat in auibus.

Denique ob hanc rationem Deus dedit singulis animalibus instinctum quæritandi proprium, ac sibi consentaneum alimentum: quia cùm solus nouerit proportionem illam debitam, solus debuit prouidere, vt eam illa inuenirent.

Cæterùm ex iisdem principiis sequitur, prout viuens quodque nobilius est, atque præstantiori fabricatione præditum, tantò exquisitius requiri nutrimentum. Ideo plantæ sufficit succus, qui è terra, & elementis inuicem mixtis, nec non ex spiritibus ibi plęrumque sparsis conficitur; præparatius & nobilius debetur brutis: at excellentissimum homini: cruda enim brutis sufficiunt: hominibus non item, saltem vt plurimum: ac nisi degeneri naturæ belluina quoque consuetudo accesserit:

quod addo propter carniuoros & anthropophagos, quibus quid possit esse in natura portentosius, non video.

Denique satis ex his patet necessarium esse omni viuenti alimentum, quo nutriatur. Verùm quamquam hæc sat per se manifesta sint: quædam nihilominus occurrunt dubia hic breuiter soluenda.

Primò quædam videmus animalia, quæ quidlibet vorant sine delectu vt struthio. Alia sunt, quæ cibis venenatis aluntur, vt viperæ, scorpionibus; sturni, cicuta; coturnices, veratro; gallinæ, araneis; ciconiæ, & sues, serpentibus, &c. Imo & homines extitere, qui venenis educati, gauisique fuerint. Talis fuit Mitridates teste Plinio. Talis teste Alberto Magno puella quædam Coloniæ Agrippinæ, quæ aranearum aucupio lautè, ac opiparè vescebatur. Talis fuit ille Regis Cambaiæ filius, qui ex assuetudine veneni, sic venenatam carnem habebat, vt muscæ, à quibus mordebatur, fœda contagione interirent. His quoque addi potest familiare ictericorum exemplum, qui carbonibus, aliisque rebus nullam nutriendi vim habentibus impensè delectantur. Denique carniuoros, & anthropophagos huc attexe. Hi enim similibus planè ac congeneribus nutriuntur.

Secundò solet opponi, quòd multa viuentia sine alimento diutissimè viuere valeant. In primis Historiæ nobis homines aliquos, pluresque puellas exhibent, quæ plures annos integros impastæ omnino transegerint. Et ne miraculum suspiceris, ex hæreticis erant, vt apud Kikermanum legitur. Rondeletius quoque lib. 1. de piscibus refert Romæ fuisse virum, qui 40. annis sine vllo cibo, potuque vixerit.

Tertiò in hunc ordinem redigi debent ea, quæ vel sola aqua nutriuntur, vt pisces; vel sola terra, vt glires, talpæ, &c. vel quæ solo aëre vt Chamæleon, de quo sic Tert. *Chamaleon ieiunus semper, & indefectus, oscitans vescitur, folicans ruminat de vento cibos*: idem quoque Plinius 8. lib. cap. 33. mitto cætera multa eiusmodi.

Resp. Hæc omnia non repugnare iis, quæ diximus. Primùm enim ex eo quòd alimentum debeat esse conforme temperamento, & item calori naturali viuentis, quod nutritur: rectè sequitur alia aliis esse consentanea, & quæ vni perniciem creant; ea salubria esse aliis: ideo ferrum struthionis ventriculo vtpote æstuantissimo minùs repugnat, quam humano: quamquam nec propterea sequitur id esse illi alimentum: licet ab eo decoquatur, potest enim inemendatum egeri. Quæ autem nobis venena dicuntur iis animantibus, quæ naturaliter his vesci solent, sunt salubres cibi. At hominibus præter naturam accidit, quòd non noceat: non crediderim tamen eos veneno nutriri posse. At potestne consuetudo vim naturalem inuertere? quomodo enim cùm nulla iteratione consuescere possit lapis, vt sponte ascendat, vis naturalis tandem assuescet vt non lædatur? Resp. talem consuetudinem inde contrahi, quòd alimentum aliquid agat in corpus nutriendum: ideo paulatim potest illi consimilem temperaturam indere: eique spiritus suos implantare. Si ergo aliquod sit per se primùm repugnans, & inimicum corpori alter

affecto; ipsique initio paulatim insinuetur, sensimque in maiori copia apponatur, tandem prior anthipatia & disproportio tollentur; & quod initio noxium fuerat, fiet amicum & quasi confœderatum: ita morbus ictericus immutat naturalem temperiem gustus, & etiam corporis: simili modo cœli & locorum dispositio præternaturalis, sic naturam hominis potest alterare, vt indebitis & repugnantibus alimoniis instar ferarum vtatur, vt apud Brasilianos, Hurones, & alia id genus humanæ naturæ monstra. Quidquid tamen in suam nutritionem assumunt: dissimile prius fuit, quia mortuum; & item simile, quia in sese conuertendum.

Quoad viuentia, quæ sine alimento vixisse describuntur, Respondent aliqui posse id naturaliter obtingere: quia, inquiunt, potest ex morbo, vel aliter admodum imminui calor naturalis: & aliunde humor aduentitius, & pituitosus vltra modum abundare, præsertim in fœminis, quæ pituitâ opplentur. Tunc ergo calor ob imbecillitatem parum humidi naturalis absumet, adestque præterea illi sufficiens humor externus, præsertim cum pituita facile queat in sanguinem verti. Cur non ergo sic diu sine externo alio pabulo vita poterit prorogari? Alij tamen id negant, & ad exempla Respondent ea vel miraculosa, vel præstigiosa esse: & ad hoc propositum Henricus Regius Vltraiectinus Philos. nat. lib. 4 cap. 3. refert quandam fœminam Meursensem simili præstigio diu abusam fuisse, ac tamen eius omnem fallaciam publicè omnibus innotuisse. Certum autem est miraculo diuino id pluries in viris sanctissimis contigisse: aliàs nusquam.

Denique ad illud de aërio vel elementari alimento Resp. certè nullum purum elementum pascendis viuentibus sufficere: quare pisces non aqua solùm, sed aliis pisciculis: vel mixtis nonnullis, quæ sub vndis naturaliter crescunt: vel tempestatibus adducuntur: neque desunt spiritus varij piscium tẽperamento idonei. Similiter nec glires pura tellure sustentantur: sed vel mixtis in terra occurrentibus, licet forte sub sensum non cadentibus nutriuntur, vel dormiunt: vnde sunt hi versus.

Tota mihi dormitur hyems: & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Chamæleon muscis, aut aliis corpusculis vẽto circumgestis vescitur, vt testatur Scaliger exerc. 196. hinc cætera solui possunt dubia: cum enim elementa non sint pura, sed innumeris halitibus, & corpusculis tenuissimis, mixtis tamen, & spiritibus mixtorum vires retinentibus repleta sint: non dubito quin iis vesci aliquæ animantes queant: cùm & cibi solidissimi debeant priùs in vapores æquè, vel magis subtiles exolui, priusquam vltimum nutritionis effectum adhibeant: propterea crediderim posse aliquandò solis odoriferis halitibus, saltem pro aliquo tempore vitam sustentari, si modo halitibus illi spiritus solidorum mixtorum admixti fuerint. Concludo itaque pura elementa non posse in alimentum seligi; ea enim ad corpulentam corporum constitutionem, & ad mixtorum temperiem ordinantur. Ideo non nisi post mixtionem in

illa veniunt: & alimentum mixti, mixtum est: suosque habent in mixtis alios vsus quam nutrimenti, vt aliàs diximus: aqua tamen solet in potum adhiberi ad deuehendum facilius alimentum: vti & vinum, licet hoc & nutrire quoque valeat, non solùm secundum crassiores partes, vt communiter traditur: sed propter subtiles, aëreosque spiritus, quibus abundat. Hinc spiritus vini ad vitam refocillandam valere plurimùm dicitur. Aqua item os ventriculi refrigerat & humectat: atque ita impedit ne resolutio citiùs fiat: quod quidam nomine nutritionis intelligunt.

Ex his monita quædam pro ratione vescendi admodum necessaria inferam: primum confundenda non esse alimenta, neque opprimendum ventriculum ciborum varietate: dum enim cibi multiplicis temperationis ingeruntur, alij aliis citiùs concoquuntur, & massa chyli variè, inæqualiter, & inordinatè conformatur: *item*, ob contrarietatem temperamentorum excitatur pugna in ventriculo, vnde inflatio, ructus, & diuersitas, atque intemperies sanguinis proueniunt. Quamobrem verum est hoc axioma: *concoctio bona est, quando omnia simul eodem tempore concoquuntur.*

Secundum, circa nutrimenti sumptionem considerari oportet substantiam, qualitatem, copiam, ordinem, tempus: ac consuetudinem, de quibus multa scribunt medici: solùm hic circa tempus regulam quandam Auicennæ referam, quæ licet non æquè conueniat omnibus: iis tamen qui parum corporeæ exercitationis edunt, multumque per diem student, maximè vsurpanda est, *totus*, inquit, *cibus, quem in prandio, & cœna assumere voles diuidatur in 3. portiones: & duæ tertiæ assumantur in prandio, vna verò tertia in cœna. Sic enim fiet, vt, & quietiùs dormiamus, & maturiùs ad studia, & ad operas nostras surgere possimus.* Denique quoad ordinem notanda ista erit regula: quæ citiùs concoquuntur, priùs sumenda sunt iis, quæ tardiùs; liquida solidis; & lubrica adstringentibus,

---

CAPVT XV.

DE AVGMENTATIONE secundum quas partes fiat.

§. I.

Explicatur & soluitur quæstio.

DVPLEX præcipuè augmenti genus est: vnum quo adiectio quædam molis externæ vi aliena, & ab extrinseco fit, vt quando lapis accessione terræ augescit: alterum, quo talis additio virtute interna rei quæ augetur, & intrinsecus fit. Hæc vocatur accre-

tio per intus susceptionem: & semper cum nutritione fit: cum nimirum maior alimenti copia in substantiam viuentis conuertitur, quam deperditum fuerit ex humido radicali. Hanc autem triplex conditio sequitur: *prima*, vt fiat ex aliqua materia extrinsecus accersita: vnde cum ex aqua fit multò copiosior aër, non fit propriè augmentum eiusmodi, quia materia illa tota præfuit: nec noua accessit. *Secunda*, vt quod augetur, idem maneat. *Tertia*, vt per partes fiat. Hic modo quæritur, quomodo id quod augetur, idem manere valeat: & secundum quas partes fieri debeat augmentum. Sunt enim aliæ similares, aliæ dissimilares, vt suprà diximus: difficultas autem hinc oritur, quod cum per hoc augmentum nouæ partes viuenti aduenianr, loco aliarum, quas perdidit, necesse est, vt viuens secundùm partes varietur: hoc autem si ita est, quomodo secundum totum non variabitur: quomodo ergo idem manebit?

Aristoteles 1. lib. de gen. cap. 5. ait *partem quamlibet augeri accedente aliquo secundum formam: at non secundum materiam.* Idest augmentum viuentium fit secundum partes formales: non verò secundum partes materiales. Ibidem quoque dicit accretionem priùs terminari ad partes similares, & consequenter ad dissimilares: ita vt dissimilares augeantur eo ipso quòd similares accrescant. Hinc grauis inter Philosophos controuersia nascitur, quid Aristoteles per partes formales, quidve per materiales intelligat: id est: secundùm quas partes idem maneat viuens, quod augetur. *Marsil. lib. de gen. Scotus in* 4. s. d. 44. & alij dixere viuens manere idem secundum æquiualentiam: quemadmodum dictum est de loco in Phys. cap. 33. §. 3. His ex Thomistis accessit *Iauellus 1. de gen.* Rursus *Albertus de Saxonia*, & alij per partes formales intellexere partes porosas: Alij organicas: alij vt *D. Bonauent. in* 2. *d.* 30. partes certæ extensionis. Alex. Aphrod. intelligit humidum radicale, quod iugiter in vnoquoque idem manere censuit vsque ad interitum. Denique Albertus & Pomponatius *lib. de accret.* docent verè intelligi oportere animam ipsam: ac secundum ipsam reipsa viuens idem penitus conseruari, quantumuis corporis partes varietatis sortem experiantur. Idem tuetur Zabarella, idque attribuit insuper S. Thomæ, id quod equidem peroptarem, sed vereor vt oppositum asserat, saltem quoad stirpes, & animalia imperfecta.

Conclusio. Probabile est viuens quandiu nutritur, & augetur, idem semper manere secundum animam: sane si verum est quod adstruximus suprà cap. 7. §. 2. animas omnes esse indiuisibiles, conclusio hæc per se se euidens est; nec eget ampliori probatione: & quidem hic videtur esse germanus sensus verborum Aristotelis: alioquin certè difficillimum erit exponere, quomodo viuentia & animantes, quarũ animæ cum materia defluerent, sub finem vitæ diuturnioris manerent eadem numero indiuidua: cum secundum se tota essent immutata. *Præterea* inusitatum est Aristoteli partes heterogeneas, vel ipsum humidum radicale, nomine formę designare. *Dices* cum ait Aristoteles fieri aug-

mentum secundum formam, sic posse intelligi, vt solum velit id fieri, secundum speciem. *Contra:* sic non monstraretur manere idem indiuiduum, quod tamen Peripatetici omnes asseuerant. Quod verò Auicen. & Auerr. dicunt de humido radicali, repugnat dicto Aristotelis, quod tamen ipsi acerrimè defendunt: nam ex Auerroë humidum hoc ad materiam pertinet: sed nunquid Scotus auspicatior erit in aucupanda veritate? haud quaquam. Enimverò si solum idem æquiualenter manet id quod augetur, sequitur v. g. Petrum post 20. annos omnino quoad rem alium esse: neque posse vllo vspiam pacto dici filium patris sui: quia simpliciter aliud fuit quod ab illo genitum est, & aliud quod eo nomine, ac sub tali specie significatur: id quod à fortiori de belluis, cæterisque viuentibus dici posset. (*onfirmatur:* Arist. ait l. cit. t. 38. *maius totum generari alimento transmutato in eandem formam:* ac statim t. 41. qualis sit hæc forma, sic explicat: *hac autem forma sine materia, vt immaterialis quadam virtus in materia est: Si autem aliqua talis forma*, seu virtus, *accesserit matria, cùm sit potestate immaterialis, etiã habet quantitatem potestate: ipsa* (scil. formæ) *maiores immateriales.* Quem textum sic explicat D. Thomas: *sic igitur virtus speciei, nimirum anima, non determinat sibi aliquam materiam signatam* (id est, determinatam ac definitæ magnitudinis,) *sed nunc saluatur in hac, nunc in illa: & est sicut species immaterialis potentia, quantũ ad hoc, quod non determinat sibi materiam signatam, est tamen in materia semper aliqua.* Hinc autem quid aliud potest inferri, nisi quòd anima non diuidatur neque soluatur ad diuisionem, & solutionem materiæ: sed eadem realiter maneat in adueniente, quæ fuerat in absumptâ. *Dices*, solere aliter verti hunc textum & loco *immaterialis* poni tibiam sic: *hoc autem forma sine materia est, vt tibia, potentia quadam in materia: similiter quoduis aliud instrumentum. Quòd si materies aliqua accedat, qua potentia sit tibia, & potentia quantitatem habeat, ha tibia maiores euadunt: sic vertunt Conimbricenses, & aliqui alij ante ipsos.* Resp. sic perperam verti ab iis qui nolunt inuito Aristotele animam esse vim quandam indiuisibilem, & quadantenus à materia signata independentem: nec volo aliud conuictionis argumentum, quam textum ipsum, qui ab omnibus eodem modo refertur: cum enim erroris occasio fluxerit ex nomine *αὖλος* quod sub forma dissyllabi scriptum sic *αὖλος tibiam;* sub trissyllabi verò sic *ἄϋλος immaterialis* significat: Certum est vbique scribi *ἄϋλος*: & ita referunt ipsi Conimbricenses: est & aliud quiddam variationis in textu: nam vbi quidam legunt *ἐὰν δὲ τις προσίῃ ὕλη* si quæ materies accesserit: alij legunt, & vt puto, meliùs: *ἐὰν δὲ τις προσίῃ ὕλῃ*: si quæ accesserit materiæ: plura item alia verba præter textus sinceritatem addita sunt: quæ legi poterunt.

Ex his infero nõ opus esse, vt asseramus illud humidum primigenium, & radicale, quod è parentibus excerpsimus, manere omnino incorruptum. Id aliqui sic probant, quòd daretur aliqua caro incorrupta: verùm responderi posset *primò* illud humidum non esse propriè carnem, vt suprà diximus, sed potius ipsum fomentum naturale caloris viuifici.

Secundo, ſatis eſſe, quòd in morte corrumperetur. Ideo malo illud inde infirmare, quòd in ipſum humidum perpetuò calor agat, ſicut flamma candelæ in adipem, quo fouetur: tum quia ſine ratione, ac ſine neceſſitate id dicitur. *Zabarella* opinatur dari partes aliquas terreas, quæ nunquam abſumantur: *contrà*; at quis nouit, an non cum excrementis cæteris egerantur? an non ex quotidiana nutritione aliæ ſimiles fœces procreantur? cur non aliæ item eiiciuntur? alioquin quanta copia huiuſmodi terreſtrium ſedimentorum coaceruaretur? Denique eſto tales permaneant; an ſufficient, vt propterea idem perpetuò viuens perſiſtere dicatur, ſi quidem partes omnes principales effluerent.

§. 2.

Quomodo ſeſe habeat ad nutritionem.

QVÆRITVR præcipuè quomodo ab ea diſtinguatur, & qualis motus ſit. *Marſil.* eam diſtingui negat. Contrà, *Ioan. Gandau.* 4. *Phyſic.*

CONCLVSIO: Augmentatio non eſt ſola conuerſio ſubſtantiæ alimenti in ſubſtantiam viuentis, quæ nutritio, vel etiam aggeneratio eſt; ſed inſuper inuoluit maioris quantitatis adeptionem. Ita Ariſtot. 1. de gen. 5. dum ait aggenerationem verſari circa ſubſtantiam; augmentum verò circa quantitatem. *Confirmatur* hoc ex eo quòd nutritio dicatur communiter fieri ſimul, ac puncto temporis; accretio verò in tempore: ad hæc nutritio ſemper fit, non item accretio. Denique nutritio terminatur ad ſubſtantiam: accretio ad quantitatem.

Verùm augmentum naturaliter conſequitur nutritionem; quia hæc debet fieri ex adueniente materia in eodem viuente, & circa idem alimentum. Hæc autem ad augmentum pertinent; ſed & ſufficiunt, quando materia ſubminiſtrata, & aſcita in ſubſtantiam viuentis copioſior eſt, quam pars eiuſdem viuentis abſumpta.

Dices, vna ſufficere poteſt actio, qua forma in materiam quantam introducatur. Reſp. augmentationem præcisè actionem eſſe, non qua ſubſtantia fiat, ſed qua maior fiat: ideo actio, qua ſimpliciter introducitur forma in materiam, non poteſt dici præcisè augmentatio, niſi maior quantitas acquiratur: ſi verò forma in maiorem materiam inducitur, tunc ſimul cum aggeneratione fit accretio: ſed nihilominus actiones, & motus diſtinguuntur ratione terminorum. Solúmque dici poteſt, quòd accretio fiat per modum ſequelæ: & per ſe nutritionem conſequatur, ſicut quantitas in materia ſequitur ad eſſe, quod materiæ confertur ex aduentu formæ.

Interim ſi momentum aggenerationis, & nutritionis attentiùs, & præcisè perpendamus, verum erit dicere, quacumque nutritione, fieri augmentum; quia vt quacumque conſumptione humidi, viuens ſimpliciter diminuitur: ita quacumque illius reſtauratione augetur. Non

dicitur tamen augeri simpliciter, nisi quando in restauratione plus acquiritur, quam fuerat ipsa consumptione amissum: & in hoc sensu non semper augmentum fit. Si quæras cur ita? Resp. quia paulatim caro, & ossa potissimum fiunt duriora: ideo difficiliùs extenduntur, vt per poros liberum iter succurrenti alimento præbeant. Hinc etiam fit, vt adolescentes, & iuuenes soleant pinguiores euadere, nisi mollitie, ac deliciis diffluant: non verò ita maiores: quia corpora pro hac ætate communiter debitæ magnitudinis mensuram assecuta sunt. Ideo sic natura calorem cum membrorum soliditate concinnauit, vt solùm resarciendis detriti corporis iacturis sufficiat: non accersendis additamentis.

At motus augmentationis est ne continuus, & successiuus, an discretus, & instantaneus? Resp. *primo*, augmentationem, quæ fit per totam vitam, esse sine dubio interpolatam: quia quàm multa interfluunt momenta, & tempora, quibus viuens nec actu crescit, nec nutritur: *Secundo*, ea quæ fit in singulis partibus, eodem modo procedit, quo nutritio: hanc verò respectu diuersarum partium successiuè fieri, haud repugnat: prout enim partes alimenti applicantur, eatenus conuertuntur; sed applicantur successiuè. Ergo: at respectu vniuscuiusque partis sigillatim simul fit, sicut & aggeneratio.

CAPVT XVI.

DE SENSV EIVSQVE operatione.

§. I.

Quid sit actus sentiendi, an passio.

EXPEDIVIMVS Deo fauente ea quæ ad partem vegetatiuam pertinebant, saltem præcipua: sequuntur modo ea quæ ad τὸ αἰσθητικὸν, id est, partem sentientem. Quæ eò vegetatrice præstantior est, quòd res externas longe à se positas percipiat, earumque vtilitates, commoda, & iucunditatem, aut opposita mala discernat, vt vel illorum fructibus potiatur; vel à se propellat iniurias. Est ergo sensus vis quædam, qua res singulas externas, vel etiam internas accommodato ad id corporis instrumento anima percipit. Circa quam primo quæritur, quid sit sentire, tum quibus mediis fiat?

In primis celebris olim fuit quæstio, an sentire sit pati, an potiùs agere: variæque sententiæ circunferuntur.

Prima est, quæ asserit actum sentiendi esse solam receptionem speciei in organo, quatenus est repræsentatiua obiecti: ita *Ægid. 1. de cogn.*

Angel. Caiet. Venetus 10. summa de anima, & Nominales.

Secunda, voluit actum sentiendi fieri à quadam intelligentia separata, imaginem obiecti obsignante in organo. Ita communiter *Arabes.*

Tertia est actum sentiendi partim in actione, partim in passione consistere; ita vt ab obiecto producatur in potentia: & ab eadem quoque potentia eliciatur in organo, Ita *Peripatetici.*

Quarta denique est Platonicorum dicentium potentiam solùm agere; nihil verò pati: solumque in corpore recipi, quidquid immutationis, vel alterationis in sensione contingit. Sic *Plotinus l. 6. Enn. 3.* & alij: volunt enim actum sentiendi esse actionem animæ circa obiecta, qua scilicet ipsa anima sese accommodat, afficitque ob sympathiam, vel antipathiam obiecti, quod vel per se, vel per qualitates à se manantes corpus immutat: sensum enim ex duobus constare dicunt, ex ipsa scilicet animæ facultate, & organo corporis: item duo alia exigunt, sc. receptionem imaginis aut speciei obiecti: & iudicium de obiecto per eius imaginem. Primum dicunt in organo peragi: secundum in anima. Ita, inquiunt, cùm animus sentit in corpore, non ab illo aliquid patitur; sed in eius passione attentiùs agit. Et sensus nihil aliud est, quam animaduersio attentiori illius operationis; aut iudicium de corporea passione, & qualitate, excitatum ab attentiore illa animaduersione, vt fusè admodum probat, *Marsil. Fic. l. 7. Theol. c. 6.* & *Plotinus cit.* Idque admodum eleganter S. Aug explanat l. 6. de Musica c. 5. *Videtur*, inquit, *mihi anima, cum sentit in corpore, non ab illo aliquid pati, sed in eius passionibus attentiùs agere, & has actiones, siue faciles propter conuenientiam, siue difficiles propter inconuenientiam, non eam latere: & hoc totum est, quod sentire dicitur.* Existimauit ergo sensum creari ex eo, quòd anima iis, quæ in corpore contingant passionibus attēdit: seque ipsam applicat, & vel annuit si gratæ sint passiones; vel renititur, si molestæ. *Cum adhibentur ea, quæ nonnulla, vt ita dicam, alteritate corpus afficiunt, & exerit attentiores actiones, suis quibusque locis, atque instrumentis accommodatas. & tunc videre, vel audire, vel olfacere, vel gustare, vel tangendo sentire dicitur, quibus actionibus, congrua libenter associat. & molestè obsistit incongruis.* Et quia talis attentio non excitatur ob passiones familiares, quibus nullo modo alteratur organum; ideo eas neque sentiri ait: *Agit porro*, inquit, *luminosum aliquid in oculis: aëreum, serenissimum, & mobilissimum in auribus; caliginosum in naribus; in ore humidum, in tactu terrenum, & lutulentum: sed siue hac, siue alia distributione ista coniiciantur: agit hæc anima cum quiete, si ea quæ insunt in vnitate valetudinis, quasi famliari quadam consensione concesserint.* Hoc totum maximè congruit opinioni Platonis, qui in Theæteto nullum sensum corpori attribuit, sed mauult sensuum functiones in eo solùm declarari. Nec inde abludit Galenus, cum sensum esse arbitratur dignotionem alterationis in sensorio, factæ ab obiecto, & animi facultate. Quando nimirum sensuum instrumenta alterantur motu oppositi: dignotio verò illius alterationis à tota sentiendi facultate fit. Idipsum autem totum ex Platone desumptum est in Philebo, nam ibi distinguit duo

genera passionum, quæ in corpus nostrum cadunt: alias nimirum, quæ prius extinguantur, quam ad animum permeent, alias quæ per vtrumque permeent, & quandam vtrique tum propriam, tum communem concussionem inducant: tum addit iis sensum nullum excitari, quæ latent animum, vt is prorsus ab iis liber existat: iis verò contra fieri sensum, quæ sic non latent.

Notandum est ergo in quolibet actu sentiendi distingui oportere apprehensionem obiecti à iudicio, quod de illo fertur: quamquam ista distinctio aliter in intellectu; & aliter in sensu cogitari debeat. In intellectu enim duo sunt actus; in sensu verò vnicus reuera sufficit, duobus solùm æquiualens: sensus enim tum percipit rem aliquam in actu secundo, cum iudicat rem esse talem, intellige, iudicio perfecto, vt diximus in Logica c.36. §.1. Certum autem est obiectum concurrere quodammodo cum potentia ad actum huiusmodi, quatenus est apprehensio vt dicemus inferiùs: eaque ratione potentiam animæ ab obiecto moueri quodammodo. At dubitari potest solum, an obiectum per suas species dispositiuè, an effectiuè solùm pontentiam moueat. Quid porro inter effectionem, & dispositionem intersit, clarum est, si attendamus, vtriusque discrimina. *Primo*, quod effectiuè agit in aliud, eius propriè perfectiuum est, ide que eo in quod agit, saltem quatenus agens, perfectius esse supponitur vt diximus in Phys.c.18.§.3. Quod verò disponit, non ita se habet: sufficitque si solum exhibeat aliquid, sine quo agens non operaretur: neque per id quod ex suo confert, intrinsecè perficit illud, ad quod dispositio destinatur. Ita dum mater fœtui debitam organizationem confert, disponit ad hoc, vt Deus creet animam: at non agit in Deum, neque in animam: & cum vides celebrari solemniter diuinum officium, disponitur animus ad Deum adorandum; non tamen propriè externa illa solemnitas effectiuè agit in animam, &c. Hinc ergo fit, vt disponens non sit necessariò quid perfectius disposito, sed potest esse ignobilius, sicut disponi potest Rex ipsa pauperculi cuiusdam fœditate, vt illi subueniat, sed non impelli, &c. *Secundo*, quod effectione fit, debet in principio præhaberi formaliter, vel eminenter: quod verò ex dispositione subit, non ita debet in disponente præcontineri. *Tertio*, effectio vt talis per se refertur ad id quod fuit in potentia, & quod ab alio expectat actum: dispositio vero per se ordinatur ad id, quod potest actum ex seipso elicere. His positis facile nisi fallor quæstio solui potest.

CONCLVSIO PRIMA: Certum est potentiam animæ in eliciendis sensuum operationibus effectiuè concurrere. Ita euidenter *Arist. 2. de anima t. 37.* vbi ait animam esse causam effectricem generationis, augmentationis, & sensionis: & *9. Met. t. 16.* ait visionem esse immanentem actionem: atqui omnis immanens actio ab eo efficitur, in quo recipitur. Denique sufficiat quod omnis actio vitalis necessariò à principio vitali effectiuè oriri debeat: atqui omnis sensio est actio vitalis. Ergo. Ma. est per se manifesta, quia cur vitalis dicitur? an quià recipi-

tur in subiecto viuente? Si hoc est, ergo infusio habitus supernaturalis erit actio vitalis, & infinitæ aliæ id genus; quod quis approbabit? nihil itaque superest, nisi vt talis dicatur eo quòd sit à principio viuente elicita. Mi. æquè certa est, alioquin, cur non fieret in mortuo?

Hinc reiicitur prima sententia cum secunda: & *confirmatur*, quia si sola receptio speciei, siue ab obiecto, siue ab intelligentia proueniens, sit ipsa formalis sensio: cur non dicitur speculum sentire, cum speciem quoque recipit? an non etiam in aperto mortui, vel dormientis oculo species æquè imprimuntur? cur ergo in his non elicitur visio?

CONCLVSIO SECVNDA: Certum est etiam animam, siue animæ potentiam ab obiecto corporeo moueri ad actum eliciendum. Probatur hoc omnibus illis argumentis, quibus demonstrari solet necessitas specierum: de quibus in fra. Hæ autem frustra penitus admitterentur, nisi vel saltem ad hoc essent vtiles, vt potentiam alioquin indifferentem determinarent ad hoc potiùs, quam illud sentiendum. Nec certè id negat Plato: in Timæo enim sic loquitur: *Cum in id quod moueri facile solet, (* id est, corpus *) perpessio aliqua vel exigua incidit; illius pars quæuis sequentibus vndique perpessionem eandem transfert, quousque ad prudentiæ sedem perueniatur, vbi quasi per hos nuncios, illius quod perpessionem attulit, facultas agnoscitur:* Et in Philebo sic ait, *quod in vna affectione contingit in anima & corpore, vt communiter moueantur, hunc motum si sensum nominaueris, haud absurda dixeris.* Ita his verbis indicat animam à corpore quasi moueri quodammodo, quatenus organis pulsatis aliqua qualitate, statim anima illius vel sympathiá, vel antipathia sentit se commoueri, & ad attentionem adhibendam pellici: nisi autem quodammodo ab huiusmodi obiecto moueretur, quînam excitaretur ad attendendum huic potiùs, quam alteri? Restat ergo sola quæstio, an sensus moueatur ab obiecto corporeo effectiuè, an dispositiuè solum.

Certè ratio me multum in partes Platonis inclinat, si rectè perpendantur ea, quæ de discrimine causæ disponentis ab efficiente retulimus: neque enim vnquam plenè persuaderi potui, quòd anima præsertim nostra suam à corpore perfectionem emendicaret. Excitari eam posse actione corporea, haud dubito, & ad præsentiam imaginis sensibilis sympatheticè, vel antipatheticè à se ipsa commoueri non nego: at pati eam propriè à corpore, ac per ipsum, & eius in se actione informari, perfici, percellique posse opinari potui nusquam: neque illud certè obliuisci valeo, quod à Diuo Augustino didici, qui dum 6. de mus. c. 5. de numeris musicis loqueretur, quibus per auditum vsurpatis tantopere solet anima delectari ait: *Quos non à corpore anima, sed acceptos etiam à summo Deo ipsa potiùs imprimit corpori:* tum huius rationem reddens subdit: *perabsurdum est fabricatori corpori materiam quoquomodo animam subdere. Nunquam enim anima est corpore deterior: & omnis materia fabricatore deterior: nullo modo igitur anima fabricatori corpori est subiecta materies. Esset autem si aliquos in ea numeros corpus operaretur. Non ergo cùm audimus, fiunt in anima numeri ab iis, quos in sonis cognoscimus.*

quod addo propter carniuoros & anthropophagos, quibus quid possit esse in natura portentosius, non video.

Denique satis ex his patet necessarium esse omni viuenti alimentum, quo nutriatur. Verùm quamquam hæc sat per se manifesta sint: quædam nihilominus occurrunt dubia hic breuiter soluenda.

Primò quædam videmus animalia, quæ quidlibet vorant sine delectu vt struthio. Alia sunt, quæ cibis venenatis aluntur, vt viperæ, scorpionibus; sturni, cicuta; coturnices, veratro; gallinæ, araneis; ciconiæ, & sues, serpentibus, &c. Imo & homines extitere, qui venenis educati, gauisique fuerint. Talis fuit Mitridates teste Plinio. Talis teste Alberto Magno puella quædam Coloniæ Agrippinæ, quæ aranearum aucupio lautè, ac opiparè vescebatur. Talis fuit ille Regis Cambaiæ filius, qui ex assuetudine veneni, sic venenatam carnem habebat, vt muscæ, à quibus mordebatur, fœda contagione interirent. His quoque addi potest familiare ictericorum exemplum, qui carbonibus, aliisque rebus nullam nutriendi vim habentibus impensè delectantur. Denique carniuoros, & anthropophagos huc attexe. Hi enim similibus planè ac congeneribus nutriuntur.

Secundò solet opponi, quòd multa viuentia sine alimento diutissimè viuere valeant. In primis Historiæ nobis homines aliquos, pluresque puellas exhibent, quæ plures annos integros impastæ omnino transegerint. Et ne miraculum suspiceris, ex hæreticis erant, vt apud Kikermanum legitur. Rondeletius quoque lib. 1. de piscibus refert Romæ fuisse virum, qui 40. annis sine vllo cibo, potuque vixerit.

Tertiò in hunc ordinem redigi debent ea, quæ vel sola aqua nutriuntur, vt pisces; vel sola terra, vt glires, talpæ, &c. vel quæ solo aëre vt Chamæleon, de quo sic Tert. *Chamæleon ieiunus semper, & indefectus, oscitans vescitur, folicans ruminat de vento cibos*: idem quoque Plinius 8. lib. cap. 33. mitto cætera multa eiusmodi.

Resp. Hæc omnia non repugnare iis, quæ diximus. Primùm enim ex eo quòd alimentum debeat esse conforme temperamento, & item calori naturali viuentis, quod nutritur: rectè sequitur alia aliis esse consentanea, & quæ vni perniciem creant; ea salubria esse aliis: ideo ferrum struthionis ventriculo vt pote æstuantissimo minùs repugnat, quàm humano: quamquam nec propterea sequitur id esse illi alimentum: licet ab eo decoquatur, potest enim inemendatum egeri. Quæ autem nobis venena dicuntur iis animantibus, quæ naturaliter his vesci solent, sunt salubres cibi. At hominibus præter naturam accidit, quòd non noceat: non crediderim tamen eos veneno nutriri posse. At potestne consuetudo vim naturalem inuertere? quomodo enim cùm nulla iteratione consuescere possit lapis, vt sponte ascendat, vis naturalis tandem assuescet vt non lædatur? Resp. talem consuetudinem inde contrahi, quòd alimentum aliquid agat in corpus nutriendum: ideo paulatim potest illi consimilem temperaturam indere: eique spiritus suos implantare. Si ergo aliquod sit per se primùm repugnans, & inimicum corpori alter

affecto; ipsique initio paulatim insinuetur, sensimque in maiori copia apponatur, tandem prior anthipatia & disproportio tollentur; & quod initio noxium fuerat, fiet amicum & quasi confœderatum: ita morbus ictericus immutat naturalem temperiem gustus, & etiam corporis: simili modo cœli & locorum dispositio præternaturalis, sic naturam hominis potest alterare, vt indebitis & repugnantibus alimoniis instar ferarum vtatur, vt apud Brasilianos, Hurones, & alia id genus humanæ naturæ monstra. Quidquid tamen in suam nutritionem assumunt: dissimile prius fuit, quia mortuum; & item simile, quia in sese conuertendum.

Quoad viuentia, quæ sine alimento vixisse describuntur, Respondent aliqui posse id naturaliter obtingere: quia, inquiunt, potest ex morbo, vel aliter admodum imminui calor naturalis: & aliunde humor aduentitius, & pituitosus vltra modum abundare, præsertim in fœminis, quæ pituitâ opplentur. Tunc ergo calor ob imbecillitatem parum humidi naturalis absumet, adestque præterea illi sufficiens humor externus, præsertim cum pituita facile queat in sanguinem verti. Cur non ergo sic diu sine externo alio pabulo vita poterit prorogari? Alij tamen id negant, & ad exempla Respondent ea vel miraculosa, vel præstigiosa esse: & ad hoc propositum Henricus Regius Vltraiectinus Philos. nat. lib. 4 cap. 3. refert quandam fœminam Meursensem simili præstigio diu abusam fuisse, ac tamen eius omnem fallaciam publicè omnibus innotuisse. Certum autem est miraculo diuino id pluries in viris sanctissimis contigisse: aliàs nusquam.

Denique ad illud de aërio vel elementari alimento Resp. certè nullum purum elementum pascendis viuentibus sufficere: quare pisces non aqua solùm, sed aliis pisciculis: vel mixtis nonnullis, quæ sub vndis naturaliter crescunt: vel tempestatibus adducuntur: neque desunt spiritus varij piscium tẽperamento idonei. Similiter nec glires pura tellure sustentantur: sed vel mixtis in terrâ occurrentibus, licet forte sub sensum non cadentibus nutriuntur, vel dormiunt: vnde sunt hi versus.

Tota mihi dormitur hyems; & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Chamæleon muscis, aut aliis corpusculis vẽto circumgestis vescitur, vt testatur Scaliger exerc. 196. hinc cætera solui possunt dubia: cum enim elementa non sint pura, sed innumeris halitibus, & corpusculis tenuissimis, mixtis tamen, & spiritibus mixtorum vires retinentibus repleta sint: non dubito quin iis vesci aliquæ animantes queant: cùm & cibi solidissimi debeant priùs in vapores æquè, vel magis subtiles exolui, priusquam vltimum nutritionis effectum adhibeant: propterea crediderim posse aliquando solis odoriferis halitibus, saltem pro aliquo tempore vitam sustentari, si modo halitibus illi spiritus solidorum mixtorum admixti fuerint. Concludo itaque pura elementa non posse in alimentum seligi; ea enim ad corpulentam corporum constitutionem, & ad mixtorum temperiem ordinantur. Ideo non nisi post mixtionem in

illa veniunt: & alimentum mixti, mixtum est: suosque habent in mixtis alios vsus quam nutrimenti, vt aliàs diximus: aqua tamen solet in potum adhiberi ad deuehendum facilius alimentum: vti & vinum, licet hoc & nutrire quoque valeat, non solùm secundum crassiores partes, vt communiter traditur: sed propter subtiles, aëreosque spiritus, quibus abundat. Hinc spiritus vini ad vitam refocillandam valere plurimùm dicitur. Aqua item os ventriculi refrigerat & humectat: atque ita impedit ne resolutio citiùs fiat: quod quidam nomine nutritionis intelligunt.

Ex his monita quædam pro ratione vescendi admodum necessaria inferam: primum confundenda non esse alimenta, neque opprimendum ventriculum ciborum varietate: dum enim cibi multiplicis temperationis ingeruntur, alij aliis citiùs concoquuntur, & massa chyli variè, inæqualiter, & inordinatè conformatur: *item*, ob contrarietatem temperamentorum excitatur pugna in ventriculo, vnde inflatio, ructus, & diuersitas, atque intemperies sanguinis proueniunt. Quamobrem verum est hoc axioma: *concoctio bona est, quando omnia simul eodem tempore concoquuntur.*

Secundum, circa nutrimenti sumptionem considerari oportet substantiam, qualitatem, copiam, ordinem, tempus: ac consuetudinem, de quibus multa scribunt medici: solùm hic circa tempus regulam quandam Auicennæ referam, quæ licet non æquè conueniat omnibus: iis tamen qui parum corporeæ exercitationis edunt, multumque per diem student, maximè vsurpanda est, *totus,* inquit, *cibus, quem in prandio, & cœna assumere voles diuidatur in 3. portiones: & duæ tertiæ assumantur in prandio, vna verò tertia in cœna. Sic enim fiet, vt, & quietiùs dormiamus, & maturiùs ad studia, & ad operas nostras surgere possimus.* Denique quoad ordinem notanda ista erit regula: quæ citiùs concoquuntur, priùs sumenda sunt iis, quæ tardiùs; liquida solidis; & lubrica adstringentibus,

---

CAPVT XV.

DE AVGMENTATIONE secundum quas partes fiat.

§. 1.

Explicatur & soluitur quæstio.

DVPLEX præcipuè augmenti genus est: vnum quo adiectio quædam molis externæ vi aliena, & ab extrinseco fit, vt quando lapis accessione terræ augescit: alterum, quo talis additio virtute interna rei quæ augetur, & intrinsecus fit. Hæc vocatur accre-

tio

tio per intus susceptionem: & semper cum nutritione fit: cum nimirum maior alimenti copia in substantiam viuentis conuertitur, quam deperditum fuerit ex humido radicali. Hanc autem triplex conditio sequitur: *prima*, vt fiat ex aliqua materia extrinsecus accersita: vnde cum ex aqua fit multò copiosior aër, non fit propriè augmentum eiusmodi, quia materia illa tota præfuit: nec noua accessit. *Secunda*, vt quod augetur, idem maneat. *Tertia*, vt per partes fiat. Hic modo quæritur, quomodo id quod augetur, idem manere valeat: & secundum quas partes fieri debeat augmentum. Sunt enim aliæ similares, aliæ dissimilares, vt suprà diximus: difficultas autem hinc oritur, quod cum per hoc augmentum nouæ partes viuenti adueniant, loco aliarum, quas perdidit, necesse est, vt viuens secundùm partes varietur: hoc autem si ita est, quomodo secundum totum non variabitur: quomodo ergo idem manebit?

Aristoteles 1. lib. de gen. cap. 5. ait *partem quamlibet augeri accedente aliquo secundum formam: at non secundum materiam.* Idest augmentum viuentium fit secundum partes formales: non verò secundum partes materiales. Ibidem quoque dicit accretionem priùs terminari ad partes similares, & consequenter ad dissimilares: ita vt dissimilares augeantur eo ipso quòd similares accrescant. Hinc grauis inter Philosophos controuersia nascitur, quid Aristoteles per partes formales, quidve per materiales intelligat: id est: secundùm quas partes idem maneat viuens, quod augetur. *Marsil lib. de gen. Scotus in* 4. s. d. 44. & alij dixere viuens manere idem secundum æquiualentiam: quemadmodum dictum est de loco in Phys. cap. 33. §. 3. His ex Thomistis accessit *Iauellus 1. de gen.* Rursus *Albertus de Saxonia*, & alij per partes formales intellexere partes porosas: Alij organicas: alij vt *D. Bonauent. in 2. d.* 30. partes certæ extensionis. Alex. Aphrod. intelligit humidum radicale, quod iugiter in vnoquoque idem manere censuit vsque ad interitum. Denique Albertus & Pomponatius *lib. de accret.* docent verè intelligi oportere animam ipsam: ac secundum ipsam reipsa viuens idem penitus conseruari, quantumuis corporis partes varietatis sortem experiantur. Idem tuetur Zabarella, idque attribuit insuper S. Thomæ, id quod equidem peroptarem, sed vereor vt oppositum asserat, saltem quoad stirpes, & animalia imperfecta.

Conclvsio. Probabile est viuens quandiu nutritur, & augetur, idem semper manere secundum animam: sane si verum est quod adstruximus suprà cap. 7. §. 2. animas omnes esse indiuisibiles, conclusio hæc per se se euidens est; nec eget ampliori probatione: & quidem hic videtur esse germanus sensus verborum Aristotelis: alioquin certè difficillimum erit exponere, quomodo viuentia & animantes, quarũ animæ cum materia defluerent, sub finem vitæ diuturnioris manerent eadem numero indiuidua: cum secundum se tota essent immutata. *Præterea* inusitatum est Aristoteli partes heterogeneas, vel ipsum humidum radicale, nomine formę designare. *Dices* cum ait Aristoteles fieri aug-

mentum secundum formam, sic posse intelligi, vt solum velit id fieri, secundum speciem. *Contra:* sic non monstraretur manere idem indiuiduum, quod tamen Peripatetici omnes asseuerant. Quod verò Auicen. & Auerr. dicunt de humido radicali, repugnat dicto Aristotelis, quod tamen ipsi acerrimè defendunt: nam ex Auerroë humidum hoc ad materiam pertinet: sed nunquid Scotus auspicatior erit in aucupanda veritate? haud quaquam. Enimverò si solum idem æquiualenter manet id quod augetur, sequitur v. g. Petrum post 20. annos omnino quoad rem alium esse: neque posse vllo vspiam pacto dici filium patris sui: quia simpliciter aliud fuit quod ab illo genitum est, & aliud quod eo nomine, ac sub tali specie significatur: id quod à fortiori de belluis, cæterisque viuentibus dici posset. *Confirmatur:* Arist. ait l. cit. t. 38. *manus totum generari alimento transmutato in eandem formam:* ac statim t. 41. qualis sit hæc forma, sic explicat: *hac autem forma sine materia, vt immaterialis quædam virtus in materia est: Si autem aliqua talis forma*, seu virtus, *accesserit materia, cùm sit potestate immaterialis, etiã habet quantitatem potestate: ipsa* (scil. formæ) *maiores immateriales.* Quem textum sic explicat D. Thomas: *sic igitur virtus speciei, nimirum anima, non determinat sibi aliquam materiam signatam* (id est, determinatam ac definitæ magnitudinis,) *sed nunc saluatur in hac, nunc in illa: & est sicut species immaterialis potentia, quantũ ad hoc, quod non determinat sibi materiam signatam, est tamen in materia semper aliqua.* Hinc autem quid aliud potest inferri, nisi quòd anima non diuidatur neque soluatur ad diuisionem, & solutionem materiæ: sed eadem realiter maneat in adueniente, quæ fuerat in absumptâ. *Dices*, solere aliter verti hunc textum & loco *immaterialis* poni tibiam sic: *hoc autem forma sine materia est, vt tibia, potentia quædam in materia: similiter quoduis aliud instrumentum. Quòd si materies aliqua accedat, quæ potentia sit tibia, & potentia quantitatem habeat, hæ tibiæ maiores euadunt: sic vertunt Conimbricenses, & aliqui alij ante ipsos.* Resp. sic perperam verti ab iis qui nolunt inuito Aristotele animam esse vim quandam indiuisibilem, & quadantenus à materia signata independentem: nec volo aliud conuictionis argumentum, quam textum ipsum, qui ab omnibus eodem modo refertur: cum enim erroris occasio fluxerit ex nomine αὖλος quod sub forma dissyllabi scriptum sic *αὖλος tibiam;* sub trissyllabi verò sic *ἄϋλος immaterialis* significat: Certum est vbique scribi ἄϋλος: & ita referunt ipsi Conimbricenses: est & aliud quiddam variationis in textu: nam vbi quidam legunt ἐὰν δέ τι προσίῃ ὕλη si quæ materies accesserit: alij legunt, & vt puto, meliùs: ἐὰν δέ τις προσίῃ ὕλῃ: si quæ accesserit materiæ: plura item alia verba præter textus sinceritatem addita sunt: quæ legi poterunt.

Ex his infero nõ opus esse, vt asseramus illud humidum primigenium, & radicale, quod è parentibus excerpsimus, manere omnino incorruptum. Id aliqui sic probant, quòd daretur aliqua caro incorrupta: verùm responderi posset *primò* illud humidum non esse propriè carnem, vt suprà diximus, sed potius ipsum fomentum naturale caloris viuifici.

Secundo, ſatis eſſe, quòd in morte corrumperetur. Ideo malo illud inde infirmare, quòd in ipſum humidum perpetuò calor agat, ſicut flamma candelæ in adipem, quo fouetur: tum quia ſine ratione, ac ſine neceſſitate id dicitur. *Zabarella* opinatur dari partes aliquas terreas, quæ nunquam abſumantur: *contrà*; at quis nouit, an non cum excrementis cæteris egerantur? an non ex quotidiana nutritione aliæ ſimiles fœces procreantur? cur non aliæ item eiiciuntur? alioquin quanta copia huiuſmodi terreſtrium ſedimentorum coaceruaretur? Denique eſto tales permaneant; an ſufficient, vt propterea idem perpetuò viuens perſiſtere dicatur, ſi quidem partes omnes principales effluerent.

§. 2.

Quomodo ſeſe habeat ad nutritionem.

QVÆRITVR præcipuè quomodo ab ea diſtinguatur, & qualis motus ſit. *Marſil.* eam diſtingui negat. Contrà, *Ioan. Gandau.* 4. *Phyſic.*

CONCLVSIO: Augmentatio non eſt ſola conuerſio ſubſtantiæ alimenti in ſubſtantiam viuentis, quæ nutritio, vel etiam aggeneratio eſt; ſed inſuper inuoluit maioris quantitatis adeptionem. Ita Ariſtot. 1. de gen. 5. dum ait aggenerationem verſari circa ſubſtantiam; augmentum verò circa quantitatem. *Confirmatur* hoc ex eo quòd nutritio dicatur communiter fieri ſimul, ac puncto temporis; accretio verò in tempore: ad hæc nutritio ſemper fit, non item accretio. Denique nutritio terminatur ad ſubſtantiam: accretio ad quantitatem.

Verùm augmentum naturaliter conſequitur nutritionem; quia hæc debet fieri ex aduenjente materia in eodem viuente, & circa idem alimentum. Hæc autem ad augmentum pertinent; ſed & ſufficiunt, quando materia ſubminiſtrata, & aſcita in ſubſtantiam viuentis copioſior eſt, quam pars eiuſdem viuentis abſumpta.

Dices, vna ſufficere poteſt actio, qua forma in materiam quantam introducatur. Reſp. augmentationem præciſè actionem eſſe, non qua ſubſtantia fiat, ſed qua maior fiat: ideo actio, qua ſimpliciter introducitur forma in materiam, non poteſt dici præciſè augmentatio, niſi maior quantitas acquiratur: ſi verò forma in maiorem materiam inducitur, tunc ſimul cum aggeneratione fit accretio: ſed nihilominus actiones, & motus diſtinguuntur ratione terminorum. Solúmque dici poteſt, quòd accretio fiat per modum ſequelæ: & per ſe nutritionem conſequatur, ſicut quantitas in materia ſequitur ad eſſe, quod materiæ confertur ex aduentu formæ.

Interim ſi momentum aggenerationis, & nutritionis attentiùs, & præciſè perpendamus, verum erit dicere, quacumque nutritione, fieri augmentum; quia vt quacumque conſumptione humidi, viuens ſimpliciter diminuitur: ita quacumque illius reſtauratione augetur. Non

dicitur tamen augeri simpliciter, nisi quando in restauratione plus acquiritur, quam fuerat ipsa consumptione amissum: & in hoc sensu non semper augmentum fit. Si quæras cur ita? Resp. quia paulatim caro, & ossa potissimum fiunt duriora: ideo difficiliùs extenduntur, vt per poros liberum iter succurrenti alimento præbeant. Hinc etiam fit, vt adolescentes, & iuuenes soleant pinguiores euadere, nisi mollitie, ac delitiis diffluant: non verò ita maiores: quia corpora pro hac ætate communiter debitæ magnitudinis mensuram assecuta sunt. Ideo sic natura calorem cum membrorum soliditate concinnauit, vt solùm resarciendis detriti corporis iacturis sufficiat: non accersendis additamentis.

At motus augmentationis est ne continuus, & successiuus, an discretus, & instantaneus? Resp. *primo*, augmentationem, quæ fit per totam vitam, esse sine dubio interpolatam: quia quàm multa interfluunt momenta, & tempora, quibus viuens nec actu crescit, nec nutritur: *Secundo*, ea quæ fit in singulis partibus, eodem modo procedit, quo nutritio: hanc verò respectu diuersarum partium successiuè fieri, haud repugnat: prout enim partes alimenti applicantur, eatenus conuertuntur; sed applicantur successiuè. Ergo: at respectu vniuscuiusque partis sigillatim simul fit, sicut & aggeneratio.

Capvt XVI.

DE SENSV EIVSQVE operatione.

§. I.

Quid sit actus sentiendi, an passio.

Expedivimvs Deo fauente ea quæ ad partem vegetatiuam pertinebant, saltem præcipua: sequuntur modo ea quæ ad τὸ αἰσθητικὸν, id est, partem sentientem. Quæ eò vegetatrice præstantior est, quòd res externas longe à se positas percipiat, earumque vtilitates, commoda, & iucunditatem, aut opposita mala discernat, vt vel illorum fructibus potiatur; vel à se propellat iniurias. Est ergo sensus vis quædam, qua res singulas externas, vel etiam internas accommodato ad id corporis instrumento anima percipit. Circa quam primo quæritur, quid sit sentire, tum quibus mediis fiat?

In primis celebris olim fuit quæstio, an sentire sit pati, an potiùs agere: variæque sententiæ circunferuntur.

Prima est, quæ asserit actum sentiendi esse solam receptionem speciei in organo, quatenus est repræsentatiua obiecti: ita *Ægill. 1. de cogn.*

Angel. Caiet. Venetus 10. *summa de anima, & Nominales.*

Secunda, voluit actum sentiendi fieri à quadam intelligentia separata, imaginem obiecti obsignante in organo. Ita communiter *Arabes.*

Tertia est actum sentiendi partim in actione, partim in passione consistere; ita vt ab obiecto producatur in potentia: & ab eadem quoque potentia eliciatur in organo, Ita *Peripatetici.*

Quarta denique est Platonicorum dicentium potentiam solùm agere; nihil verò pati: solumque in corpore recipi, quidquid immutationis, vel alterationis in sensione contingit. Sic *Plotinus l.6. Enn.*3. & alij: volunt enim actum sentiendi esse actionem animæ circa obiecta, qua scilicet ipsa anima sese accommodat, afficitque ob sympathiam, vel antipathiam obiecti, quod vel per se, vel per qualitates à se manantes corpus immutat: sensum enim ex duobus constare dicunt, ex ipsa scilicet animæ facultate, & organo corporis: item duo alia exigunt, sc. receptionem imaginis, aut speciei obiecti: & iudicium de obiecto per eius imaginem. Primum dicunt in organo peragi: secundum in anima. Ita, inquiunt, cùm animus sentit in corpore, non ab illo aliquid patitur; sed in eius passione attentiùs agit. Et sensus nihil aliud est, quam animaduersio attentiori illius operationis; aut iudicium de corporea passione, & qualitate, excitatum ab attentiore illa animaduersione, vt fusè admodum probat, *Marsil. Fic. l.7. Theol. c.6. & Plotinus cit.* Idque admodum eleganter S. Aug explanat l.6. de Musica c.5. *Videtur*, inquit, *mihi anima, cum sentit in corpore, non ab illo aliquid pati, sed in eius passionibus attentiùs agere, & has actiones, siue faciles propter conuenientiam, siue difficiles propter inconuenientiam, non eam latere: & hoc totum est, quod sentire dicitur.* Existimauit ergo sensum creari ex eo, quòd anima iis, quæ in corpore contingant passionibus attēdit: seque ipsam applicat, & vel annuit si gratæ sint passiones; vel renititur, si molestæ. *Cum adhibentur ea, quæ nonnulla, vt ita dicam, alteritate corpus afficiunt, & exerit attentiores actiones, suis quibusque locis, atque instrumentis accommodatas. & tunc videre, vel audire, vel olfacere, vel gustare, vel tangendo sentire dicitur, quibus actionibus, congrua libenter associat, & molestè obsistit incongruis.* Et quia talis attentio non excitatur ob passiones familiares, quibus nullo modo alteratur organum; ideo eas neque sentiri ait: *Agit porro*, inquit, *luminosum aliquid in oculis: aërenum, serenissimum, & mobilissimum in auribus; caliginosum in naribus; in ore humidum, in tactu terrenum, & lutulentum: sed siue hac, siue alia distributione ista coniiciantur: agit hæc anima cum quiete, si ea quæ insunt in vnitate valetudinis, quasi famliari quadam consensione concesserint.* Hoc totum maximè congruit opinioni Platonis, qui in Theæteto nullum sensum corpori attribuit, sed mauult sensuum functiones in eo solùm declarari. Nec inde abludit Galenus, cum sensum esse arbitratur dignotionem alterationis in sensorio, factæ ab obiecto, & animi facultate. Quando nimirum sensuum instrumenta alterantur motu oppositi: dignotio verò illius alterationis à tota sentiendi facultate fit. Idipsum autem totum ex Platone desumptum est in Philebo, nam ibi distinguit duo

tur in subiecto viuente? Si hoc est, ergo infusio habitus supernaturalis erit actio vitalis, & infinitæ aliæ id genus; quod quis approbabit? nihil itaque superest, nisi vt talis dicatur eo quòd sit à principio viuente elicita. Mi. æquè certa est, alioquin, cur non fieret in mortuo?

Hinc reiicitur prima sententia cum secunda: & *confirmatur*, quia si sola receptio speciei, siue ab obiecto, siue ab intelligentia proueniens, sit ipsa formalis sensio: cur non dicitur speculum sentire, cum speciem quoque recipit? an non etiam in aperto mortui, vel dormientis oculo species æquè imprimuntur? cur ergo in his non elicitur visio?

CONCLVSIO SECVNDA: Certum est etiam animam, siue animæ potentiam ab obiecto corporee moueri ad actum eliciendum. Probatur hoc omnibus illis argumentis, quibus demonstrari solet necessitas specierum: de quibus infrà. Hæ autem frustra penitus admitterentur, nisi vel saltem ad hoc essent vtiles, vt potentiam alioquin indifferentem determinarent ad hoc potiùs, quam illud sentiendum. Nec certè id negat Plato: in Timæo enim sic loquitur: *Cum in id quod moueri facile solet*, (id est, corpus) *perpessio aliqua vel exigua incidit; illius pars quæuis sequentibus vndique perpessionem eandem transfert, quousque ad prudentiæ sedem perueniatur, vbi quasi per hos nuncios, illius quod perpessionem attulit, facultas agnoscitur*: Et in Philebo sic ait, *quod in vna affectione contingit in anima & corpore, vt communiter moueantur, hunc motum si sensum nominaueris, haud absurda dixeris.* Ita his verbis indicat animam à corpore quasi moueri quodammodo, quatenus organis pulsatis aliqua qualitate, statim anima illius vel sympathia, vel antipathia sentit se commoueri, & ad attentionem adhibendam pellici: nisi autem quodammodo ab huiusmodi obiecto moueretur, quînam excitaretur ad attendendum huic potiùs, quam alteri? Restat ergo sola quæstio, an sensus moueatur ab obiecto corporeo effectiuè, an dispositiuè solum.

Certè ratio me multum in partes Platonis inclinat, si rectè perpendantur ea, quæ de discrimine causæ disponentis ab efficiente retulimus: neque enim vnquam plenè persuaderi potui, quòd anima præsertim nostra suam à corpore perfectionem emendicaret. Excitari eam posse actione corporea, haud dubito, & ad præsentiam imaginis sensibilis sympatheticè, vel antipatheticè à se ipsa commoueri non nego: at pati eam propriè à corpore, ac per ipsum, & eius in se actione informari, perfici, percellique posse opinari potui nusquam: neque illud certè obliuisci valeo, quod à Diuo Augustino didici, qui dum 6. de mus. c. 5. de numeris musicis loqueretur, quibus per auditum vsurpatis tantopere solet anima delectari ait: *Quos non à corpore anima, sed acceptos etiam à summo Deo ipsa potiùs imprimit corpori*: tum huius rationem reddens subdit: *perabsurdum est fabricatori corpori materiam quoquomodo animam subdere. Nunquam enim anima est corpore deterior: & omnis materia fabricatore deterior: nullo modo igitur anima fabricatori corpori est subiecta materies. Esset autem si aliquos in ea numeros corpus operaretur. Non ergo cum audimus, fiunt in anima numeri ab iis, quos in sonis cognoscimus.*

Itaque firmiter tenet nobilius non posse respectu deterioris haberi vt subiectum; de quo & in quo ab hoc deteriori aliquid fabricetur: & corpus deterius esse anima. Vnde constantissimè infert animam, multa quidem agere circa corpus, & in corpore: sed vim & efficaciam agendi non à corpore, sed à superiori principio, nempè à Deo accepisse: sic tamen, vt passio corporis sit dispositio ad hoc, vt animus seipsum in actum redigat; seque illi accomodet.

Possent præterea hæc confirmari ex eò quod actus sentiendi sit actus vitalis & spiritualis. Ergo non potest effectiuè ab obiecto corporeo & inanimo per imagines multò adhuc inferiores prodire. Item non potest species simul cum potentia concurrere ad eundem actum, nisi cum ea in vnum principium coalescat: id autem fieri nequit, nisi potentia specie informetur. At quomodo potentia spiritualis specie corporea informabitur? Mitto alia quam plurima.

Itaque secundum hancce opinionem hoc quod est sentire, est actus animæ realiter ab ea progrediens, & in eandem receptus, non inditus ab externo motore; neque aliena vi, sed propriè in seipsa exoriens. Denique actio est, non propriè trāsmutans, sed solum perficiens.

Quo sensu etiam dicere possumus sensionem non esse passionem; sed simpliciter actionem. Duplex enim vel à Peripateticis distinguitur passio: altera corrumpens, qualis fit in ligno, quando suscipit calorem: altera perficiens, qualis fit in aëre, quando illuminatur. Prior simpliciter vocatur passio: posterior verò, solùm actus. Ita in sensu non fit propriè passio: quia nihil in eo corrumpitur, nisi per accidens, cum à vehementiori obiecto nimium alteratur organum sensus: fit tamen actus, quia perficitur. Denique sensus passio dici potest, quatenus eius organum obiecti specie incipit informari: actio verò, quatenus anima percipit, & iudicat obiectum per hancce organi passionem, siue assimilationem, & ita conciliari possunt authores.

Dices, hinc sequi quòd sensus æquè sit independens à corpore, quam intellectus. Resp. nego, quia sensus essentialiter exigit exerceri per speciem corpoream in instrumento corporeo, non verò intellectus. Hinc sequitur aliud discrimen, quod operatio sensus, sit propriè totius compositi saltem *vt quod*: & ad eum modum, quo superius diximus, potentias sentientes non cōpetere soli animæ: secus est de intellectione & ita intelligi potest Aristot. cum sæpe ait sentire esse actum compositi. *Tertio*, inde sequitur vlteriùs, quod intellectio exerceri valeat ab animo separato: non sensio. *Quarto* denique potest intellectus versari circa vniuersalia, & ab omni corpore abstracta: sensus verò solùm circa singularia, corporea, & præsentia.

Obiicies, forma quæ constituit potentiam in actu primo ad agendum, concurrit effectiuè ad actum, atque illam perficit: & non est mera dispositio: sed species ab obiecto emissa constituit potentiam in actu primo, quia quod est animæ formali principium assimilandi sese obiecto per actum secundum, id reuera constituit eius potentiam in actu primo, seu forma perficiens: nihil autem est aliud, cuius efficacitate tale pr-

cipium ipsi conueniat nisi species. Ergo. Confirmatur argumento Theologico, quia secundum Theologos diuina essentia in visione beatorum concurrit effectiuè cum eorum intellectu, solùm eo quod speciei intelligibilis munus impleat.

Resp. Hoc argumentum esse admodum efficax in via Peripateticorum: atque inde facile monstratur, quomodo obiectum in actu, & potentia in actu idem sunt, quia videlicet potentia iam specie informata, virtualem obiecti formam induit: ac deinceps actualem, cum actum parit illi speciei conformem. Verùm in via Platonicorum nihil vrget: admittunt enim ipsi in anima rationes virtuales obiectorum sensibilium, tanquam numeros quosdam formales, mira operandi vi præditos, à summo Deo in anima impressos, vt diximus suprà ex D. August. & fusiùs exposuimus in fine Logicæ. Quamobrem dicunt illos sufficere: neque aliud ex parte animæ requiri principium formale: ac iuxta id ipsum facile declarari potest, quomodo animus sentiens fiat obiectum actu: quia scilicet ex eo quod per has rationes virtuales erat potestate, & initiatiuè talis, quale obiectum, fit postmodum actu talis, dum actu sentit. Neque argumentum Theologicum illis nocet: fatentur enim lubentissimè Deum siue per essentiam suam, siue per ideas esse posse animæ tale formale principium.

§. 2.

Cuius sit, siue de obiecto sensus in genere.

MVLTA sunt à quibus pendet sensus operatio: *in primis* est ipsa facultas animi, de qua non est hic aliud apponendum præter id quod supra c. 11. §. 1. quæsimus: *secundum* est obiectum, circa quod fit: *tertium*, formale instrumentum obiecti, quo scilicet obiectum potentiam mouet, quod vocatur species, siue imago eiusdem obiecti: *quartum* est organum, in quo actus exercetur: de quibus modo sigillatim dicendum est.

Obiectum ergo siue sensibile est id quod sensu apprehenditur. Et aliud est per se, aliud per accidens: illud est, quod secundum propriam formam à sensu percipitur: vt color, sonus, &c. istud quod per alienam, vt substantia, iustitia, &c. Prius adhuc diuiditur in sensibile proprium, & sensibile commune: illud est, quod vni solùm sensui competit, vt color visui; sonus auditui, &c. istud, quod pluribus, vt magnitudo, quæ à visu tactuque discerni potest, &c. Nec dicitur commune, quasi sit vniuersale: nam sensus eo vel maximè differt ab intellectu, quòd iste solus sit vniuersalium; ille solùm singularium. Sensibile igitur commune ad has ferme species reuocatur, quæ sunt *motus*, *quies*, *numerus*, *magnitudo*, *distantia*, *figura*. Ista enim non tantum videmus, sed audimus, tangimus, olfacimus, &c dum currus mouetur, visu, auditu, & etiam tactu id percipimus, &c. Per quas autem species, & qua modifica-

tione, dicemus postea.

Sensibile proprium in quadam symmetria, vel cognatione cum potentia cognoscente consistit: ideoque ex vtriusque consortio nascitur vitalis similitudo, quæ cognitio dicitur. Exurgit autem hinc quæstio, an circa sensibile proprium aberrare sensus queat. Academici olim nullum certum à sensu iudicium fieri posse opinabantur: Aristoteles contrà, sensum nullum circa proprium obiectum falli vnquam posse docuit: de Academicorum opinione quid sit sentiendum, diximus in Log.c. 41. §. 4. ad dictum verò Aristotelis quod attinet, potest id ea ratione breuiter confirmari: sensus est perceptio quædam obiecti: ergo si sensus sit, rei quæ sentitur perceptio sit oportet; aut si eius perceptio non sit, sensus non est huius; sed alterius obiecti, vtique proprij: quia non potest sensus, nisi circa proprium sensibile occupari. Hoc voluit Plato, cum dixit in Theæteto, *sensus igitur semper est eius rei, quæ existit: & minimè fallax, quia scientia est.*

Ast non leue est inter Peripateticos dissidium, quo sensu id axioma debeat vsurpari: nam cum dixerit Aristoteles sensum falli posse circa sensibile commune, vt cum visus iudicat solem esse palmaris solùm magnitudinis; circa proprium verò, nusquam: videmus tamen id quod est album aliquando subnigrum apparere, & viride iudicari violaceum: & quod dulce, amarum: ac sic de cæteris. Auerroës ait dictum Aristotelis intelligi oportere cum hac restrictione *vt plurimum*; at nunquid idem occurret de sensibili communi? quid, nonne vt plurimum etiam visus videtur sibi videre colores, vbi non sunt, scilicet in cœlo? addit Auerroës non errare sensum circa rationem formalem obiecti, sed solùm circa subiectum: v.g. non errare visum circa candorem, quasi iudicet non esse candorem, sed falli in eo quod putet id esse niuem, vel aliud quid? *Contrà*, an non sæpe iudicat subnigrum, quod est album. *Alb. Mag.* ait ideo non aberrare sensum, quia semper iudicat secundum quod aptum est, ac debet iudicari: nempe secundum modum repræsentationis, quo per species debet repræsentari: ita vt etiam si nigrum repræsentet id quod cæruleum est, tamen verè ob distantiam tale debeat apparere: sed nunquid similiter circa sensibile commune sic afficitur? *Themistius, Simplicius*, & alij dicunt tres requiri conditiones, quibus positis vera semper sit regula. Harum *prima* est, vt organum rite dispositum sit: *secunda*, vt medium congruo modo paratum adsit: *tertia*, vt requisita distantia interueniat, id est, neque maior, neque minor. Sed *contrà* si quis fune appendat carbonem ardentem & eum rotet, visus repræsentabit circulum igneum. Item qui digitis in modum crucis decussatis, aliquid vnum contigerit, id tanquam duplex tangere videtur, &c. ac in his & similibus multis prædictæ conditiones non desunt. Ergo non bona est regula. Alij prædictis conditionibus addunt, vt obiectum debito situ proponatur, & debito tempore, sitque eius debita magnitudo. Sed si licet ita conditiones multiplicare, similiter occurret sensum nũquam falli circa sensibile commune. Nam si & hoc iisdem fuerit conditioni-

bus affectum, certè nusquam circa illud falletur sensus *Toletus in 2. de anima*, ait illud dictum esse verum quoad rationem genericam obiecti, non quoad specificam; v.g. licet falli possit visus circa nigrum, vel album: at nunquam circa coloratum. *Contrà*, etiam sic non errat circa sensibile commune: quia licet fallatur, dum iudicat flexum id quod est rectum, tamen verè iudicat, quantum & figuratum. Alij denique profitentur malle se relinquere Aristotelem inexplicatum, suoque inuolutum ænigmate, quam sese magis implicare: verùm fatendum est certè sensum ex seipso falli nusquam, sed solum ex accidente, cùm aliquid eorum, quæ ordinata sunt ad sentiendum desideratur: quamobrem, ista duo verissima sunt: *quod sensus aliquando imo sæpe tam quoad proprium, quam quoad commune sensibile fallatur*. Et *quod per se nunquam fallatur*. Illud enim prouenit ex eo quod omnia per se requisita non adsint; vt cum titio circumrotatur, videtur circulus igneus, cum non sit, quia requiritur aliquanta requies, ac mora, vt videatur in loco solo in quo est, &c. Secundum prouenit ex eo quod sensus agat naturaliter secundum vires à Deo institutas, quæ rectæ sunt, nec ad fallendum destinantur. Quamobrem dum à longè video aliquid subnigrum, quod tamen est violaceum: id video per species imperfectas, & obiectum eiusmodi sub tali distantia cum tali vel tanto lumine non est aliter visibile: ideo apparet, quale debet apparere, & eatenus non fallitur propriè sensus per se, licet absolutè verùm sit non ita rem sentiri, qualis est in seipsa: sicut si lupus ouina pelle indutus obiiciatur visui, iudicabitur ouis: non errabit visus, sed animus: visus enim videt vt oportet, & consentaneè ad rectum naturæ suæ finem: sed errat animus, qui aliunde debet discernere verum lupum: sic videt oculus remum fractum: non errat, quia talis debet videri: errat verrò animus iudicans esse fractum, quia ex superiori rationis lumine debet discernere refractionem, quæ naturaliter talem apparentiam facit. Et nisi animus peccato fuisset stupendum in modum obcæcatus, habuisset semper ex se abundè luminis, vnde deceptionum ansas dispexisset: vt etiam ex iis quæ non apparent sicut sunt, verè discernere potuisset, qualia hæc esse debuissent.

Interim obiectum commune à proprio multis titulis distinguitur; *primò*, quia proprium immutat sensum secundum propriam formam: commune verò solum per formam proprij: *secundò*, sensus proportionatur obiecto proprio, non obiecto communi: *tertiò*, quia commune percipitur à pluribus: *quartò*, quia proprium specificat sensum; at non commune: *quintò*, proprium primariò terminat actum potentiæ, non commune, v. g. cum video laminam auri longam, & tenuem in solo positam; color fuluus per se visionem specificat, & terminat: longitudo tamen, tenuitas, quies, &c. videntur quatenus solum color talium partium videtur è locis, in quibus ipsę sunt: quamobrem nihil additur, quod ad visum pertineat: sed sola dispositio partium, quæ videntur, discrimen facit communis sensibilis à proprio. Imo cùm ea dispositio non habeat præcisè secundum se rationem formalem obiecti sensi-

bilis: neque enim est colorata, sonora, &c. Ideò hæc potiùs à ratione discerni debet quam à sensu: satisque sensui est, quod videat in obiecto sensibili, quidquid ipsi sensibile est. Quare & cùm in auro singulæ partes optimè sint visibiles, omnes quoque videntur: & eo ipso sine vllo alio fictitio additamento à sensu videtur vt longum, tenue. &c. licet non ipse sit, qui discernat ipsam longitudinem, ac tenuitatem; sed ratio. Ita nequaquam opus erit, vt aliæ species fingantur pro eiusmodi obiectis communibus: neque modificationes specierum, quæ sine fine difficultates multiplicant. Satis ergo est, quòd è singulis partibus vbi, & quando sunt, species proprij obiecti emittantur.

§. 3.

In quo fiat, siue de organo.

CVILIBET sensui adhibitum est peculiare organum obiecto proprio contemperatum, ita vt temperamentum vnius commensuretur dispositioni alterius, vti ostendemus, dum sensus singulos explicabimus. Necessitatis ratio ea est, vt nimirum actionem obiecti possit sensus excipere.

Quædam de illo conditiones communiter solent obseruari. Prima est, vt vacuum sit forma reali, ac naturali obiecti proprij; si enim imbutum esset ea qualitate, quæ percipienda est, sensionem impediret. Hinc commune hoc in Philosophia est adagium *intus existēs prohibet perceptionem:* vt si oculi essent tincti vermiculo, non perciperent colores: si aures sono essent oppletæ, sonum non sentirent: sic de cæteris. Ratio est, quia talis affectio impedit actionem obiecti externi, propter quod solùm sensus instituti sunt. Adde actionem eiuscemodi obiectorum ex medio illi à natura designato quodammodo temperari, & modificari, vt lenior, ac subtilior sit: cum enim voluerit Deus ob commodum animalium obiecta remota posse percipi: dedit iis obiectis vim quandam traductitiam, quæ posset ab iis in sensum distantem transgredi per medium proportionatum: & quia videmus illam vim eò minorem ac remissiorem fieri, quò longiùs sese exporrigit, sequitur eam esse maximam, & vehementissimam in principio. Ideo quemadmodùm, cum prætergreditur debitæ distantiæ terminum non percipitur, ita neque cum eandem distantiam omnino antegreditur. Ideo dictum axioma vel maximè in sensibus externis viget.

3. de anima c. 5.

Hinc sequitur istud aliud axioma haud multùm à primo distinctum, *sensibile immediatè suprà sensum positum, non facit perceptionem:* quodquidem Alexander, & alij restringunt ad tres hos sensus nimirum, visus, auditus, & odoratus; propterea quòd hi potissimum dati sint animantibus ad quærenda commoda externa & dissita: & aliunde in his euidentior est experientia. Auerroës, quem sequuntur communiter alij Peripatetici, voluit illud pronunciatum esse verum in omnibus quinque sensi-

bus: idque probatur primo, quia sensus est potentia spiritualis: ergo moueri debet quodammodo spiritualiter, id est, per speciem intentionalem, non per qualitatem realem: sed Responderi posset, quòd solum organum patiatur, illud autem omnino corporeum est: ad eius verò commotionem prouocatur animę intentio, vti diximus suprà. Ideo aliter id probatur, ipsa nimirum inductione: nam quoad tres primos, res est manifesta. Res colorata non mouet, nisi mediante diaphano lucido: sonora non nisi per aërem leniter commotum: odorifera, non nisi per leuem euaporationem: sed hæc tria non possent obtingere, si obiecta immediatè organis hærerent: quoad tactum verò sic probatur. Qualitates tactiles sunt primæ qualitates, & nonnullæ ex his ortæ: si autem hæ immediatè tangerent sensiterium, id immutarent: v. g. si ignis immediate id tangeret, nimium calefaceret: & vltrà temperiem requisitam à tactu: similiter aqua nimium frigefaceret, &c. sapores verò non percipiuntur, nisi mediante humiditate, quæ cum non immediatè tangi valeat, sequitur nec sapores: at quidni posset responderi excessus eiusmodi esse per accidens: hásque rationes non habituras locum, si talia obiecta moderatis suis qualitatibus organo inferrentur? Quamobrem quid quisque voluerit de duobus his *vltimis* sensibus opinetur, non obstat ratio: at nec inducit.

Secunda conditio est vt actio, quà sensus ab obiecto mouetur, sit moderata, alioquin læderetur: vnde est axioma *vehemens sensibile* destruit sensum. Duplex est sensus: primus, an nimis alteretur organum, vnde soluatur debita eius tēperies, & conformatio. Secundus, an etiam iudiciū sensus peruertatur: quoad primum dupliciter adhuc possumus obiectum considerare: *primo*, vt agit per qualitates suas primas, sicut cùm adspicio ignem cominus, non est dubium, quin dissolui tunc possit tēperies oculi: & de hoc sensu nulla est difficultas. *Secundo*, vt agit per vim assimilatricē, vel effectricem sensionis. In hoc sensu licet negetur à nonnullis, tamen communiter à Thomistis defenditur: & quidem verissimè. Neque difficile id ex iis, quæ mox subiiciemus, elici poterit. Ostendemus enim ab obiecto vsque ad potentiam diffundi aliquam vim, seu motionem realem, atque multùm efficacem. Hæc autem sine dubio potest esse vehementior: sicut & remissior: aliunde mouet reuera & ferit organum, eique aliquid Physicum imprimit, ratione cuius animæ intentio excitetur. Hinc videmus ab albo visum disgregari; congregari à nigro: item obiectum agit in sensum per medium certo quodam temperamento affectum: at potest hoc excedere iustam mediocritatem. Quando ergo in his non seruabitur debita proportio agentis ad passum, necesse est lædi sensum: & cum à recta organi constitutione pendeat iudicium, quod de re percepta fertur, non est dubium, quin etiam ex læsione organi, sequatur quoque iudicij corruptela. Vides ergo sensum, qui perficitur ab obiecto, quando per medium debitè temperatum, & cum debita distantia in eum agit, ab eodem lædi, cum debita siue medij, siue actionis proportio exceditur.

CAPVT XVII.

DE SPECIEBVS INTENtionalibus.

§. 1.

An sint admittendæ, & quid senserint authores.

ARDVAM planè modo tentamus quæstionem, quæ Philosophorum ingenia mirum quantum exercuit. Cum enim indubitatissimum sit moueri sensum ab obiecto distante, & aliunde videamus solere semper id quod mouet moto esse coniunctum vel per se, vel per aliquid à se in rem motam corriuatum; quæritur quid illud sit quod obiectum sensibus incutit, dum eos ad sui prouitat attentionem.

Nominales quibus addi *Durandus* debet, aiunt ab obiecto in medio, atque etiam in oculo produci reales qualitates suis consimiles; nec minùs à colorato colorem spargi, aut odorem ab odorifero, quam calorem à calido. Addunt tamen duo maximè notanda: *primum* est, quòd ad eliciendam sensionem nihil sit opus diffundi per medium, sed posse obiectum distans immediatè in potentiā agere, in eaque perinde actum exerere, ac si reuera intra potentiam contineretur inclusum. *Secundum*, quòd qualitates in medio multiplicatæ adeo remissæ sint, atque in subiecto adeo raro vt sentiri non possint; nisi, vt contingit aliquando, medium illud addensetur. *Tertium*, quòd hæ qualitates multiplicentur ob naturalem vim multiplicatiuam, quæ omnibus formis competit, non propter necessitatem sensionis. *Quartum*, quòd obiecta nihilominus ad mouendum sensum immediatè per propriam vim ex natura sua medium quoddam exigant, iuxta diuersitatem sensuum, diuersa quoque conditione affectum v. g. color, inquiunt, vt actu videatur ex natura sua exigit medium perspicuum, liberumque, quo sic præsupposito, ipse per rectam lineā in oculum agat, non realem per illud transferens qualitatem, sed realem in oculo pariens actum. *Quintum*, quòd ex actu sensus externi producatur naturaliter in sensu interno qualitas quædam, quæ per modum obiecti percipi possit ab interno: id quod præcipuè contingere aiunt, cum sensibile vehemens est, vnde fit sæpe vt postquam sub intensissimo lumine quidpiam intuiti fuerimus, id aliquandiu postea, etiam clausis oculis videre videamur. *Sextum*, quòd ex actu externo producatur primus actus internus, post quem producatur habitus inclinans ad similes actus. His Durandus addit in spiritibus corporeis relinqui quasdam species siue impressiones, quæ apprehensæ à sensu interiori aut somnia pariunt, aut memoriam: in quo differt à

Nominalibus, qui memoriam vel somnia solùm vi habituum productorum post primum actum internum explicabant.

Ex his itaque inferebant inutiles esse species intentionales: neque dari: licet tamen in medio reales qualitates perducerentur: ita in rubore v.g. qui à solis radio vitrum rubeum permeante pingitur in pariete, realis ac naturalis rubor fit, cui color proprius parietis cedat. Si verò iis obieceris species verè in speculis, in aquis pellucidis, & aliis eiusmodi pingi solere. Respondent, haudquam videri speciem, siue imaginem in speculo: neque inde probari posse illarum specierum necessitatem. Quamobrem dicunt speculum esse duntaxat causam reflexionis actionis obiecti: ita vt cum obiectum recta linea in oculum agat, opposito speculo actio reflectatur; atque ita ipsum propriè videri obiectum. Horum autem argumenta inferiùs adducemus.

Democritus, Epicurus, & qui atomis deliciantur, admittebant quidem simulacra subtilissima obiectorum, quæ ab iis in sensum proiicerentur: sed volebant ea esse quædam veluti ramenta, quæ iugi attritu, ex superficie obiectorum eraderentur, ac pro figurarum, vel magnitudinis, aut dispositionis varietate diuersos sensus procrearent. Notat tamen D. August. eo rectiùs Democritum sensisse quam Epicurum, quòd atomorum concursioni quandam vim animalem, & spiritualem admistam agnouerit Ep. 56.

His haud dubiè Plato multum accessit in Timæo, vbi siue quòd ænigmaticè, aut poëticè scribat; siue quòd Timæi Locrensis Pythagoræi sententiam solùm referat; siue quòd in Physicis Democritum, sicut Socratem in Moralibus magna ex parte secutus sit, sic scribit, *vnum ex omnibus* (scil. elementorum particulis) *corpus efficiebant, & in hoc ipsum tum influente, tum effluente corpore animæ immortalis periodos illigabant*: & mox *ab ijs omnibus* (elementaribus obiectis,) *per corpus motus vsque ad animam transeunt, qui propterea & initio, & nunc sensus cognominati sunt*. Mundum itaque hunc adspectabilem comparat gurgiti, motibus perpetuis agitato. Sic mundus iste hominem nullum in se quietum esse sinit: sed continuis atomorum profluuiis vel influentibus ab obiectis in sensuum instrumenta; vel ab his refluentibus versus obiecta sine fine percellit, ac permutat dum nimirum è corpore halitus, excrementa, spiritus exeunt: & in id rursus alimenta, particulæque rerum sentiendarum incurrunt v.g. in visum flammulæ ab obiectis coloratis & lucentibus; in olfactum vapores ex rebus odoriferis proructantur, & sic de cæteris.

Cæteri ferme Peripatetici admittunt species, quas vocant intentionales, ab obiecto circũquaque continuè proructatas, quæ sint non substantiæ, sed accidentia; de genere qualitatis: ipsarumque naturam in eo solùm consistere dicunt, quòd sint imagines, & participationes obiectorum modo quodam spirituali existentes in medio & in potentia, in quantum *primo*, i[illegible]nt veluti rationes quædam ac formæ puræ sine materia vt ait Aristot. *Secundo*, in quantùm non sentiuntur ipsæ: sed solùm sunt principium sentiendi, & obiecta repræsentant. *Tertio*, in quantum

seruiunt actioni spirituali, vel proximè ad spiritualem accedenti: cuiusmodi sunt actus vitales sensuum. *Quarto*, addunt aliqui esse illas à materia in qua sunt independentes: alij volunt eas esse quoque indiuisibiles: quod tamen alij negant: omnes tamen in eo conueniunt, quòd in medio sint totæ in toto & totæ in singulis eius partibus, sicut de lumine, quod à copore lucido emittitur, concedi necesse est. Dubitant tamen de ipsarum origine: sunt qui dicunt eas principaliter ab intelligentia quadam cœlesti produci: Suessanus putat eas à Deo solo effici. D. Thomas ait corporibus duplicem actionem competere, *vnam secundum proprietatem corporis*, vt scil. agat per motum; *alteram secundum quod attingit ad ordinem substantiarum separatarum, vt participant aliquid de modo ipsarum, sicut naturæ inferiores consueuerunt aliquid participare de proprietate naturæ superioris, vt apparet in quibusdam animalibus, quæ participant aliquam similitudinem prudentiæ, quæ propria est hominũ. Hæc autem est actio corporis, quæ non est ad transmutationem materiæ, sed ad quandam diffusionem similitudinis formæ in medio secundum similitudinem spiritualis intentionis, quæ recipitur in sensu, vel in intellectu, & hoc modo sol illuminat aërem, & color speciem suam multiplicat in medio.* de potent. q. 5.

§. 2.

De prædictis fertur iudicium.

CONCLVSIO prima, Haud probabile est ab obiectis perpetuas eradi atomorum quisquilias, ceu rasiles exuuias, vt voluere Democritus, & Epicurus, Id S. August. Ep. 56. inde refellit, quòd *venientes tam magna* (id est, tam multæ, ac tam immensæ) *in tam breuem animum, si corporeus, vt illi volunt, tam paruo corpore includitur, tota illa tangere non possunt*: atque id reuera modo etiam de animo brutorum, necnon & de nostris organis corporeis dici posset. Quomodo enim ex omnibus illis corporibus, quæ simul videntur, dum vastam planiciem terræ infinitis colorum, & formarũ generibus distinctam video, in indiuisibilem oculorum meatulum simul confluere possent? Cùm autem hi auctores velint cogitationem, siue iudicium de rebus sensu perceptis fieri, dum ad animum subtiliores adhuc atomi deferuntur, quam eæ sint, quæ ad sensus externos appelluntur. S. August. subdit: *Quæro vtrum etiam ab ipsis atomis affluant imagines? si affluunt, quomodo iam sunt atomi, à quibus aliqua corpora separantur? si non affluunt, aut potest aliquid sine imaginibus cogitari, quod vehementer nolunt; aut vnde norunt atomos, quas nec cogitare potuerunt? sed iam pudet me ista refellere, cùm eos non puduerit ista sentire, &c.*

Secundò, idem improbatur ex eo quòd vix explicari posset, cur illa ramenta non sentirentur per se, & vt coniuncta, quemadmodum vapores odoriferi, calor, frigus, &c. vti de lumine probauimus lib. de cœl. cap. 13. §. 2. Quibus hoc solùm hic addidero, saltem effug[illegible] non posse,

quia

quin illa corpuscula, quæ reflectuntur à speculo, viderentur, vti superficiei speculi circumfusa, & non vt profundiùs dissita.

Tertiò, maximè repugnat sensui, & rationi, quòd singulis momentis ac tandiu tot ac tam vasta ramenta, iugiterque ab eadem superficie discindantur, quemadmodum oporteret. Sumo enim vnum apiculum literæ in tabella quadam, quæ sit in publicum exposita: quot annis integris integer ipse videbitur? & interim singulis momentis non solùm vnum eius ramentum, sed tot, quot sunt puncta in circulo circunferentię maximæ, id est, remotissimæ, ex qua videri potest, nam si centrum oculi ponatur in quolibet tali puncto hinc per rectam lineam videbitur prædictus apiculus. Ergo ex eo ad illud atomica illa imago debebit profluere: & cùm quantò hæc circunferentia fuerit remotior, tantò etiam sit amplior, & consequenter, tantò plura in ea sint puncta: tantò etiam magis debebunt multiplicari atomi, quantò longiùs exporriguntur: finge modo 100000. puncta remotissimæ circunferentiæ respondere vni puncto circunferentiæ primæ & immediatæ, per quam incipiunt atomi spargi: tum vel 100000. atomi, quæ perueniunt ad 100000. puncta circunferentiæ vltimæ, simul emanant àb apiculo per vnicum illud primæ circunferentiæ punctum: vel vnica solum primò educitur, & ex ea defluunt aliæ: atque ex his aliæ similiter. Si primum dixeris, sequitur penetrari atomos illas 100000. Si secundum, ergo atomi non erunt atomi, vt optimè argumentatur S. August. suprà. Quòd si ex supputatione Gassendi, ex digitali candela vna hora delibrentur ex ordine 5470000000. membranulæ, id est, tot quot partes sensibiles terræ à sole percurruntur: saltem tot debebunt ab illo apiculo detergi. Imo infinitò plures, nimirum quot partes sensibiles primi mobilis percurruntur. Iam totidem non semel, sed toties, quot sunt in vltima circunferentia puncta, id est, infinities deradi debebunt. Cogita ergo, quam infinitus esse debeat pellicularum eiusmodi, quæ ex illo apiculo singulis horis profunderêtur, numerus. Cogita insuper, quot sint horæ in anno, imo in 100. quibus apex ille perpetuo visibilis manet, atq inuariatus. An possibile est vt tot detrahi possint ex illo apiculo particulæ, & tamen tandiu omnino integer maneat? an dices reparari eũ posse aliis atomis supercrescentibus? sed qua arte in eandem figuram, & mensuram, vt nec maior, nec minor, nec rubicunda, nec viridis, sed nigra solùm effigies fiat? &c. an imagines, aut literæ tanto cum artificio primum effictæ, postmodum sine arte, ac sine mente cum exactissima imitatione reficientur?

De Phys. Epic. fol. 243.

Dices, cur opus est, vt singulis momentis illæ atomorum defluxiones fiant? Resp. quia remoto alioquin obiecto, sensus non desineret: quemadmodum ablata re odorifera, percipitur aliquandiu pòst odor, quia vapor odorifer nec continuò, nec sic continuatè ad singula circunferentiæ suæ puncta directè funditur: sed halitus confertim primò eructantur, ac dein liberiùs laxantur, disperguntur que in aëre, qui inde totus odorifer redditur, etiam si non alij, & alij halitus perenniter fluant: quia priores aliquandiu permanent.

Quarto, idem præterea impugnatur, quòd non facile appareat: *primo*, qua vi atomi huiuſmodi diſcindantur à corpore ſolido, in quo ſunt. *Secundo*, qua etiam virtute tam rectè, ac tam celeriter in ſingula puncta circunferentiæ dirigantur; & ſic earum ſingulæ miſſiones diſtribuantur, vt duæ particulæ ad idem punctum, & per eandem lineam non tendant, ſed ſingulæ per ſingulas inconfuſe rectà pergant ad proprios diſtinctoſque terminos. *Tertiò*, cùm in ſphæra perceptibilitatis debeant ſurſum, deorſum, dextrorſum & ſiniſtrorſum dirigi, quodnam in apiculo principium aſſignabunt, à quo tam difformes motus producantur, tam celeriter, ac tam regulariter?

Quinto, cùm totæ ſuperficies obiectorum percipiantur à ſenſu continuatæ, ac non diſcretæ; deberent ſuperficioſæ illæ exuuiæ aut extimæ membranulæ totæ ſimul à reliquo corpore abripi, & ſic indiſcerptæ, ac indiuiſæ ad ſenſum porrigi, quod repugnat. Innumera ſunt eiuſmodi, quæ prædictam opinionem adeo rationi repugnantem efficiunt, vt meritò D. Auguſt. cit. eam inter *ſententiarum portenta numeret, quæ otia doctorum conterere potuerunt*. Quamobrem ne noſtrum magis conterant, his contenti ſimus.

Dices, quidni ſolis ignea vi poteſt aliquid è mixtis ſubito ſic rarefieri, ac tantùm, vt tenuiſſimæ particulæ ſufficiant ad replendum longiſſimum interuallum, ſicut videmus adlapſu ſcintillulæ in ſpiritum vitæ, illicò vaſtiſſimam flammam erumpere? idque videtur inde faciliùs ſuaderi, quòd nullum mixtum ſit, in quo non quidpiam ſubſtantiæ igneæ, ſiue proximè inflammabilis contineatur: id autem quod eiuſmodi eſt, an non poteſt facile rareſcere? Reſp. etſi nihil eo caſu forte appareat, quod repugnet: tamen ſuperfluum omnino id eſt, nec ſpeciei locum tenere poteſt. *Primo*, quia non poſſet hoc eſſe imago totius mixti, ſed ad ſummum ſubſtantiæ igneæ, à qua promicaret. *Secundo*, quia neque continuè, neque ſingulis inſtantibus nouæ particulæ tantũ rarefieri poſſent, vt ab obiectis tam immenſis, atque adeo diſtantibus iugiter emanarent ad oculum. *Tertio*, etiam per hoc reddi non poſſet ratio, cur aliæ ſpecies puncto temporis, ac rectâ lineâ tranſuolent ad ſenſum: aliæ vero non. *Quarto*, multo plures & ampliores æſtate quam hyeme producerentur ſpecies. *Quinto*, quia tales particulæ perciperentur ipſæ potius quam obiecta repræſentarent, &c. Quamobrem faceſſant eiuſmodi ſimulacra. An verò ex obiectis lucidioribus leues quædam flammulæ ſcintillare valeant, dicemus inferiùs, cum de coloribus loquemur.

CONCLVSIO ſecunda, probabilius eſt qualitates reales in medio non diffundi, quæ ſint eiuſdem rationis cum iis quæ ſunt in obiectis. Probatur breuiter, quia ſi color à colore, & odor ab odore generentur, neceſſe erit aërem, in quo fiet euadere formaliter coloratum, odoratum, &c. ſicut ex eò quòd calorem verum à calore recipiat, verè calidus efficitur: & ſane quid eſt coloratum, niſi id quod habet colorem? at ſi aër vicinus, ac proximus oculo coloratus fuerit, viſionem impediret, vt dicemus inferiùs. Tum cùm Deus & natura nihil fruſtra efficiant, non [illegible]

certè admittendæ illæ qualitates in medio, si nullum ibi effectum exerant: at secundum earum Authores nullum eæ ibi exerunt: siquidem neque aëri effectum vllum formalem imprimunt: neque vtiles sunt ad eliciendas sensuum actiones: ad quid ergo? quod verò dicunt eas ex naturali fœcunditate formarum oriri, quatenus formis omnibus naturale est, vt sese multiplicent: hoc, inquam, nihil est: nam vnde habent omnibus formis eam vim sese mulplicandi naturaliter competere? si non conuenit formis spiritualibus per se substantibus, vt Angelis; cur ex necessitate naturæ formæ omnes corporeæ, tātò illis inefficaciores, atque à puro actu remotiores hoc sibi priuilegium vindicabunt? quamobrem, quibus hoc conuenit, ex Dei prouidentia, opificioque conuenit: Deus autē nihil nisi propter finem aliquem efficit. Ergo si nullus possit assignari fructus talis multiplicationis, non est ea pro solo nutu admittenda. Denique si medium sic ab obiectis realiter immutaretur, contraria simul, eaque intensa susciperet: atque ex innumeris partibus in idem confluerent omnes cuiuscumque generis qualitates,

Quid ergo, an non vitrum coloratum colorat parietem? item si claudas cubiculum, vnumque in fenestra foramen exiguum reliqueris, atque supra illud chartam candidam appenderis, ita vt ab obiectis externis recta ad illam linea duci queat, eorum colores in ea charta pingentur. Respond. propter hæc experimenta multos concedere in sententiam Nominalium: sed non conuincunt: quia ea est luminis efficacia, vt quas secum defert species, reflecti quoque secum eas faciat magis vel minùs, prout magis, aut minùs perfectū, intensumque fuerit: atque etiam prout corpus, ex quo fit reflexio, magis aut minus tersum occurrerit. Ex speculo namque cum speciebus omnes colores distinctè cum distantia repræsentantibus reflectitur: ideo in eius profundo videntur obiecta: ex charta superposita foramini fenestrę reflectitur cum speciebus repræsentantibus colores, sed paulo confusiùs ac sine distantia. Ideo videntur in superficie tantùm: ex pariete vero soli radij directi cum speciebus colorem vitri reprę sentantibus reflectitur. Ad summum lux ipsa videtur potiùs tingi colorum differentiis, quam medium.

CONCLVSIO tertia. Probabile est dari species intentionales eo modo quo à tertia opinione defenduntur. Probatur in primis authoritate. Aristoteles namque illas euidenter adstruit *lib. 2. de anima t. 59.* dicens obiectum externum esse causam effectricem perceptionis sensuum: tum *text. 71* ait id quod colores suscipit, esse sine colore: & *text. 73.* ait, *color quidem mouet perspicuum, puta aërem: ab hoc autem continuo existente, mouetur sensus organum:* & hinc Democritum refellit, qui dicebat, si vacuum in mundo foret, vel formicam in Cœlo positam visum à nobis iri. *Hoc impossibile est*, inquit Aristot. *patiente enim aliquid sensitiuo, fit visio: ab ipso igitur, qui videtur, colore, impossibile est: relinquitur igitur, quod à medio:* & text. 121. *oportet igitur vniuersaliter de omni sensu accipere, quod sensus est id, quod est susceptiuum formarum sine materia, vt cera annuli, sine ferro & auro accipit signum: accipit autem aureum, aut aneum signum,*

sed non vt aurum, aut æs, &c. Denique lib. 3. ait sensibilia non esse in anima, & in sensu: sed formas ipsorum; *non enim lapis est in anima, sed species, & forma lapidis*: quid clarius? idem etiam fusè, ac disertè probat D. August. 11. de Trin. cap. 2. *hac ratione*, inquit, *colligimus nequaquam nos potuisse sentire*, nisi fieret in sensu nostro aliqua similitudo *conspecti corporis: neque enim cùm annulus ceræ imprimitur, ideo nulla imago facta est, quia non discernitur, nisi cùm fuerit separata, &c.* Ita quoque Plato manifestè in 6. de rep. *In genere visibili portio vna imagines continebit: voco autem imagines, primùm vmbras. Deinde simulacra, quæ in aquis apparent, & quæ in corporibus densis, lenibus, tersis, ac lucidis, & omne quodcumque tale, si tenes: portio verò altera comprehendet ea, quorum hæ similitudines quædam sunt, animalia, &c.*

Ratione item roboratur, *primo*, quia necesse est moueri sensum ab obiecto; alioquin cur eius præsentia tantopere exigeretur? at nihil agit in distans, nisi per medium vt probatum est in Physs. cap. 25. §. 2. Saltem actio agentis continuari debet in medio: vbi autem actio aliqua est, debet ibi & aliquis ab ea terminus, siue forma emanare: nam quid est actio, nisi forma emanans? Item obiecti actio in sensum, est assimilatrix; vt constat ex omnium opinione. Ergo eius terminus est imago, seu species: nec potest continuari actio, nisi per suam formam emanantem: vt enim ab vno instanti in aliud non potest continuari, nisi in medio interstitio forma eius iugiter fluat: ita neque ab vno loco in alium, nisi similiter in medio toto interuallo perpetuo fluat.

Secundo, ea fere omnia quæ à perspectiuis demonstrantur, species suadent: neque enim posset reddi ratio, cur obiectum videri debeat sub recta linea, vel si reflexe, sub his aut illis angulis, nisi veniat aliquid ab obiecto in medium, à quo, & reflecti queat seruatis aliquibus proportionibus geometricis: & quomodo quis in speculo videret ea quæ à tergo eius sunt? cur item in speculo fracto plures apparerent eiusdem rei repræsentationes? &c.

Tertio, idem quoque probatur ex actibus sensus interni: in confesso enim est apud omnes in memoria seruari rerum semel perceptarum imagines: illæ autem quid sunt? Item sensum in actu euadere rem perceptam: quomodo? an ita vt ipsiusmet forma naturali, realiue informetur? at hoc quis posset somniare? Restat igitur, vt eius formali similitudine informetur; hæc sunt argumenta præcipua quæ communem hanc opinionem sat probabilem reddunt.

§. 3.

Quid sint, & quibus modis explicari queant hæ species.

QVÆRITVR quid sint. Respondent Peripatetici eas esse qualitates: sed instatur: quænam sint, & quale obtineant esse in medio atque in organo? vidimus suprà secundum quosdam eas esse reales [illegible]litates

eiusdem naturæ cum obiectis, quæ proinde in medio & organo esse physicum, ac reale sortiantur: verùm id iam reiecimus. Ideo restant aliquot alij modi eas defendendi, vnus est Peripateticorum, alter Platonicorum.

Peripatetici communiter aiunt eiusmodi species esse qualitates quidem reales, quę ad tertiam speciem prædicamenti qualitatis pertineant: *esse* tamen *intentionale* solum habere in medio, & in organo: per hoc autem *esse intentionale*: non intelligunt aliquid oppositum enti reali; sed solùm quidpiam imperfectum, & degenerans à sua causa, quod non habeat esse fixum, sed iugiter ab ea manans. Hoc ergo modo species intentionalis dicitur esse qualitas realis, sed imperfecta, & alterius naturæ ab obiecto, à quo fluit, in medio, & in organo inhærens: sed cum perenni dependentia ab eodem obiecto, gerens tamen quendam ipsius characterem, ac veluti typum. Quamobrem si quæsieris an huiusmodi qualitates denominent subiectum, in quo sunt, Resp. negando, quia ob debile illud esse, quod habent, subiectum suum nullo modo censentur afficere.

Si secundò quæsieris, an sint diuisibiles ad diuisionem subiecti, R. affirmando, quia per se ab obiecto reuera corporeo, & diuisibili oriuntur: & in medio diuisibili excipiuntur, à quo pendent vt à subiecto; tum etiam quia franguntur, multiplicantur, commiscentur in speculis, vitris, &c. Nihilominus accedunt quadamtenus ad naturam rei spiritualis, & in esse cognoscibili trāseunt de genere rerum materialium ad aliud genus spiritualium; vt quemadmodum in ordine formarum substantialium dantur animæ viuentium, quæ indiuisibiliter in materia diuisibili vigent & operationes indiuisibiles edunt: sic in ordine accidentium, species illæ spiritualiter, & indiuisibiliter quodammodo in medio diuisibili, vt in subiecto propagentur. Ideo vt supra diximus à rebus materialibus emanant, non prout purè materiales sunt; sed potiùs, vt participant naturam rerum cœlestium: adeo vt velint aliqui virtute intelligentiarum has effici, quod equidem non reor. Et quidem si de speciebus, quæ inseruiunt visui, sermo fuerit, S. Thomas existimat eas virtute solis à coloribus emitti, quatenus scilicet ipsa luminis efficacitate fit, vt colores species multiplicent suas: lumen autem proprius effectus solis est. Reliquas verò fortè à cœlo per motum eius continuum pendere sufficiet: Cæterum, vt dixi probabile non est eas ab intelligentiis vllis emanare. Quoniam ipsæ nihil in hoc mundo visibili efficiunt præter motum: tum etiam quia id omnino frustrà fingitur. Denique hinc sequeretur rem materialem secundum se non esse sensibilem contrà Arist. & experimenta.

„ PLATONICI paulò aliter hoc explicant: negant enim tales in
„ medio species fundi, quæ sint qualitates propriè dictæ, reales formas
„ sine materia secum aduehentes, tanquam typi & formales ima-
„ gines obiectorum: sed simplicem quandam motionem, & virtua-
lem [illegible]am ob obiectis in sensus per determinata media deferri

,, affirmant: ita vt medium nullo modo patiatur: aut quidquam formę ,, accidentalis sibi inhærentis, aut ex se educendæ suscipiat. Hanc esse ,, veram sententiam Platonicorum existimo. In primis Plotinus Enn. 4. ,, l. 5. c. 1. *Forte*, inquit, *non necessarium est pati medium, dum quod passioni* ,, *naturaliter est expositum, velut oculus patitur: aut si tunc oculus patitur,* ,, *aliud quid iam patitur: quandoquidem neque calamus medius inter pis-* ,, *cem illũ stupefacientem nomine Narcem, atque manum patitur, quod ma-*
11 de Trin. cap. 2. ,, *nus ipsa patitur.* D. Aug. clarè loquitur, *cum aliquod corpus videmus,* ,, *hæc tria, quod facillimum est, consideranda sunt, & dignoscenda. Primo ip-* ,, *sa res quam videmus, siue lapidem, siue aliquam flammam, siue quid* ,, *aliud, quod videri oculis potest. Deinde visio, quæ non erat, prius quam rem* ,, *illam obiectam sensui sentiremus. Tertio quod in ea re, quæ videtur quan-* ,, *diu videtur, sensum detinet oculorum, id est, animi intẽtio. In his tribus non* ,, *solum est manifesta distinctio, sed etiam discreta natura, &c.* & infrà: *Hæc* ,, *igitur tria, corpus quod videtur, & ipsa visio, & quæ vtrumque coniun-* ,, *git intentio, manifesta sunt ad dignoscendum, &c.* Et licet admittat for- ,, mam aliquam speciemque sensui ab obiecto infigi; en tamen quo sen- ,, su id intellexerit: *nullo modo*, inquit, *eiusdem substantiæ est corpus, quo* ,, *formatur sensus oculorum, cum idem corpus videtur, & ipsa forma, quæ ab* ,, *eodem imprimitur sensui, quæ visio vocatur.* Ita sentire visus est Alex. ,, Aphrod. dum scribit medium nullum colorem patiendo recipere, sed ,, à coloribus moueri ad præsentiam, & habitudinem quandam ad cor- ,, pora colorata. Ita quoque Philoponus docet colores sic agere in sen- ,, sum visus, vt in perspicuum nullam affectionem immittant: sic alij ,, multi.

,, Probatur conclusio, quia qualitas secundum Arist. *c. de qualit.* est ,, qua denominamur quales, & ex D. Thom. ipsa est modus substantiæ. ,, Ergo repugnat esse qualitatem vllam in aëre à qua ipse non denomi- ,, natur talis: sed non denominatur à speciebus: Ergo, &c. *Confirmatur,* ,, vt nequit figura esse in aliquo, quin illud efficiat figuratum; neque ,, calor, quin calidum: sic nequit esse imago, quin simile illud reddat; ,, at species non reddit aërem obiecto similem. Ergo non datur.

,, *Secundo* probatur, quia vel sunt diuisibiles, vel indiuisibiles, at ,, neutrum dici potest: nam diuisibiles eas si dixeris, multa sequuntur ,, explicatu difficillima. In primis enim sequitur medium corporea cõ- ,, ditione per speciem affici, neque posse in quolibet puncto medij to- ,, tam vniuersi obiecti similitudinem figurari, sed vnam partem in vno ,, aliamque in alio: quomodo ergo per partes ita dispersas in pupilla ,, pene indiuisibili & ex quolibet puncto medij, non solum vnius, sed ,, innumerabilium obiectorum, longè, lateque patentium integra ma- ,, gnitudo percipietur? aut si omnes omniũ obiectorum partes simul in ,, quolibet puncto fuerint, quanta confusio! Præterea totidem solo nu- ,, mero distinctæ species erunt admittendæ, quot sunt puncta in medio ,, ex quibus obiectum eorum videri potest; & hoc est falsum. Ergo. Ma. ,, patet, quia alioquin quomodo sufficeret vnica, nisi transmigraret ẽ

subiecto in subiectum? quomodo item laxari, retrahi, huc & illuc dirigi posset, vt in tot diuersas pyramides aptari posset, quot in toto medio sũt puncta diuersa, ex quibus obiectum repręsentat? Min. suadetur, quia sic alię successiuè per alias multiplicarentur, & vim repręsentandi obiecta traducerent: & consequenter vltimæ solum mouerent sensum non primæ: tum si species solum repræsentat id à quo emanat, species vltimæ potius repræsentarent species priores, à quibus immediatè prodeunt, quam obiectum. Ita innumeræ oriuntur difficultates ex eo quod hæ species admittantur diuisibiles: si verò indiuisibiles admiseris; tunc maior difficultas orietur, quomodo scilicet ab accidente spirituali distinguãtur, & vnde illis hęc indiuisibilitas cõpetat cum enim sint ab obiecto diuisibili, & ita quidem vt quam vna eius pars emittit, non emittat altera, quomodo à tam diuersis partibus eiusdem totalis obiecti, species vna, eademque indiuisibilis deriuari poterit? recipitur etiam in subiecto diuisibili, atque etiam id essentialiter exigit.

Rursus huc deduci possunt argumenta Nominalium quæ sunt eiusmodi: quod repræsentat aliud debet esse primò cognitum: quoniam ita sese habet obiectiuè ad potentiam cognoscentem, vt cognoscẽs est. *Confirmatur*, videtur absurdum id per quod venimus ad cognitionem alterius, esse penitus incognitum: sed species quæ admittũtur à Peripateticis, sunt eiusmodi. Ergo non sunt ea ratione admittendæ: quomodo ergo?

Duplex est modus, alter videtur esse Plotini, alter Theophrasti: prior consistit in eo, quod obiectum per sympathiam agat in sensum: *Sensationes*, inquit Plotinus, *in nobis fiunt per vita cõmunis sympathiam quãdam, quæ ab vnica mundi anima* (aut certè melius per operationem spiritus vniuersalis, quo Deus vt instrumento vtitur ad omnes obeundas naturales actiones) *ad partes suas prouenit: efficitque vt tanta sit sensuum cum obiectis consensio, vt obiecta re sensus illam suapte natura comprehendat*. Hæc ille: nec omnino improbabiliter: potuit enim Deus res naturales condere sub tali ordine sympathetico, vt tale obiectum per tale, aut tale medium sensibus connexum, illico sine alia virtute diffusa sensus affici sese persentiscerent. Simile enim quidpiam Theologi admittunt in Angelis, vt vnus alium absentem compellare possit, ac alloqui. Neque potest id non videri probabile, cum dicamus id ex diuina ordinatione proficisci. Si enim Deus hoc ita voluerit statuere, vt ad præsentiam obiecti symmetrica ratione ad sensum compositi, sensus ab illo moueatur, an non diuina voluntas maximè efficax est? an non quidquid voluit fecit in cœlo, & in terra?

Alij malunt admittere quendam actum à medio independentem, per illud tamen deuectum, & iugiter fluentem ab obiecto vsque ad sensum, quem sic ex Theophrasto describit Priscianus Lydus, *Assero igitur quemadmodum res illuminans perficit diaphanum, dum videlicet rei illuminantis actus diaphano separabiliter adest, atque oculo per diaphanum; non quia diaphanum aliquid inde propriè passum fuerit, sed quoniam ipsum quoque per*

actum luminis separatum sit perfectum : ita colorem illustratum agere in diaphanum, actione videlicet separatim diaphano insidente, siue potiùs superuecta, qua quidem propterea non succedente per partes distributione, sed semel tota, simulque toti, vbique sit indiuiduè præsens ..... Quamobrem ipse coloris actus non mistus sit oculo præsens, quamquam non aliter præsens, quam diaphano vtens quasi curru quando quidem aduehit immixtum. Simile quid habet Philoponus dicens, non ipsos colores, sed colorum act° deferri per perspicuum. Simile quid docet D. Bonau. cum loquens de lumine ait id comparari ad aërem, sicut ad deferens solùm : non sicut ad subiectum : idque in medio *non habere principium materiale, ex q... sed potius originale à quo fluit.* Denique D. Thomas in 3. Meteor. lect. 6. volens probare, quod lumen habeat esse naturale ac reale in medio, & non solum intentionale vt species, ait *forma aliqua in eo habet esse reale, ac naturale, in quo generatur ab agente secundum naturam, secundum quod huiusmodi, per reductionem de potentia ad actum, &c.* Ergo secundum D. Thomam species intentionalis, quæ non habet in medio esse reale ac naturale, est aliquis actus non eductus è potentia subiecti, per quod transit.

Quid ergo est talis actus ? R. secundum Platonicos dari multos eiusmodi, quibus nulla alia conuenit ratio, nisi motionis, aut efficaciæ fluentis, quæ peculiare vnum prędicamentum *motus* constituat. Ergo emitti volunt ab obiecto arcanam quandam energiam, siue vim inde fluentem, ac progredientem in sensum ; vbi imprimit sui principij characterem, spiritusque sensórios imbuit propriis obiecti qualitatibus eo modo, quo dicemus inferius. Huiusmodi actus respondet motioni, quam Peripatetici admittunt in lapidé proiecto ; in penicillo pictoris, in ferro quod à magnete trahitur, in reti quod à torpedine alteratur, &c.

Huiusmodi porro actus distinguitur ab accidente absoluto, quod istud ex suo proprio fine fit actus, perfectioque subiecti, ceu modus eius, ac character commensuratus. Ille verò actus fluens ex suo fine ac secundum naturam nihil sit aliud quam virtutis actiuæ traiectio. Ideo formalem nullùm effectum exerit circa medium, in quo est; sed solum in subiectum, in quod dirigitur. Non est item substantia, quia non est quid subsistens : nec propria forma pollet : non creatur, quia exit è potentia eius, cuius est actus ; nec educitur ex medio, quia non habet ibi esse naturale ac immanens : sed transitorium solum ac fluens : neque eius origo ex medio est, sed solum ex obiecto : non potest tamen esse sine medio, quia actus est imperfectus. Simile quid dicunt aliqui Theologi dum asserunt gratiam non educi ex anima, sine qua tamen esse non potest, aut virtutem quandam diuinam fluere per sacramenta, à quibus non educitur, & in quibus nihil imprimit. Sic ergo possumus dicere obiecta per medium traiicere virtutem suam sine vlla immutatione medij : quę virtus sit indiuisibilis, vt supra dixit Priscianus. Neque officiunt argumenta relata §. 2. Nam in primis citatę authoritates solum declarant, quod obiectum moueat potentiam per tale, vel tale medium, & in sensu verè imprimat species, siue similitudines, quarum actuali impre... e fi...

ipsamet sensus perceptio, vt patuit ex ipsamet D. Aug. Addo forte etiam in quibusdam subiectis idoneis posse imprimi quiddam simile repręsentationibus, quæ fiunt in sensu, vt in speculis, in Echo, &c, quamquam neque hoc sit necessarium, vt videbimus.

Quod verò requiratur medium, inde est, quòd vis motiua obiecti per quidpiam sibi symmetricum deferri debeat, vti paulo superiùs diximus. Illud respectu colorum est diaphanum; respectu reliquorum obiectorum est quid innominatum, potestque respectu soni dici *resonabile*, resp. odoris, *odorabile*, &c. Ideo si vacuum intercederet, non fieret sensus.

Ad rationes Resp. ad primam moueri sensum ab obiecto per medium. cùm additur; *vbi est actio, debet hic aliquis ab ea terminus emanare.* Resp. vbi est actio tanquam in subiecto per se intento, & capaci, ibi est terminus: *Concedo*, vbi est, tanquam in puro medio: *Nego*, Dicis; obiecti actio est assimilatrix: *concedo*, sed subiecti proprij, non medij: *addis*: non potest continuari actio, nisi per formam: *Nego*: vel si malis distinguo sic, actio sumi potest duobus modis, i. in actu secundo, & vt cõpleta: & sic est ipsamet forma oriens è potentia: & talis nusquam est sine suo termino: ac per ipsum continuatur: *secundo*, prout est actus primus progrediens ab agente: seu vis ab hoc in illud transiens per virtutem intermediam, & sic potest esse, & continuari sine termino, per aliquid aliud sibi consentaneum.

Ad secundam Resp. ea omnia copiosè saluari ex eo quod tale, vel tale medium requiratur.

Ad tertiam Resp. species verè in sensu interno effici, sed non immediatè ab obiecto, verùm ab ipsis sensuum functionibus, vt à causis determinantibus, à phantasia verò, vt à causa effectrice: ideo imaginatrix dicitur, & à Platone in Sophista vocatur simulacrorum, & phantasmatum effectrix. Aristoles 2. de anima t.155. ait *phantasiam esse, qua phantasma in nobis fit*, quia vt interpretatur Simplicius ibid. *vbi excitata fuerit*, ex se *ipsa promit phantasmata, & effingit figuras, quæ vel æquè similes sunt sensibilium formis, vel aliquid amplius habent adiunctum.* Idem ait Priscianus Lydus cit. se phantasiam non accipere formas, & phantasmata ab externis, sed ex seipsa. Idem *Alex. Philoponus, Iamblicus*, &c. Cætera per se manifesta sunt. Habes diuersa dogmata, penes te sit eligere quod magis placuerit.

CAPVT XVIII.

DE VISV.

§. 1.

Quodnam sit eius organum.

PLATO in Timæo ſic oculorum, ac viſus naturam explanat. *Ex omnibus*, inquit, *faciei partibus primi Luciferi oculorum orbes coruſcant, hac cauſa dati; ignis certè illius, qui non vrit quidem, ſed illuminando ſuauiter diem inuehit mundo, participes oculorum orbes dij fecerunt. Intimum ſiquidem noſtri corporis ignem huius ignis germanum, ſincerumque per oculos emanare voluerunt, in quibus lenis, congeſtuſque vbique ignis huiuſmodi ſit: ſed per eorum duntaxat ſolidiorem, anguſtamque medietatem ignis purior euolet, craſſior verò cohibeatur.* Ita oculos planè igneos efficit: Ariſtoteles contrà organum videndi potius aqueum facit. Priùs autem quam ſoluamus hoc dubium, videndum eſt breuiter, quænam ſit oculi conſtitutio naturalis.

In primis conſtat tres eſſe in oculo humores, vnum qui cryſtallinus dicitur; alterum vitreum; tertium aqueum, ſeu albugineum. *Primus* eſt inſtar glaciei puriſſimæ lucidus, ac conſiſtens: ſecundus eſt inſtar vitri liquefacti, clarus quidem ac albus: tertius fluxus ac humeſcens.

Hi autem ſic diſponuntur: in centro rotundi oculi eſt ipſe cryſtallinus, quoque rotundus: cuius media pars ad cerebrum vergens tegitur humore vitreo: altera medietas tegitur tunica, quam vocant *araneam*, quia ſubtiliſſima eſt, ideoque pellucida, quamquam & fortiſſima: hæc ſeparata, ſi ſuper opacum ponatur, ſpeculum efficit. Pupilla igitur hanc cum cryſtallino complectitur.

Præterea neruus vocatus opticus, (eò quòd viſui ſeruiat:) è cerebro ad oculum venit per foramen, quod eſt in concauitate caluariæ: & quando eſt propè humorem vitreum, degenerat à natura nerui; ac dilatatus ambit eiuſmodi humorem vſque ad extremitates tunicæ araneæ, ipſam interim non ambiens araneam quoad vllam partem. Hoc integumentum, tunica retinea dicitur, quod ſimile ſit reti, vtpote variis arteriis diſtinctum: quæ ſpiritus & ſanguinem deferunt ad humorem hunc nutriendum.

Neruus opticus procedit à cerebro circundatus duabus tunicis exiſtentibus inter cerebrum & os caluariæ: datur & alia pellicula, quæ dicitur tunica vuea totum ambiens oculum, excepto foramine, quo via patet à cryſtallo ad obiecta. Ea nigra eſt inſtar vuæ: altera inſuper pellicula dilatatur circa totum oculũ, & dicitur cornea, media ſui p[arte] verſus

obiectum transparens: estque fortissima, ita vt in laminas, vt & cornu, diuidi queat; aliquando dicitur maior iris oculi, habetque diuersos colores in diuersis, & solis hominibus ex Aristotele. Est autem fortis, quia debet tueri reliqua, quæ sunt in oculo, ipsa existens extima: Ab aranea vsque ad corneam & vueam extenditur humor albugineus: ibi enim est quoddam spatium, cùm vuea sit amplior aranea: humor autem hic sustinet partes vueæ: humectat etiam crystallinum, & tunicam araneam: præterea tunica exterior capitis dicta pericranium extendit sese per oculum: estque pinguis & calida, vt eum foueat; ac proinde vocatur consolidatiua, coniuncta, adunata, necnon tunica alba: addunt alij vnam aliam tunicam superciliarem ab extremis araneæ ad vueam, exporrectam. Toletus ait esse potius venulas, quæ deferant alimentum ab vuea ad araneam.

Huic tunicæ albæ coniunguntur sex musculi, per quos spargitur neruus alius distinctus ab optico proueniens à cerebro per foramen caluariæ, quod paululum ad latus declinat: cùm opticus per foramen directè oppositum centro oculi ferri describatur, per eum autem communicantur spiritus, vti & per hoc foramen laterale veniunt lacrymæ inter tunicam albam, & palpebras, atque adeo extra oculum.

Per hosce musculos oculus sex motibus cietur, duo recti sunt, vnus sursum, alter deorsum: duo semicirculares nempe cum versus cœlum rotantur, aut cum versus terram: duo reliqui sunt obliqui: vnus ad nasum, alter ad oppositũ. Hæc autẽ omnia geminãtur in habẽtibus duos oculos.

Quamobrem duo sunt nerui optici vnus scilicet pro vno quoque oculo: sed ita primum sibi mutuò accedunt, vt in vnum desinere videantur, & coüniri: ac deinde rursus diducuntur; & quisque ad suum oculum pergunt: adeo vt dubitatum fuerit, vtrum in formam litteræ X. decussentur: neruo scilicet vno transeunte à parte dextra cerebri in sinistrum oculum: & altero à sinistra in dextrum: an verò solùm contingant sese, ac denuo reducantur in oculum collateralem dexter ad dextrũ: & sinister ad sinistrum: hoc tamen secundum videtur verius; sic tamen vt medulla vnius cum alterius medulla, quodammodo misceatur, possitque spiritus ab vno neruo in alterum fluere: vnde si vnus oculus læsus fuerit, licet optimè clausus teneatur, actio luminis per alterum suscepti, in hunc transmeat, & dolorem affert.

Musculi etiam adeo sunt inter sese connexi, vt vnus moueri nequeat, quin alij quoque congrua flexione adducantur: Rursus æquè semper necessariò distant, vt videlicet ambæ pupillæ eadem proportione indiuisibili obiecti motionem excipiat, quæ requiritur, vt vnum obiectum semel videri queat: vnde si hanc proportionem paululum immutaueris, oculos vi aliqua distorquendo, tunc idem obiectum duplex apparebit; duasque visiones mutuò sibi non communicantes exeret: sicut dum decussatis digitis, videmur palpare duas nuces, cum vnam duntaxat contingamus.

His positis ad propositam quæstionem veniamus, nimirum an orga-

l. 3. de vsu part. c. 10. num visus sit aqueum, an verò igneum.

In primis Galenus scribit, quam rationem habet sol in vniuerso, eandem obtinere oculum in homine, vt minore mundo: quia est organum lucidissimum, eoque soli quam simillimum: & Hippocr. ait visum esse ex æthere, olfactum ex aëre; auditum ex igne; gustum ex humido; tactú ex terra *l. de struct. hom.* quod autem hoc ita sit, probatur *primo*, experimento, quo sæpe igniculi ex oculis scintillare videntur etiam noctu, vt contingit in multis, dum irascuntur: *secundo*, quia Arist. id testatur, *cum oculus mouetur, ac torquetur, ignis species elucet, ac prodit, quod in tenebris, vel palpebris obductis vsuuenit.* Et infrà: *Quibusdam vulneratis in bello iuxta tempora, ita vt abscissi essent meatus oculorum, accidit fieri tenebras, sicut lucerna extincta, eo quod quasi laterna quadam, abscissum fuit perspicuum.* Ibidem item concedit nullam esse corporis partem, quæ tardiùs, & minùs quàm oculus, frigoris incommoda sentiat. Priscianus Lydus in Theophr. hinc illud probat, quòd cú sentire sit quodammodo agere, itemque pati, in adspectu siue oculus agat, siue color, eò certè facilior futura est actio, quo maior inter oculum, & colorem naturæ communio intercedet. At colores sunt veluti flammula quædam, fulgorque à singulis corporibus emanans, vt docet Plato in Timæo.

l. de sens. c. 2.

Præterea Galenus testatur multos esse, qui noctu è somno experrecti patefactis repentè palpebris magnam ante oculos lucem videre sibi viderentur. Et vidi ego aliquos, qui tantum luminis emittere aliquando solerent, vt aliquandiu clarè legere quamcumq; scripturam potuissent. Idem etiam Gal. asserit in suffusis saluam adhuc videndi vim existimari, si altero oculo clauso, alterius pupillæ foramen laxius appareret, quod à lucidó spiritu ex oculo prodeunte dilatatio eiusmodi efficiatur. In Leonibus etiam, & Pardis, aliisque animalibus, quibus oculi lucent, noctu circa pupillam splendidum orbem apparere, vbi eum ad nares contorserint. His adde quæ de C. Mario, Tib. Cæsare Augusto, & aliis scribi solent, quòd sc. eorum oculi, seu fulgetra coruscarent. Adde tandem quę de oculis felium potest quisque singulis noctibus experiri.

l. 7. de decr. Hippocr. & Plat.

l. 10. de vsu part. 5.

l. 1. de visu. Respondet Zabarella, lucere quidem oculos, sed luce aliena sicut vitrum, crystallum. &c. *Contrà.* Hæc solum emittunt lucem candidam, quia perspicua complanata sic radiant. Sed oculi rubeam, quod signum est ignis delitescentis. *Secundo*, vitrum non illuminat; illuminant oculi. *Tertio*, vitrum non splendet, nisi præsente aliquo corpore lucido, at oculi noctu lucent, &c.

Dices, etiam quercum pultridam, & noctilucam lucere noctu: an propterea ignem continent? Resp. ex Zabar. cit. in iis esse parum opaci terrestris, & plurimum aquæ, cui, inquit, commixtus est ignis, qui licet desierit esse ignis, aliquid tamen sui splendoris reliquit. Ergo quo quidpiam plus lucet, eo id magis igneum est: at cur ignis esse desiit? an quod in nullo mixto secundum substantiam amplius esse non possit? verum id falsum esse iam docuimus t. 5. c. 17. §. 3.

Propter hæc igitur Platonici volunt oculum esse igneæ constitutio-

nis: *ignisque luculentam qualitatem*, vt ait S. August. *velut eliquari, ac subuolare in excelsum cerebri locum, tanquam in cœlum corporis nostri; vnde & radij emicant oculorum, &c.* Hoc modo substantiã oculi talem statuunt, quę sydeream imitetur: sitque lucida, transparens, compacta, &c. sed in primis solaris luminis capax: cuique assint iugiter spiritus subtilissimi, calidi, lucidique, nec non & sicci: quorum virtute ipsa obiecti species, siue imago in organo recepta, cum adhuc corporea sit, repurgetur, & mirabili quodam modo in incorpoream commutetur, talisque ad animum tanquam ad iudicem ab ipsis spiritibus, quasi sensûs internunciis deferatur. Ideo neruis opticis, in quibus hi vigent maximè, oppilatis, aut stupefactis, licet cætera sana sint, visio impeditur. 7. in gen. cap. 15.

At ex altera parte Aristoteles Democriti partes aduersus proprium præceptorem tuetur: & oculum esse aqueum hisce potissimum argumentis conatur demonstrare: *primo*, quod defluit ex oculis cum læsi sunt, aqua planè videtur. *Secundo*, si oculus ignis esset, cur etiam in tenebris non cerneret? *nam adspectum extingui dicere in tenebris, cùm exit, id quod Timæus affirmat, prorsus nihil est, quæ enim extinctio luminis est? omne enim quod calidum & siccum est, vel humore, vel frigore extinguitur, vt ignis qui in prunis est, & flamma; quorum neutrum lumini contingit. Quod si forte id contingit, sed propter paruitatem id nos fugit: profecto & interdiu, & in aqua extingui lumen oporteret: & cùm gelu omnia obrigescunt, maximè tenebras existere.* lib. de sensu. & sensib. c. 2.

Verùm ad hæc Responderi potest pro Platone, quòd ignis, quo constant oculi, lenis admodum sit instar ætherij: ac talis naturæ, vt non à contraria qualitate, expugnetur; sed sola subiecti opacitate dissipetur, quemadmodum lumen.

Interim Iacobus Carpentarius in Alcin. cap. 15. Platonem cum Aristotele sic nititur conciliare, vt Platonem velit de solis spiritibus intelligi: Aristotelem verò de humore crystallino: atque ita verum esse, quòd spiritus sint ignei; humor verè ille aqueus: id quod etiam potest ex ipso Galeno confirmari. Quamquam enim is lib. de decr. Hipp. & Plat. defenderit contra Aristotelem oculi naturam esse igneam, tamen lib. 10. de vsu partium affirmat eam esse aqueam, propter humores, quibus oculus abundat.

Defendi sane id potest probabiliter, tametsi reuera dici possit etiam ipsam oculi substantiam ex naturali sua constitutione igneã esse. *Primo*, quia si solùm ratione spirituũ scintillaret, cur non etiam auditus, & alij sensus similiter promicarẽt? an non iis quoque seruiũt spiritus calidi? at forte non tam ignei: ergo naturâ suâ oculos spiritus magis igneos exigit? quare, nisi ob conformitatem, & sympathiam? *Secundo*, quia humor ille crystallinus, ex quo præcipuè natura oculi pensanda est, non est verè aqueus: sed solidus, durus, albicans, ac splendidus, & quidem adeo vt reliquas quoque oculi humores illustret: vnde ipsemet Zabarella fatet esse m[illegible]tũ, ac in eo aliquid ignis inesse, licet aqua, inquit, prædomi[illegible]: at quidni potius prædominabitur ignea qualitas in aqueã perspi-

cuitate? hoc profectò potius videtur exigere ipsa natura lucis, cui debet plurimum conformari. Deinde idem visus est aliquando Aristoteles ipse tenuisse: vlt. enim problem. ait *oculum esse ignem*: neque loquitur de spiritibus. *Deces*, Aristoteli non esse credendum, cùm non ex professo aliquid profert. Egregiam sanè laudem pro tanto Philosopho! vtitur, inquies, communibus sententiis in exemplum, sæpe non veris: bene est. Ergo communis ante ipsum hæc fuit sententia, atque non sine causa.

Dices denique organũ visus esse oportere in potentia solùm id, quod color est actu: at non potest esse in potentia color, nisi sit actu sub opposito coloris, & consequenter actu aqueum, Resp. Inde inferri, potius id debere esse aëriũ: quia aër magis est in potentia ad colorem, vt pote magis perspicuus. Resp. ergo organum affici debere vltima dispositione ad actum coloris exprimendum, quæ sane à temperata lucis, ignisve participatione pendet, vti à principio proximo.

Hic modo quæritur, quodnam sit proprium subiectum visionis: multi enim multa in hoc propositum adducunt: sed ne furfuribus pascamur. Resp. *primò*, haud satis congruè id quæri: siquidem visio non in organo propriè, tanquam in subiecto recipitur, sed in anima. Est enim actus vitalis, & consequenter spiritualis, saltem apud nos. Ergo solum in anima potest recipi: idemque proportione seruata dicendum erit de cæteris. *Secundò*, cum ad sensionem requiratur iudicium, & perceptio rei sentiendæ; ac præterea eiusdem assimilatio, siue perfectissima impressio virtutis obiectiuæ edita in organo. Quoad iudicium, & perceptionẽ admodum probabile est vtrumque exerceri per organum sensus communis, quod est in cerebro: nam ideo sensuum instrumenta eò desinunt: impressionem verò, quam assimilationẽ vocant, fieri in humore crystallino credederim. Ita enim Galenus, docẽs huius humoris gratia cæteras oculi partes esse factas, vt illum vel alant, vel contineant. *Lucidum enim* inquit *id esse, purum, & splendidum, quod facile, & syncerè à coloribus alterandum est, quia simile simili est familiare* Ita Vitello, Alhazen, & Aguilonius excellentissimi Optici. Ratio præcipua est, quia cùm à quolibet obiecti puncto infiniti radij prosiliant, etiam inde in externam oculi superficiem tot affluunt: quot in ea sunt puncta: ita summa confusio huiusmodi radiorum visualium fieret, nisi centrum esset aliquod, in quod à quolibet obiecti puncto vnicus solũ radius desinat, per quem illud distinctè videatur. At tale centrum est in ipso medio crystalloïdis. Idem tuetur Aristot. 1. de gen. anim. cap. 5. & 1. de hist. anim. cap. 9. &c.

8. de vsu p. cap. 6.

Zabarella vltrà crystalloïdem ait esse humorem vitreum satis profundum, vt radij promicantes ex obiectis, quæ pyramidis apicem pupillæ infigunt, ad tunicas interiores coloratas non pertingant: sed exinaniantur, ac dispereant in vitro: quia alioquin reflecterentur, & reflectione sua colores tunicæ reuibrarent in oculum, vnde visio impediretur.

Interim nosse quoque oportet antiquis quibusdam Platonicis visum fuisse, quòd illa similitudo recipiatur in actu vitali animæ, qu[illegible] sci[illegible] cet corpori vitaliter, atque animaliter copulatur: supponunt enim.

mam non formari ab obiectis, sed habere secum rationes rerum sentiendarum, quas, dum coextenditur corpori, è statu potentiali reducit in actualem: *Anima*, inquit Priscianus, *propterea dicitur rei sentiendæ speciem possidere, quòd illius proferat rationem: nec vllo modo tanquam ab illa formam aliquam velut à sigillo suscipiens. Ratio permanet intus, & essentialis est anima: vita verò quæ complet animal, à rationibus quidem dependet essentialibus insuspensa: secundum vero extensionem quandam ad corpus subsistit: & hæc quoque sensualis est, & terminus, perfectioque animalis: quocirca in hac vita rei sentiendæ similitudo perficitur. In instrumento autem est imperfecta, atque cum passione miscetur actio: & passio quidem incidit ab externis: actio vero procedit à vita. Item species quidem in vita est animalis: iudicium vero, cogitatioque in ipso rationis actu consistit.* Sunt tamen alij, qui putant in spiritibus, alij in neruis principalem organi immutationem, è qua resultat sensus agnitio, contingere Aguilonius suprà cit. lib. 1. licet admittat principium visus fieri in crystalloïde, tamen prop. 27. maximè illum aic fieri in ea nerui optici parte, quæ aranea dicitur: quia, inquit, in eo maximè fit visio, quod maximè patitur; sed talis est eiusmodi neruus. Ergo. Verum non hic de passione solùm agitur: nam hoc ad genericam tactus rationem, quæ omnibus sensibus communis est, pertinet: sed distincta, & vitalis obiecti assimilatio, siue vltima energiæ obiectiuæ impressio per distinctam radiorum eius terminationem attendenda est: quæ maximè fit in crystalloide: ideo prima expositio mihi probabilior videtur. Cæteraque potiùs crediderim esse instrumenta huius principalis impressionis edendæ, non vero subiectum: summùm aranea potest vtilis esse ad actionem obiecti forte roborandam, & intendendam: quod facile concedetur.

in Theoph. de anima cap. 5.

Sed Dices, cum geminus sit humor ille crystallinus, duplex quoque imago sigillabitur: cur ergo duplex visio non fiet? Resp. huius quæsiti declarationem euidentius apparituram, cum sequentes difficultates expenderimus.

§. 2.

De obiecto visus.

NEMINI dubium est duo præcipuè, visum mouere, lucem scil. & colorem: ex quibus vnicum resultat obiectum adæquatum: color illustratus, siue lux colorata: neque enim color vllus sine lumine: neque lux sine colore aliquo cernitur. Ideo lux meritò quasi ratio formalis, *qua*, quid visibile efficitur: color verò, vt res *quæ* visibilis est, considerantur. Neque opus est, vt in his diutius immoremur: difficior imminet quæstio, quid sit color.

De hoc enim diuersa sensere Philosophi. Alij enim nihil eum, nisi externam, & apparentem corporis superficiem esse dixere: alij atomorum nescio quam modificationem, quæ ineffabili battologia explicabatur: & reperias modo aliquos alioquin doctos, qui talia de coloribus com-

miniſcuntur, vt ineptius nihil, nihilque fabuloſius fingi queat: quibus omiſſis ſolum venio ad ſolidiores opiniones, quæ duæ ſunt: altera Platonis; Ariſtotelis altera: ille voluit colorem eſſe lucis participationem in corpore perſpicuo terminato, ſeu flammulam è ſingulis corporibus emanantem. Hic verò, ſolum dixit eum extremitatem eſſe perſpicui in corpore terminato. Has nos explicare oportet: ſed quia tria ſimul inuoluuntur, nempe *lumen, perſpicuum, color*: ſingula paucis explicemus.

De lumine iam abunde multa diximus in lib. de Cœlo cap. 13. & in meteor. cap. 22. §. 1. ſolumque pauca ſubnotauero: primum eſt lucem, à qua promicat lumen, ſumi ſolere duobus modis: primo prout eſt proprietas corporis lucidi; & ſic eſt qualitas: ſecundo pro ſubſtantia, cuius eſt proprietas; ſicut humor aliquando pro aqua; aliquando, pro eius proprietate vſurpatur: quo etiam modo ſolet ſubſtantia ſubtilis intelligi. In eo igitur ſecundo ſenſu inuenies aliquando lucem accipi, vt quando D. Auguſt. ait hominum ſenſus nihil poſſe cogitare *niſi corpora, ſiue iſta groſsiora, ſicut ſunt humor, aut humus; ſiue ſubtiliora, ſicut aër, & lux: ſed tamen corpora.* Vnde quidam olim exiſtimauere lucem eſſe formam ſubſtantialem corporis omnium nobiliſſimi, cuius participatione maiori, vel minori corpora eſſe nobilius, aut vilius ſortirentur. Ideoque empyreum totum ex luce; terram verò, fere totam ſine luce exiſtere: cætera ex his plus, minuſve conſtare. Quod verò nihil ſit expers lucis, inde probari poſſe, quod nullum ſit corpus opacum, quod ſi multum expoliatur, lucidum non euadat. Hanc opinionem citat, & probabilem æſtimat S. Bonauent. & ſubdit hæc; *ſicut lux incorporata eſt principium coloris in ipſo corpore terminato, qui quidem color eſt accidens, & paſſibilis qualitas; & ſenſu percipitur: ſic etiam in corpore luminoſo eſt principium cuiuſdam fulgoris, qui ad modum coloris eſt accidens, &c.*

Ep. 3. ad Voluſianum.

in 2. d. 13. a. 2. q. 2.

Secundo notari velim ab eodem Seraphico Doctore lumen, quod è luce fulgurat ſic optimè declarari: *Lumen*, inquit, *in medio dicit virtutem actiuam egredientem à corpore luminoſo, per quam corpus luminoſum agit, & imprimit in hæc inferiora, & hæc eſt virtus ſubſtantialis ipſi corpori. Et de hac dicit D. Damaſc quòd lumen quod eſt ex igne, non eſt aliquid miniſteriale ipſius ignis, vel accidentale: ſed virtus ei connaturalis, & conſubſtantialis, &c.* nimirum, vt Platonici dicunt: *ſed etiam dicit quandam qualitatem ſenſibilem, qua ſenſus viſus efficietur ſentiens in actu, & illa eſt qualitas accidentalis, in tertia ſpecie qualitatis, &c.* Hinc ait lumen *ad aërem comparari non ſicut ad primum ſubiectum, ſed ſicut ad deferens, & ad medium ..... vnde lumen in medio non habet principium materiale ex quo, ſed potius originale, à quo fluit.* denique paulò inferiùs diſtinguit lumen ab accidente naturali, *quia iſtud ſuſtinetur, & dependet ab eo, in quo eſt principaliter, & ei coniungitur inſeparabili vinculo. Lumen verò quamuis ſit in aëre, cauſatur à corpore luminoſo, & ab illo principaliter dependet: nec eſt in aëre ſicut in ſuſtentante, ſed ſicut in deferente: & ideo durationem, & mutationem, & numerationem potius recipit à lucido influente, quam ab aëre ſuſcipiente.* Hactenus D. Bonauentura luminis naturam explicare conatus eſt modo

lib. 2. cap. 7. & 9.

satis consentaneo iis, quæ iam alias diximus, cùm autem negat omnino lumen ex aëre tanquam è principio materiali educi: solùm vult principaliter pendere à lucido: atque ab eo iugiter fluere: ideoque non sortiri aliquod esse fixum in subiecto: vti diximus lib. de Cœlo cap. 13. vide quod diximus suprà cap. 17. §. 3. ex Prisciano.

Perspicuum 2. de anima definitur corpus transparens, non coloratum ex se, sed aptum ad recipiendos omnes colores. Huius formale dicitur lumen: hoc enim definitur *actus perspicui*, materiale est corpus lumini peruium, vt aqua & aër. Est autem duplex perspicuum, vnum indeterminatum, quod propriis caret terminis, sicut aër & aqua. Alterum est terminatum, quod suis figuris, & terminis definitur, vt solida, quæ lumen solùm recipiunt in extima superficie, non quidem mathematicè indiuisibili, sed physicè: itavt parua diuisibilitas reputetur pro nulla. Terminari autem potest perspicuum, vel ob solam partium condensationem sub raritate, quæ sit qualitas. Sic astra sunt corpora perspicua terminata: vel per immixtionem corporis opaci, vt fit in speculis. Hæc iterum mixtio dupliciter fit, vel cum corruptione elemētorum, quæ miscentur, vt fit in mixtis: vel ita vt quædā elementata immisceantur elementis perspicuis absque corruptione: quod quoties contingit, perspicua ex huiusmodi accessione opaci fiunt alba, vel circiter: vt aqua congelata, & nix: iis enim admiscentur aliqui fumi, seu halitus terrestres, quamquam rarissimi. Dum corrumpuntur elementa, mixtum suscipit diuersos colores: sed tunc semper aliquid lucis igneæ cum opaco terreo, & perspicuo aërio, vel aqueo contemperatur: & ex varia horum symmetria diuersæ colorum species resultant: vti mox exponemus. Si verò igni admisceatur leuis opacitas emittet candorem splendentem, vt flamma; si maior; rubet vt carbo.

4 Hinc facile discemus, quid sint colores, & quomodo fiant. Cum enim ex dictis pateat corporibus omnibus lucem quandam, siue magnam, siue paruam insitam esse, hæc certè conspicua, siue colorata efficere valet corpora, quibus inest: Ideo color rectè definiri potest *flammula*, id est, splendor *è singulis corporibus procedens, quæ visui accomodata sit*: eóque respexit Auicenna, cum definiuit colorem *qualitatem, qua percipitur ex luce.* Quamobrem melius putauerim sic definiri, quàm dum dicitur *extremitas perspicui in corpore terminato*: nam vel colores sunt formaliter completi sine lumine: vel lumen est forma colorum: si secundum, debuit hoc exprimi in definitione: & præterea poterit esse huiusmodi extremitas sine colore, vt in tenebris: ergo tota definitio subsisteret sine natura rei definitæ: Si primū, reuera erit color etiam in profundo corporum: & an non internæ partes mali granati rubræ sunt? an non trans corpora diaphana intus videtur alius color? scio Zabarellam respondere non esse colorem, nisi qui externæ superficiei suffunditur: in cæteris verò partibus inesse quidem potestate colorem, at non actu: sed quid de iis coloribus, qui trans perspicua collucent? apparentes inquiunt, sunt; nos de veris & realibus loquimur: sed quid si non differant formaliter?

& sane quî poterunt differre, si lumine ambo finiantur? aut si veri colores sine lumine formalem habent coloris essentiam, cur non internæ mali granati partes actu rubeæ dicendæ erunt? Sed quæstio hæc haud leuis est: paulò copiosiùs est discutienda.

Quæritur ergo vtrum color formaliter per lumen constituatur: communis sententia recentiorum id negat: secus verò id affirmant antiqui: Auicenna, Auempace, Albertus, &c. volebant colorem nihil aliud esse, quam participationem lucis in perspicuo terminato: siue lucem refractam, & diuersimodè participatam. D. Thomas idem sentit, dum ait colorem nihil esse, nisi lucem obscuratam ex admixtione corporis opaci. Addit tamen Albertus præter formale coloris, quod est lumen, præsupponi debere dispositionem quandam resultantem ex mixtione primarum qualitatum, nimirum ex ignea luce, perspicuitate aquea, vel aërea, & opacitate terrena: eam autem dispositionem vult esse qualitatem, eamque permanentem. Ita quoque Iauellus, & Zabarella.

2. l. de anim. lect. 14.

in 2. de animal. lib. 1. de visu.

CONCLVSIO. Probabilius est coloré formaliter constitui lucis participatione, vt verè sit *lux participata in perspicuo apto ad mouendum visum.* Probatur; *primo*, ex Aristot. qui lib. de sens. & sensat. ait, *quemadmodum in aëre hoc quidem lumen est, hoc tenebræ; sic & in corporibus album, & nigrum.* q. d. præsentia luminis in corpore terminato creari albedinem, absentia verò, nigredinem. Idem docet S. Th. lect. 6. in 3. meteor. vbi probat colores iridis habere essentiam & formam veri coloris, licet secundum esse debile. *Quia*, inquit, *in iride actu concurrunt omnia principia coloris secundum veritatem*: scilicet *perspicuum aliquo modo terminatum in ratione materiæ; & lumen ibi existens actu in ratione formæ.*

Secundo, quia color ab eodem definitur *motiuum perspicui secundum actum suum.* q. d. colorem esse formaliter id, quo potentiam habet visum immutandi. Atqui hoc non est aliud quam lumen: ab eo enim solo color habet, vt sit visibilis. *Confirmatur*, quia ex eodé color est per se ac per essentiam visibilis. Ergo quidquid est per se visibile, est essentialiter color. Atqui lumen in opaco est per se visibile. Ergo est essentialiter color.

2. de anim. cap. 7.

Tertio, in quibusdam corporibus non terminatis, vt nubibus sola præsentia luminis creat albedinem; eiusdemque absentia nigredinem. Ergo quidni etiam in terminatis? præterea luna est perspicuum terminatum, sed constat sola luminis lunaris præsentia resultare in ea candorem. Item cum parum de vino rubeo infunditur in puro vitro, sol penetrans vitrum, generat in fundo albedinem: si verò multùm infundatur, albedo in fundo non ampliùs micabit. Quare? quia lux penetrare non potest, vt in fundo refringatur, aut dilatetur.

Dices, hosce colores esse solùm apparentes: *contrà*, quidquid est verè visibile, est verè color: alioquin videretur aliquid reuera carens ratione constitutiua obiecti visibilis: sed illi colores, quos vocas apparentes, verè ac realiter visibiles sunt. Ergo,

Verum è contrario multa obiiciuntur: *primo*, omnis partici[illegible]

cis splendet: sed non omnis color splendet: &c. Ergo. *Secundo*, color & lumen sunt species disparatę. Ergo vna non potest definiri per aliam. *Tertio*, omne lucidum etiam noctu cernitur, vt oculi felis, noctiluca, &c. sed color noctu non cernitur: Ergo. *Quarto*, color est qualitas orta ex mixtione primarum; non lumen. *Quinto*, idem nequit dare essentiam duobus contrariis: at album & nigrum sunt contraria: ergo nequeunt ab eadem luce opposita sortiri naturam: *confirm.* contraria contrariis principiis formalibus constituuntur, sed lumen non est lumini contrarium: ergo lumen non potest esse principium formale albi, & nigri. Denique colores manent: absurdum enim esset absente lumine omnia esse pariter coloris expertia: hoc enim perinde esset, ac si quis diceret omnia musica instrumenta fistulas scilicet, lyras, cymbala, &c. donec flatus, aut pulsus aduenerit ex æquo esse insonora.

R. hæc minimè vrgere, si naturam coloris exactè nouerimus: est enim qualitas, siue perfectio corporum, qua videlicet ipsa proximam potestatem habent terminandi visum. Quæ quidem potestas vlteriùs exigit actum illuminationis, vt actu queat organum visus mouere: vt inde intentio excitetur. Quamobrem color per se distingui debet ab actu illuminationis: tamen quandoque eodem actu constituitur in esse coloris, quo fit actu motiuus organi visiui: hoc autem sic explicatur: suprà distinximus lucem à lumine: diximusque omnia corpora lucis aliquali participatione pollere: distingui ergo debet lux interna, (quæ qualitas quædam ignea est aliquali opaco immixta:) à lumine, quæ actus est diaphani. Quandoque autem lux illa intrinsecè participata ita debilis est, vt nequeat mouere visum nisi corroborata externo lumine, & hæc constituit colores permanentes: aliquando ita viuax, & intensa, vt sola sufficiat, vt in carbone, oculo felis, &c. aliquando nulla, vel fere nulla lux interna est; cùm tamen reliqua contēperatio perspicui cum opaco subjaceat; & tunc adueniens lumen, vtrumque præstat; vim terminandi, ac specificandi visionem conciliat, vnde fit color; & actum insuper mouendi organum affert, vt in nubibus, collo columbæ, &c. In quibus meminisse oportet, quod diximus in meteor. cap. 22. §. 1. scil. diuersas reflexiones, seu refractiones æquiualere posse opaco. Quo fit, vt ex diuerso adspectu diuersi colores appareant.

Hæc confirmantur ex D. Th. in 3. meteor. lib. 6. vbi colores apparentes distinguit à permanentibus ex eo solùm, quòd illi proueniant ex lumine quodammodo extrinsecus solùm, & secundum diuersos situs incidente: isti verò ex lumine intrinseco, & fixo.

Hinc ad argumenta Resp. ad primum nego Ma. sola enim ea splendent corpora, quæ rara sunt, quibusque cum tenuitate partium insunt pori recti & æquales: alioquin si obliqui, confusi & inæquales, haud radiant.

Ad secundum, Resp. verum esse Antecedens de colore, & lumine externo, falsum de luce interna.

Ad tertium, Resp. nego Ma.

CAPVT XVIII.

DE VISV.

§. I.

Quodnam sit eius organum.

PLATO in Timæo sic oculorum, ac visus naturam explanat. *Ex omnibus, inquit, faciei partibus primi Luciferi oculorum orbes coruscant, hac causa dati; ignis certè illius, qui non vrit quidem, sed illuminando suauiter diem inuehit mundo, participes oculorum orbes dij fecerunt. Intimum siquidem nostri corporis ignem huius ignis germanum, sincerumque per o ulos emanare voluerunt, in quibus lenis, congestusque vbique ignis huiusmodi sit: sed per eorum duntaxat solidiorem, angustamque medietatem ignis purior euolet, crassior verò cohibeatur.* Ita oculos planè igneos efficit: Aristoteles contrà organum videndi potius aqueum facit. Priùs autem quam soluamus hoc dubium, videndum est breuiter, quænam sit oculi constitutio naturalis.

In primis constat tres esse in oculo humores, vnum qui crystallinus dicitur; alterum vitreum; tertium aqueum, seu albugineum. *Primus* est instar glaciei purissimæ lucidus, ac consistens: secundus est instar vitri liquefacti, clarus quidem ac albus: tertius fluxus ac humescens.

Hi autem sic disponuntur: in centro rotundi oculi est ipse crystallinus, quoque rotundus: cuius media pars ad cerebrum vergens tegitur humore vitreo: altera medietas tegitur tunica, quam vocant *araneam*, quia subtilissima est, ideoque pellucida, quamquam & fortissima: hæc separata, si super opacum ponatur, speculum efficit. Pupilla igitur hanc cum crystallino complectitur.

Præterea neruus vocatus opticus, (eò quòd visui seruiat:) è cerebro ad oculum venit per foramen, quod est in concauitate caluariæ: & quando est propè humorem vitreum, degenerat à natura nerui; ac dilatatus ambit eiusmodi humorem vsque ad extremitates tunicæ araneæ, ipsam interim non ambiens araneam quoad vllam partem. Hoc integumentum, tunica retinea dicitur, quod simile sit reti, vtpote variis arteriis distinctum: quæ spiritus & sanguinem deferunt ad humorem hunc nutriendum.

Neruus opticus procedit à cerebro circundatus duabus tunicis existentibus inter cerebrum & os caluariæ: datur & alia pellicula, quæ dicitur tunica vuea totum ambiens oculum, excepto foramine, quo via patet à crystallo ad obiecta. Ea nigra est instar vuæ: altera insuper pellicula dilatatur circa totum oculũ, & dicitur cornea, media sui p[...]te versus

obiectum transparens: estque fortissima, ita vt in laminas, vt & cornu, diuidi queat; aliquando dicitur maior iris oculi, habetque diuersos colores in diuersis, & solis hominibus ex Aristotele. Est autem fortis, quia debet tueri reliqua, quæ sunt in oculo, ipsa existens extima: Ab aranea vsque ad corneam & vueam extenditur humor albugineus: ibi enim est quoddam spatium, cùm vuea sit amplior aranea: humor autem hic sustinet partes vueæ: humectat etiam crystallinum, & tunicam araneam: præterea tunica exterior capitis dicta pericranium extendit sese per oculum: estque pinguis & calida, vt eum foueat; ac proinde vocatur consolidatiua, coniuncta, adunata, necnon tunica alba: addunt alij vnam aliam tunicam superciliaram ab extremis araneæ ad vueam, exporrectam. Toletus ait esse potius venulas, quæ deferant alimentum ab vuea ad araneam.

Huic tunicæ albæ coniunguntur sex musculi, per quos spargitur neruus alius distinctus ab optico proueniens à cerebro per foramen caluariæ, quod paululum ad latus declinat: cùm opticus per foramen directè oppositum centro oculi ferri describatur, per eum autem communicantur spiritus, vti & per hoc foramen laterale veniunt lacrymæ inter tunicam albam, & palpebras, atque adeo extra oculum.

Per hosce musculos oculus sex motibus cietur, duo recti sunt, vnus sursum, alter deorsum: duo semicirculares nempe cum versus cœlum rotantur, aut cum versus terram: duo reliqui sunt obliqui: vnus ad nasum, alter ad oppositũ. Hæc autẽ omnia geminãtur in habẽtibus duos oculos.

Quamobrem duo sunt nerui optici vnus scilicet pro vno quoque oculo: sed ita primum sibi mutuò accedunt, vt in vnum desinere videantur, & coüniri: ac deinde rursus diducuntur; & quisque ad suum oculum pergunt: adeo vt dubitatum fuerit, vtrum in formam litteræ X. decussentur: neruo scilicet vno transeunte à parte dextra cerebri in sinistrum oculum: & altero à sinistra in dextrum: an verò solùm contingant sese, ac denuo reducantur in oculum collateralem dexter ad dextrũ; & sinister ad sinistrum: hoc tamen secundum videtur verius; sic tamen vt medulla vnius cum alterius medulla, quodammodo misceatur, possitque spiritus ab vno neruo in alterum fluere: vnde si vnus oculus læsus fuerit, licet optimè clausus teneatur, actio luminis per alterum suscepti, in hunc transmeat, & dolorem affert.

Musculi etiam adeo sunt inter sese connexi, vt vnus moueri nequeat, quin alij quoque congrua flexione adducantur: Rursus æquè semper necessariò distant, vt videlicet ambæ pupillæ eadem proportione indiuisibili obiecti motionem excipiat, quæ requiritur, vt vnum obiectum semel videri queat: vnde si hanc proportionem paululum immutaueris, oculos vi aliqua distorquendo, tunc idem obiectum duplex apparebit, duasque visiones mutuò sibi non communicantes exeret: sicut dum decussatis digitis, videmur palpare duas nuces, cum vnam duntaxat contingamus.

His positis ad propositam quæstionem veniamus, nimirum an orga-

l. 3. de vsu part. c. 10. num visus sit aqueum, an verò igneum.

In primis Galenus scribit, quam rationem habet sol in vniuerso, eandem obtinere oculum in homine, vt minore mundo: quia est organum lucidissimum, eoque soli quam simillimum: & Hippocr. ait visum esse ex æthere, olfactum ex aëre; auditum ex igne; gustum ex humido; tactú ex terra *l. de struct. hom.* quod autem hoc ita sit, probatur *primo*, experimento, quo sæpe igniculi ex oculis scintillare videntur etiam noctu, vt contingit in multis, dum irascuntur: *secundo*, quia Arist. id testatur, *cum oculus mouetur, ac torquetur, ignis species elucet, ac prodit, quod in tenebris, vel palpebris obductis vsuuenit.* Et infrà: *Quibusdam vulneratis in bello iuxta tempora, ita vt abscissi essent meatus oculorum, accidit fieri tenebras, sicut lucerna extincta, eo quod quasi laterna quadam, abscissum fuit perspicuum.* Ibidem item concedit nullam esse corporis partem, quæ tardiùs, & minùs quàm oculus, frigoris incommoda sentiat. Priscianus Lydus in Theophr. hinc illud probat, quòd cũ sentire sit quodammodo agere, itemque pati, in adspectu siue oculus agat, siue color, eò certè facilior futura est actio, quo maior inter oculum, & colorem naturæ communio intercedet. At colores sunt veluti flammula quædam, fulgorque à singulis corporibus emanans, vt docet Plato in Timæo.

l. de sens. c. 2.

Præterea Galenus testatur multos esse, qui noctu è somno experrecti patefactis repentè palpebris magnam ante oculos lucem videre sibi viderentur. Et vidi ego aliquos, qui tantum luminis emittere aliquando solerent, vt aliquandiu clarè legere quamcumq; scripturam potuissent. Idem etiam Gal. asserit in suffusis saluam adhuc videndi vim existimari, si altero oculo clauso, alterius pupillæ foramen laxius appareret, quod à lucidò spiritu ex oculo prodeunte dilatatio eiusmodi efficiatur. In Leonibus etiam, & Pardis, aliisque animalibus, quibus oculi lucent, noctu circa pupillam splendidum orbem apparere, vbi eum ad nares contorserint. His adde quæ de C. Mario, Tib. Cæsare Augusto, & aliis scribi solent, quòd sc. eorum oculi, seu fulgetra coruscarent. Adde tandem quę de oculis felium potest quisque singulis noctibus experiri.

l. 7. de decr. Hippocr. & Plat.

l. 10. de vsu part. 5.

l. 1. de visu. Respondet Zabarella, lucere quidem oculos, sed luce aliena sicut vitrum, crystallum. &c. *Contrà.* Hæc solum emittunt lucem candidam, quia perspicua complanata sic radiant. Sed oculi rubeam, quod signum est ignis delitescentis. *Secundo*, vitrum non illuminat; illuminant oculi. *Tertio*, vitrum non splendet, nisi præsente aliquo corpore lucido, at oculi noctu lucent, &c.

Dices, etiam quercum pultridam, & noctilucam lucere noctu: an propterea ignem continent? Resp. ex Zabar. cit. in iis esse parum opaci terrestris, & plurimum aquæ, cui, inquit, commixtus est ignis, qui licet desierit esse ignis, aliquid tamen sui splendoris reliquit. Ergo quo quidpiam plus lucet, eo id magis igneum est: at cur ignis esse desiit? an quod in nullo mixto secundum substantiam amplius esse non possit? verum id falsum esse iam docuimus t. 5. c. 17. §. 3.

Propter hæc igitur Platonici volunt oculum esse igneæ constitutio-

nis: *ignisque luculentam qualitatem*, vt ait S. August. *velut eliquari, ac subuolare in excelsum cerebri locum, tanquam in cœlum corporis nostri; vnde & radij emicant oculorum, &c.* Hoc modo substantiā oculi talem statuunt, quę sydeream imitetur: sitque lucida, transparens, compacta, &c. sed in primis solaris luminis capax: cuique assint iugiter spiritus subtilissimi, calidi, lucidique, nec non & sicci: quorum virtute ipsa obiecti species, siue imago in organo recepta, cum adhuc corporea sit, repurgetur, & mirabili quodam modo in incorpoream commutetur, talisque ad animum tanquam ad iudicem ab ipsis spiritibus, quasi sensûs internunciis deferatur. Ideo neruis opticis, in quibus hi vigent maximè, oppilatis, aut stupefactis, licet cætera sana sint, visio impeditur. *7. in gen. cap. 15.*

At ex altera parte Aristoteles Democriti partes aduersus proprium præceptorem tuetur: & oculum esse aqueum hisce potissimum argumentis conatur demonstrare: *primo*, quod defluit ex oculis cum læsi sunt, aqua planè videtur. *Secundo*, si oculus ignis esset, cur etiam in tenebris non cerneret? *nam adspectum extingui dicere in tenebris, cùm exit, id quod Timæus affirmat, prorsus nihil est, quæ enim extinctio luminis est? omne enim quod calidum & siccum est, vel humore, vel frigore extinguitur, vt ignis qui in prunis est, & flamma; quorum neutrum lumini contingit. Quod si forte id contingit, sed propter paruitatem id nos fugit: profectò & interdiu, & in aqua extingui lumen oporteret: & cùm gelu omnia obrigescunt, maximè tenebras exsistere.* *lib. de sensu. & sensib. c. 2.*

Verùm ad hæc Responderi potest pro Platone, quòd ignis, quo constant oculi, lenis admodum sit instar ætherij: ac talis naturæ, vt non à contraria qualitate, expugnetur; sed sola subiecti opacitate dissipetur, quemadmodum lùmen.

Interim Iacobus Carpentarius in Alcin. cap. 15. Platonem cum Aristotele sic nititur conciliare, vt Platonem velit de solis spiritibus intelligi: Aristotelem verò de humore crystallino: atque ita verum esse, quòd spiritus sint ignei; humor verè ille aqueus: id quod etiam potest ex ipso Galeno confirmari. Quamquam enim is lib. de decr. Hipp. & Plat. defenderit contra Aristotelem oculi naturam esse igneam, tamen lib. 10. de vsu partium affirmat eam esse aqueam, propter humores, quibus oculus abundat.

Defendi sane id potest probabiliter, tametsi reuera dici possit etiam ipsam oculi substantiam ex naturali sua constitutione igneā esse. *Primo*, quia si solùm ratione spirituū scintillaret, cur non etiam auditus, & alij sensus similiter promicarēt? an non iis quoque seruiūt spiritus calidi? at forte non tam ignei: ergo naturâ suâ oculos spiritus magis igneos exigit? quare, nisi ob conformitatem, & sympathiam? *Secundo*, quia humor ille crystallinus, ex quo præcipuè natura oculi pensanda est, non est verè aqueus: sed solidus, durus, albicans, ac splendidus, & quidem adeo vt reliquas quoque oculi humores illustret: vnde ipsemet Zabarella fateri esse n[illegible]tū, ac in eo aliquid ignis inesse, licet aqua, inquit, prædomi[illegible]: at quidni potius prædominabitur ignea qualitas in aqueā perspi-

cuitate? hoc profectò potius videtur exigere ipsa natura lucis, cui debet plurimum conformari. Deinde idem visus est aliquando Aristoteles ipse tenuisse: vlt. enim problem. ait *oculum esse ignem*: neque loquitur de spiritibus. *Dices*, Aristoteli non esse credendum, cùm non ex professo aliquid profert. Egregiam sanè laudem pro tanto Philosopho! vtitur, inquies, communibus sententiis in exemplum, sæpe non veris: bene est. Ergo communis ante ipsum hæc fuit sententia, atque non sine causa.

Dices denique organũ visus esse oportere in potentia solùm id, quod color est actu: at non potest esse in potentia color, nisi sit actu sub opposito coloris, & consequenter actu aqueum, Resp. Inde inferri, potius id debere esse aëriũ: quia aër magis est in potentia ad colorem, vt pote magis perspicuus. Resp. ergo organum affici debere vltima dispositione ad actum coloris exprimendum, quæ sane à temperata lucis, ignisve participatione pendet, vti à principio proximo.

Hic modo quæritur, quodnam sit proprium subiectum visionis: multi enim multa in hoc propositum adducunt: sed ne furfuribus pascamur. Resp. *pr.mò*, haud satis congruè id quæri: siquidem visio non in organo propriè, tanquam in subiecto recipitur, sed in anima. Est enim actus vitalis, & consequenter spiritualis, saltem apud nos. Ergo solum in anima potest recipi: idemque proportione seruata dicendum erit de cæteris. *Secundò*, cum ad sensionem requiratur iudicium, & perceptio rei sentiendæ; ac præterea eiusdem assimilatio, siue perfectissima impressio virtutis obiectiuæ edita in organo. Quoad iudicium, & perceptionẽ admodum probabile est vtrumque exerceri per organum sensus communis, quod est in cerebro: nam ideo sensuum instrumenta eò desinunt: impressionem verò, quam assimilationẽ vocant, fieri in humore crystallino credederim. Ita enim Galenus, docẽs huius humoris gratia cæteras oculi partes esse factas, vt illum vel alant, vel contineant. *Lucidum enim* inquit *id esse, purum, & splendidum, quod facile, & syncerè à coloribus alterandum est, quia simile simili est familiare* Ita Vitellò, Alhazen, & Aguilonius excellentissimi Optici. Ratio præcipua est, quia cùm à quolibet obiecti puncto infiniti radij prosiliant, etiam inde in externam oculi superficiem tot affluunt: quot in ea sunt puncta: ita summà confusio huiusmodi radiorum visualium fieret, nisi centrum esset aliquod, in quod à quolibet obiecti puncto vnicus solũ radius desinat, per quem illud distinctè videatur. At tale centrum est in ipso medio crystalloïdis. Idem tuetur Aristot. 1. de gen. anim. cap. 5. & 1. de hist. anim. cap. 9. &c.

8. de vsu p. cap. 6.

Zabarella vltrà crystalloïdem ait esse humorem vitreum satis profundum, vt radij promicantes ex obiectis, quæ pyramidis apicem pupillæ infigunt, ad tunicas interiores coloratas non pertingant: sed exinaniantur, ac dispereant in vitro: quia alioquin reflecterentur, & reflectione sua colores tunicæ reuibrarent in oculum, vnde visio impediretur.

Interim nosse quoque oportet antiquis quibusdam Platonicis visum fuisse, quòd illa similitudo recipiatur in actu vitali animæ, qu[illegible] sci' cet corpori vitaliter, atque animaliter copulatur: supponunt enim

mam non formari ab obiectis, sed habere secum rationes rerum sentiendarum, quas, dum coextenditur corpori, è statu potentiali reducit in actualem: *Anima*, inquit Priscianus, *propterea dicitur rei sentiendæ speciem possidere, quòd illius proferat rationem: nec vllo modo tanquam ab illa formam aliquam velut à sigillo suscipiens. Ratio permanet intus, & essentialis est anima: vita verò qua complet animal, à rationibus quidem dependet essentialibus insuspensa: secundum vero extensionem quandam ad corpus subsistit: & hæc quoque sensualis est, & terminus, perfectioque animalis: quocirca in hac vita rei sentiendæ similitudo perficitur. In instrumento autem est imperfecta, atque cum paßione miscetur actio: & paßio quidem incidit ab externis: actio vero procedit à vita. Item species quidem in vita est animalis: iudicium vero, cogitatioque in ipso rationis actu consistit.* Sunt tamen alij, qui putant in spiritibus, alij in neruis principalem organi immutationem, è qua resultat sensus agnitio, contingere. Aguilonius suprà cit. lib. 1. licet admittat principium visus fieri in crystalloïde, tamen prop. 27. maximè illum ait fieri in ea nerui optici parte, quæ aranea dicitur: quia, inquit, in eo maximè fit visio, quod maximè patitur; sed talis est eiusmodi neruus. Ergo. Verum non hic de passione solùm agitur: nam hoc ad genericam tactus rationem, quæ omnibus sensibus communis est, pertinet: sed distincta, & vitalis obiecti assimilatio, siue vltima energiæ obiectiuæ impressio per distinctam radiorum eius terminationem attendenda est: quæ maximè fit in crystalloïde: ideo prima expositio mihi probabilior videtur. Cæteraque potiùs crediderim esse instrumenta huius principalis impressionis edendæ, non vero subiectum: summùm aranea potest vtilis esse ad actionem obiecti forte roborandam, & intendendam: quod facile concedetur. (in Theoph. de anima cap. 5.)

Sed Dices, cum geminus sit humor ille crystallinus, duplex quoque imago sigillabitur: cur ergo duplex visio non fiet? Resp. huius quæsiti declarationem euidentius apparituram, cum sequentes difficultates expenderimus.

§. 2.

De obiecto visus.

NEMINI dubium est duo præcipuè, visum mouere, lucem scil. & colorem: ex quibus vnicum resultat obiectum adæquatum: color illustratus, siue lux colorata: neque enim color vllus sine lumine: neque lux sine colore aliquo cernitur. Ideo lux meritò quasi ratio formalis, *qua*, quid visibile efficitur: color verò, vt res *qua* visibilis est, considerantur. Neque opus est, vt in his diutius immoremur: difficior imminet quæstio, quid sit color.

De hoc enim diuersa sensere Philosophi. Alij enim nihil eum, nisi externam, & apparentem corporis superficiem esse dixere: alij atomorum nescio quam modificationem, quæ ineffabili battologia explicabatur: & reperias modo aliquos alioquin doctos, qui talia de coloribus com-

miniſcuntur, vt ineptius nihil, nihilque fabuloſius fingi queat: quibus omiſſis ſolum venio ad ſolidiores opiniones, quæ duæ ſunt: altera Platonis; Ariſtotelis altera: ille voluit colorem eſſe lucis participationem in corpore perſpicuo terminato, ſeu flammulam è ſingulis corporibus emanantem. Hic verò, ſolum dixit eum extremitatem eſſe perſpicui in corpore terminato. Has nos explicare oportet: ſed quia tria ſimul inuoluuntur, nempe *lumen, perſpicuum, color*: ſingula paucis explicemus.

De lumine iam abunde multa diximus in lib. de Cœlo cap. 13. & in meteor. cap. 12. §. 1. ſolumque pauca ſubnotauero: primum eſt lucem, à qua promicat lumen, ſumi ſolere duobus modis: primo provt eſt proprietas corporis lucidi; & ſic eſt qualitas: ſecundo pro ſubſtantia, cuius eſt proprietas; ſicut humor aliquando pro aqua; aliquando, pro eius proprietate vſurpatur: quo etiam modo ſolet ſubſtantia ſubtilis intelligi. In eo igitur ſecundo ſenſu inuenies aliquando lucem accipi, vt quando D. Auguſt. ait hominum ſenſus nihil poſſe cogitare *niſi corpora, ſiue iſta groſsiora, ſicut ſunt humor, aut humus; ſiue ſubtiliora, ſicut aër, & lux: ſed tamen corpora.* Vnde quidam olim exiſtimauere lucem eſſe formam ſubſtantialem corporis omnium nobiliſſimi, cuius participatione maiori, vel minori corpora eſſe nobilius, aut vilius ſortirentur. Ideoque empyreum totum ex luce; terram verò, fere totam ſine luce exiſtere: cætera ex his plus, minuſve conſtare. Quod verò nihil ſit expers lucis, inde probari poſſe, quod nullum ſit corpus opacum, quod ſi multum expoliatur, lucidum non euadat. Hanc opinionem citat, & probabilem æſtimat S. Bonauent. & ſubdit hæc; *ſicut lux incorporata eſt principium coloris in ipſo corpore terminato, qui quidem color eſt accidens, & paſsibilis qualitas; & ſenſu percipitur: ſic etiam in corpore luminoſo eſt principium cuiuſdam fulgoris, qui ad modum coloris eſt accidens, &c.*

Ep. 3. ad Voluſianum.

in 2. d. 13. a. 2. q. 2.

Secundo notari velim ab eodem Seraphico Doctore lumen, quod è luce fulgurat ſic optimè declarari: *Lumen*, inquit, *in medio dicit virtutem actiuam egredientem à corpore luminoſo. per quam corpus luminoſum agit, & imprimit in hac inferiora, & hac eſt virtus ſubſtantialis ipſi corpori. Et de hac dicit D. Damaſc. quòd lumen quod eſt ex igne, non eſt aliquid miniſteriale ipſius ignis, vel accidentale: ſed virtus ei connaturalis, & conſubſtantialis, &c.* nimirum, vt Platonici dicunt: *ſed etiam dicit quandam qualitatem ſenſibilem, qua ſenſus viſus efficietur ſentiens in actu, & illa eſt qualitas accidentalis, in tertia ſpecie qualitatis, &c.* Hinc ait lumen *ad aërem comparari non ſicut ad primum ſubiectum, ſed ſicut ad deferens, & ad medium .... vnde lumen in medio non habet principium materiale ex quo, ſed potius originale, à quo fluit*. denique paulò inferiùs diſtinguit lumen ab accidente naturali, *quia iſtud ſuſtinetur, & dependet ab eo, in quo eſt principaliter, & ei coniungitur inſeparabili vinculo. Lumen verò quamuis ſit in aëre, cauſatur à corpore luminoſo, & ab illo principaliter dependet: nec eſt in aëre ſicut in ſuſtentante, ſed ſicut in deferente: & ideo durationem, & mutationem, & numerationem potius recipit à lucido influente, quam ab aëre ſuſcipiente*. Hactenus D. Bonauentura luminis naturam explicare conatus eſt modo

lib. 2. cap. 7. & 9.

satis consentaneo iis, quæ iam alias diximus, cùm autem negat omnino lumen ex aëre tanquam è principio materiali educi: solùm vult principaliter pendere à lucido: atque ab eo iugiter fluere: ideoque non sortiri aliquod esse fixum in subiecto: vti diximus lib. de Cœlo cap. 13. vide quod diximus suprà cap. 17. §. 3. ex Prisciano.

Perspicuum 2. de anima definitur corpus transparens, non coloratum ex se, sed aptum ad recipiendos omnes colores. Huius formale dicitur lumen: hoc enim definitur *actus perspicui*, materiale est corpus lumini peruium, vt aqua & aër. Est autem duplex perspicuum, vnum indeterminatum, quod propriis caret terminis, sicut aër & aqua. Alterum est terminatum, quod suis figuris, & terminis definitur, vt solida, quæ lumen solùm recipiunt in extima superficie, non quidem mathematicè indiuisibili, sed physicè: itavt parua diuisibilitas reputetur pro nulla. Terminari autem potest perspicuum, vel ob solam partium condensationem sub raritate, quæ sit qualitas. Sic astra sunt corpora perspicua terminata: vel per immixtionem corporis opaci, vt fit in speculis. Hæc iterum mixtio dupliciter fit, vel cum corruptione elemẽtorum, quæ miscentur, vt fit in mixtis: vel ita vt quædã elementata immisceantur elementis perspicuis absque corruptione: quod quoties contingit, perspicua ex huiusmodi accessione opaci fiunt alba, vel circiter: vt aqua congelata, & nix: iis enim admiscentur aliqui fumi, seu halitus terrestres, quamquam rarissimi. Dum corrumpuntur elementa, mixtum suscipit diuersos colores: sed tunc semper aliquid lucis igneæ cum opaco terreo, & perspicuo aërio, vel aqueo contemperatur: & ex varia horum symmetria diuersæ colorum species resultant: vti mox exponemus. Si verò igni admisceatur leuis opacitas emittet candorem splendentem, vt flamma; si maior; rubet vt carbo.

Hinc facile discemus, quid sint colores, & quomodo fiant. Cum enim ex dictis pateat corporibus omnibus lucem quandam, siue magnam, siue paruam insitam esse, hæc certè conspicua, siue colorata efficere valet corpora, quibus inest: Ideo color rectè definiri potest *flammula*, id est, splendor *è singulis corporibus procedens, quæ visui accomodata sit*: eóque respexit Auicenna, cum definiuit colorem *qualitatem, quæ percipitur ex luce.* Quamobrem melius putauerim sic definiri, quàm dum dicitur *extremitas perspicui in corpore terminato*: nam vel colores sunt formaliter completi sine lumine: vel lumen est forma colorum: si secundum, debuit hoc exprimi in definitione: & præterea poterit esse huiusmodi extremitas sine colore, vt in tenebris: ergo tota definitio subsisteret sine natura rei definitæ: Si primũ, reuera erit color etiam in profundo corporum: & an non internæ partes mali granati rubræ sunt? an non trans corpora diaphana intus videtur alius color? scio Zabarellam respondere non esse colorem, nisi qui externæ superficiei suffunditur: in cæteris verò partibus inesse quidem potestate colorem, at non actu: sed quid de iis coloribus, qui trans perspicua collucent? apparentes inquiunt, sunt; nos de veris & realibus loquimur: sed quid si non differant formaliter?

cis splendet: sed non omnis color splendet: &c. Ergo. *Secundo*, color & lumen sunt species disparatę. Ergo vna non potest definiri per aliam. *Tertio*, omne lucidum etiam noctu cernitur, vt oculi felis, noctiluca, &c. sed color noctu non cernitur: Ergo. *Quarto*, color est qualitas orta ex mixtione primarum; non lumen. *Quinto*, idem nequit dare essentiam duobus contrariis: at album & nigrum sunt contraria: ergo nequeunt ab eadem luce opposita sortiri naturam: *confirm.* contraria contrariis principiis formalibus constituuntur, sed lumen non est lumini contrarium: ergo lumen non potest esse principium formale albi, & nigri. Denique colores manent: absurdum enim esset absente lumine omnia esse pariter coloris expertia: hoc enim perinde esset, ac si quis diceret omnia musica instrumenta fistulas scilicet, lyras, cymbala, &c. donec flatus, aut pulsus aduenerit ex æquo esse insonora.

R. hæc minimè vrgere, si naturam coloris exactè nouerimus: est enim qualitas, siue perfectio corporum, qua videlicet ipsa proximam potestatem habent terminandi visum. Quæ quidem potestas vlteriùs exigit actum illuminationis, vt actu queat organum visus mouere: vt inde intentio excitetur. Quamobrem color per se distingui debet ab actu illuminationis: tamen quandoque eodem actu constituitur in esse coloris, quo fit actu motiuus organi visiui: hoc autem sic explicatur: suprà distinximus lucem à lumine: diximusque omnia corpora lucis aliquali participatione pollere: distingui ergo debet lux interna, (quæ qualitas quædam ignea est aliquali opaco immixta:) à lumine, quæ actus est diaphani. Quandoque autem lux illa intrinsecè participata ita debilis est, vt nequeat mouere visum nisi corroborata externo lumine, & hæc constituit colores permanentes: aliquando ita viuax, & intensa, vt sola sufficiat, vt in carbone, oculo felis, &c. aliquando nulla, vel fere nulla lux interna est; cùm tamen reliqua contẽperatio perspicui cum opaco subjaceat; & tunc adueniens lumen, vtrumque præstat; vim terminandi, ac specificandi visionem conciliat, vnde fit color; & actum insuper mouendi organum affert, vt in nubibus, collo columbæ, &c. In quibus meminisse oportet, quod diximus in meteor. cap. 22. §. 1. scil. diuersas reflexiones, seu refractiones æquiualere posse opaco. Quo fit, vt ex diuerso adspectu diuersi colores appareant.

Hæc confirmantur ex D. Th. in 3. meteor. lib. 6. vbi colores apparentes distinguit à permanentibus ex eo solùm, quòd illi proueniant ex lumine quodammodo extrinsecus solùm, & secundum diuersos situs incidente: isti verò ex lumine intrinseco, & fixo.

Hinc ad argumenta Resp. ad primum nego Ma. sola enim ea splendent corpora, quæ rara sunt, quibusque cum tenuitate partium insunt pori recti & æquales: alioquin si obliqui, confusi & inæquales, haud radiant.

Ad secundum, Resp. verum esse Antecedens de colore, & lumine externo, falsum de luce interna.

Ad tertium, Resp. nego Ma.

Ad quartum, Resp. colorem oriri ex commixtione primarum qualitatum per accidens, quatenus illa contemperatio lucis cum opaco in materia perspicua ex mixtione elementorũ resultat: & etiam quia varia calidi, frigidiue actio in diuersa participatione humidi, & sicci varias species colorum inducit, vt dicemus inferiùs.

Ad quintum, Resp. idem comparatum cum diuersis diuersos effectus quidni efficiet? an non calor humoris, & siccitatis est causa? eadem ergo forma prout oppositis dispositionibus superuenit, habet rationẽ oppositi principij formalis, quoniã principium quodque dicitur in ordine ad effectũ. Sic lux diuersimodè participata diuersam coloris speciem, imo & oppositam constituit.

Ad sextum, Resp manere cum luce participata vt diximus.

§. 3.

De diuisione colorum.

QVI qualitates abnegant difficillimè colorum species discernunt & communiter ad diuersam modificationem luminis accurrunt. Sed ita modificationes modificationum innumeras superadstruunt: lumen enim non aliter putant euenire nisi modificatione vel atomorum, vel corpusculorum. Quomodo ergo ea modificatio iterum aliter modificabitur? Et cum in corpusculis non agnoscant nisi magnitudinem, figuram, motum, & pondus: Hæc quatuor vltimò determinata sunt in lumine; Quomodo iterum determinabuntur? si magnitudinem spectes, illa corpuscula dicuntur esse omnium subtilissima: si figuram; ab aliis orbicularia, ab aliis acuta: si motum; velocissimus, ac rectus: si pondus, leuissimum; quid ergo superest? Alia, inquis, veniunt ad sensum circumrotando, & quasi arietando in aëre; & hinc fit albedo; alia sine huiusmodi circumductione, & fit nigredo. Egregium planè commentum! quis hoc nisi somnians possit fingere? Quæ causa tam multiplicis motionis? Quæ ratio illud cõminiscendi? Quæ authoritas? Quod experimentum? Quæ demonstratio? Quid illa corpuscula sic arietabit in cerebro, quando somniando colores omnis generis videmur intueri? Mitto cætera, quoniam quæ sine ratione dicuntur, vel ea sola ratione firmissimè refelluntur, quòd ratione careant.

Si tamen patrocinium quærerent, aliquale ipsi à Platone possent mutuari, quod tamen non aduertunt: sic enim ipse in Timæo. *Quæ ab aliis delata partibus in adspectum cadunt, partim minora, partim maiora, partim visus ipsius partibus æqualia sunt: æqualia quidẽ sentiri non possunt, quæ diaphana nominantur. Minora verò, aut maiora partim discernere, partim contrahere visum dicimus, instar eorum, quæ caliditate, vel frigiditate carnem, aut eorum, quæ acrimonia, vel acumine, aut caliditate linguam contrahunt, vel discernunt: atque ea quæ visum sic afficiunt; alba, nigraue vocamus, quæ quidem passiones eorum sunt, quæ modo narrabam.* Et mox, quod

visum disgregat, album; quod congregat, nigrum appellandum est. Hæc Plato more Democritico, vel potiùs Pythagoræo, vt pote sub persona Pythagoræi Philosophi loquens ait, an verò sincere, & sine ænigmate, haud affirmo. Crediderim tamen solùm his verbis voluisse innuere, *motionem acutiorem alterius ignis, i. lucis, quâ visus dispergitur,* vt mox ipse subdidit, aut obtusiorem, qua congregatur. Ita per corpuscula maiora intelligere possumus maximam opaci permixtionem; per minora, maximam lucis; per æqualia, talem, quæ debetur perspicuo, & à qua ob perfectam conformitatem non alteratur organum visus, vnde nec intentio excitatur.

Sed videamus interim, quomodo colores procreentur: *Cùm vnus ignis,* inquit Plato, *velut è coruscatione quadam exilit, & alter ingreditur, atque in humido extinguitur, multiplices ex hac commixtione colores creantur.* Quasi dicat ex mixtione luminis externi cum luce interna humidi aquei conspersione temperata oriri colores: sic tamen vt ex magna luce albus; ex minima, niger, ex nulla, nullus color existat. Ex horum duorum commixtione alij medij fiunt: iique sunt numero quinque, nimirum ex albi, nigrique mixtione, rubeus; ex multo albo, paucoque nigro, flauus; ex maiori rubri, quàm albi portione, croceus; ex maiore albi, quam rubri participatione, viridis; ex multo rubro, & pauciori nigro, purpureus. Ex his aliæ multæ subdiuisiones, & species colorum subnascuntur: prout maior, aut minor dictorum participatio inest: subdit tamen sapientissimè Plato, *quo autem mensura modo singula singulis misceantur, etiam si quis nouerit, narrare prudentis non est: præsertim cum neque necessariam, neque verisimilem de his rationem afferre nullo modo possit.*

Vlteriùs sic: ex actione primarum qualitatum nascuntur colores. Calidum nigredinem generat, cum partes terrestres adurit, ita vt expresso, & eiecto aërio & aqueo humore maximè comprimantur, lucemque siue igneum spiritum sibi admisceri non patiantur. Secus albedinem procreat, dum rarefacit, subituro aëri locum parans, vt in calce, &c. Itemque dum aërium humidum extrahens, aqueum cum subtil terreno spiritu permixto coagulat: ita albumen oui coctione fit candidum: idem etiam facit dum aliquid crassi terrei, cum subtili aqueo continuat, vt in osse. In his enim cum multo diaphano poris laxioribus innatanti lux ignea prædominatur.

E contrario frigus quoque colorum causa esse potest, cùm soluit vel coagulat diuersimodè opaca cum perspicuis: aliquando enim ob sympathiam inducit humidum aqueum, & fit albedo; aliquando terrestres partes coagulat, porosque obstruit, lucisque ingressum occludit, & fit nigredo: actionibus ex his mixtis, mixti quoque colores generantur: In quibus quodammodo idem analogicè contingit, quod in nubibus, aliisque coloratis apparentibus. In his enim talis admixtio colorum procreatrix euidentiùs manifestatur: nam experimur vaporem aqueum fumoso & terrestri halitu multum disperso refertum, accedente luce ru-

bescere: ac similiter in viridi ligno, dum accenditur, flammam rubicundiorem esse, quàm si siccum fuerit, non ob aliud, nisi quia tunc fumus densior, & abundantiùs humidum aqueum in ea commiscentur. Sic dum calor naturalis florum à circunstante frigore intro compellitur; atque humidum accenditur, & intumescit: inque partes exteriores propellitur, rubedo procreatur: vbi verò totum absumptum fuerit, restantibus solum terrestribus partibus, nigredo succedit. Ex his coniice cætera.

Inde facile inferri potest, cur albedo visum disgreget: ipsa enim, præsertim si magna sit, plurimum splendoris emittit, mouetque organum motione acutiori, & ita maiorem spirituum visualium copiam euocat: ipsam pupillam magis rarefacit, & humorem crystallinum fusioribus radiis conspergit. Licet autem obiecto albo parum inesse aliquando splendoris videatur, tamen lumen ipsi affusum copiosiùs inde reflectitur vt etiam constat ex eo quod aula cuius parietes albi sunt, splendidior sit, clariorque. Præterea maior obiecti splendor, minorem oculi lucē extenuat,& offendit quia vt ait Theophrastus, ignis maior minorem interimit. Hinc compressus oculorum humor lacrymas fundit: comprimitur autem, à splendore intimè penetrante. His omnibus hoc vnum addo, cum obiecta non distant ab oculo, probabiliter ab his posse igniculos quosdam subtilissimos in illum assilire plures, aut pauciores, prout plus, aut minus igneæ qualitatis in obiectis fuerit: vnde non mirum, si sæpe inde lædatur visus. Aliunde etiam ipsa externi luminis in oculum actio, qua organum ab obiecto mouetur, interdum adeo intensa est, vt reuera Physicè ipsum organum alterare queat, vt pluribus experimentis fit euidens.

Inde facile quoque intelliges, cur qui per niuem iter faciunt, grauiter eius candore offendantur. Itemque cur qui ex obscurissimo carcere iussu Dionysij Siciliæ tyranni in clarissimam lucem educebantur sæpe occæcabantur; & lupi similiter ex inspectione æris cadentis visum amittant. Ratio patet ex dictis.

§. 4.

De modo quo fit visio.

Celebris olim quæstio fuit, an visio fiat emissione specierum ab obiecto in oculum; an verò emissione spirituum ab oculo ad obiectum. Aristoteles primum asseruit; Plato secundum.

Aristoteli modo adhærent ij, qui species intentionales explicant per corpuscula pressa, vel erasa ex obiectis. Hi enim *primo* supponunt in neruo optico, qui pertingit usque ad cerebrum esse innumerabiles fibrillas, & subtilissima fila: *secundo*, dicunt in singulas illas fibrillas intrudi prædicta corpuscula: *tertio*, per has actione pernicissima deferri ad cerebrum, in quo ceu ag nata obiecti simulacra impressionem, quæ voca-

tur visio, faciunt: verùm multa essent aduersus hoc disputanda: constat eas fibrillas esse potiùs institutas ad deferendos spiritus opticos, & animales ad oculum, quam ad recipienda eiusmodi corpuscula: alioquin quare tot spiritus egrederentur? quot enim exeunt ex oculis irati; quot ex oculis menstruatę speculum inficientes? quot ex oculis felis, &c. tum quia cur humor crystallinus prius reciperet imaginem obiecti? adhæc vel à singulis partibus obiecti eiusmodi corpuscula immittuntur: vel non: si secundum, quomodo ergo videntur singulæ? si primum, ergo non plures partes obiecti simul videri possunt, quam sint fibrillæ huiusmodi: atqui obiecti magnitudo æquali crassitiei nerui optici totidem saltem partes debet continere, quot fibrillas continet neruus. Ergo nunquam posset simul detegi ab oculo maior obiecti magnitudo, quam sit magnitudo nerui optici, quæ nequidem lentem adæquat. Adhæc cur, cum à longe campum adspicio iam florulentum, totus apparet vel candidus, vel purpureus, licet innumeri in eo sint flosculi discolores? si à singulis partibus sigillatim singulæ veniunt particularum visualium series in singulas tales fibrillas; cur illos non repræsentant? quia, inquis, illæ in fibrillas eiusmodi non subeunt; sed cur non subeunt? quid causæ est, cur solæ illæ non subeant? quid delectum facit? &c. Denique cum fibrillæ opticæ, discretæ sint & discretos meatus contineant, per quos simulacra ordine quæque suo transire debeant, obiectum discretè repræsentarent: non continuum, &c.

Aristoteles vult ab obiecto immitti species intentionales, quæ in potentia visiua obiectum diuisibile, quasi indiuisibiliter repræsentent: imprimendo scilicet imaginem quasi spiritalem, qua simul inconfusè omnes obiecti partes eo modo, quo in se sunt, repræsententur. Id autem potissimum asseruit aduersus Platonem, qui volebat emitti potiùs ab oculo spiritus ad obiecta.

Hæc sententia potest potissimum his argumentis suffulciri: si visio fiat per extramissionem, fieret extra oculum: at hoc repugnat. Ergo. Mi. patet, quia visio cum sit actus vitalis, debet necessariò recipi in ipso vidente. Adde quòd visio sit proprium accidens animalis. Ergo debet in animali suscipi.

Secundo, si visio fit per extra missionem, quando spiritus transirent per aërem procellis, aut vehementibus ventis agitatum, quomodo non etiam interturbarentur? & dum in profundo fontis frigidissimi denariolum inspicio, an non spiritus ignei extinguerentur aut concrescerent?

Tertio, cùm in succino videtur musca, quomodo huc spiritus penetrarent, cùm succinum maximè solidum sit.

Quarto, nulla ratio reddi posset, cur quæ per vitrum viride videntur, viridia quoque appareant, nisi dicas species ab obiecto venientes infici calore vitri, & sic intinctas in oculum tendere?

Quinto, quia si sic exirent spiritus, in tenebris videremus, præsertim vbi multa hominum frequentia esset, quia ingens scintillantium spirituum copia in aërem effunderetur.

Aliqui ſuperioribus argumentis ſatisfacere ſe putant, ſi dixerint ſpiritus opticos primum recta pergere ad obiectū, & deinde ſubito reflecti in oculum, & tum viſionem fieri. Ita eam eſſe in animali. *Contrà* primo, quomodo puncto temporis ſpiritus tam exigui poſſunt hinc pergere ad ſydera firmamenti, & inde illico refundi verſus nos? *Secundo*, quomodo tot ſpiritus effluere è nobis poſſunt quot in firmamento ſtellulæ, aut quot in vaſtiſſimo campo ariſtæ peruidentur? *Tertio*, quomodo, cum vaſtiſſimum montem à longè proſpicio, inde reflecti radius viſualis poteſt, cum is glaber ſit, & inæqualis: reflexione interim corpus politum exigente?

Nihilominus oppoſita ſententia celeberrima olim fuit, quam cum Platonicis communiter optici & perſpectiui docent: Quod nimirum egreſſu radiorum ab oculo fieret viſio: id quod duobus modis exponi animaduerto: primus eſt quem olim Stoici, & Pythagoræi, ac poſtmodum Macrobius 7. *Saturn. c.* 14. & Vincent. Bellouac. *Specul. natur. l.* 25. *c.* 29. ſequuntur, vt ſcilicet ſpiritus optici citiſſimè in obiecta euolent: & ab iis eademmet pernicitate ad oculum remigrent renunciaturi, quod tetigerint. Eoſque propterea ita ſubtiles aſſerunt, vt nullum ſit diaphanum quamtumuis craſſum, aut ſolidum, quod ſine reſiſtentia non penetrent: & adeo veloces, vt puncto temporis Phyſicè indiuiſibili ad firmamentum vſque pergere, & inde reuerti valeant: nulli interim vento ceſſuri. Is modus, quamquam non impoſſibilis, certè incredibilis eſt, neque vllo modo neceſſarius.

Secundus modus eſt, quem exponit Plutarch. 4. de placitis vbi ſic ait
In l. Theoph. de anim. c. 32. *Plato docuit per ſplendoris coitionem συναύγειαν lumen ab oculo vſque ad aliquantum ſpatium profluere in cognatum, & congenerem aërem, aliudque contra à corporibus*, &c. Priſcianus Lydus idem docet: *Plato*, inquit, *vult etiam apparitionem corporalium ſpecierum quandam imaginalem εἰδωλικὴν in ipſo viſionis prodeuntis actu circa leue quoddam, nitidumque corpus, non quidem per effluxum quendam corporeum à corporibus: ſed per ſpecierum*
c. 15. *vmbratilem quandam figurationem in apparendo, atque videndo.* Idem quoque Alcinous. *Hic ſanè* (ſpiritus) *cum per totum oculum, tum maximè per pupillam erumpit, qui eſt omnium puriſſimus, & valde ſincerus; qui cum*
7. de decr. Hipp. & Plat. *externo conſentiens, ſimilis cum ſimili, videndi ſenſum præſtat.* Sed præſtat audire Galenum. *Si oculus*, inquit, *expectaret, vt partem aliquam, aut facultatem, aut ſimulacrum, aut qualitatem ex corporibus extrinſecus obiectis ad ſe accederet, rerum magnitudinem nullo modo perciperemus, verbi cauſa, vaſti alicuius montis: tam magnum ſiquidem ſpectrum quantus ipſe eſt, in oculos noſtros ingredi oporteret: quod penitus abſurdum eſt: ſi contra ſpiritus vicinus exiret*, &c. vſque ad obiecta quoque remotiſſima, *nulla ratione poſſet tanta diffuſione dilatari, vt omnes viſui expoſitas res circunfuſus complecteretur: nam quid aliud eſſet, quam illa commentitia Stoicorum gutta, quæ cum toto mari commiſcetur? Reſtat igitur adhuc vt aër circunfuſus tale inſtrumentum nobis ſit, quale eſt ſemper neruus in corpore: ſiquidem eodem pacto aër nos ambiens à ſpiritus viſiui occurſu, quo à ſolis ſplendore affici videtur:*

nam

nam & ille supremo aëris termino contacto, statim vim suam fulgidam in totum dispergit, & nostra per visorios neruos acies progressa, spiritali substantia prædita, cum in aërem incidit, primo appulsu in eum alterationem inducit, quæ longè latéque in continuum scilicet nos ambiens corpus, sparsa repente in totum diffunditur. Ex his satis conspicuum fit, quomodo exponi debeat genuina Platonis opinio: Ita scilicet vt aër externus illuminatus solari, vel alio lumine, obiecti speciem, vel actionem deferens, non possit sufficienter imprimere oculo illius imaginem, nisi luce spiritus visorij magis clarificatus, & formatus: atque ita perfecta sympathia inducatur. Hoc autem est, quod significat Plato, cum ait in Timæo: *diurnum lumen applicat se visus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia, atque commixta, quo oculorum acies diriguntur, ibi in vnius iam domestici corporis cohærent speciem, vbicumque videlicet tam intimi, quam externi luminis fit concursus. Totum igitur hoc propter similitudinem passionem eandem sortitum, cum quid aliud tangit, vel ipsum ab alio tangitur: motum huiusmodi ad corpus omne; perque id ad animam vsque diffundens sensum efficit, qui visus vocatur*: q. d. cum ab oculo effluant spiritus visorij, lucidique, & ab obiecto item lucida coloris species veniat, in certa quadam medij distantia visioni accommodata commisceri debent, vt commodè ab illo pati oculus, eiusque recipere visualem imaginem valeat: quemadmodum enim naphtha occultos ad flammam paululum distantem halitus vibrans, per eos quoque flammæ lucem subitò allicit; ita spiritus visiui, ad lumen exterius refusi illico afficiuntur specie, siue actione obiecti, quæ per aërem luminosum defertur: similisque affectio per eundem spiritum continuatur vsque ad pupillam, & inde per neruos opticos vsque ad cerebrum, quandiu scilicet continuantur illi spiritus, & ibi excitantur rationes animæ innatæ: vnde fit iudicium ferme ad eum modum, quo si filum aliquod sulphure tinctum vsque ad ignem distantem protenderis; statim atque ignem attigerit, totum illico inflammatur; & eodemmet instanti retro ad manum, à qua protenditur, inflammationem traiicit suam. Sic propemodum fit in nostro casu: spiritus continuatus à cerebro ad lumen externum, eius affectionem illico suscipit, defertque ad originem, ex qua prodiuit: vbi suscitat rationes innatas colorum externis congruentes, & sic fit visio. Congressum ergo illum vtrorumque radiorum inter se haud aliud esse crediderim, quam ipsius obiecti, sensusque sympathiã, quæ συναύγεια, quasi corradiatio dicitur, quia lumen externum clarificatur, & vitali quadam virtute adspergitur ab interno: internum verò modificatur, & alteratur actione colorifera externi. Eaque propter similitudo quædam cum aliquali alteritate requiritur: vt constat ex 1. de Elem. c. 8. §. 2. Est autem spiritus visualis tenerrimus, & facillimè alterabilis, ita vt leuissima quaque circunfusi obiecti actione afficiatur, totus vsque ad centrum cerebri, à quo emittitur, & etiam facillimè prouocatur ab externa luce. Hęc germana est, vt reor Platonicæ de visione opinionis interpretatio; quam sanè multa mihi probabilem reddunt.

5. de Gen. anim c.1. sub fin Et 3. l. Meteor. c.5

Primò saltem hoc cōcedit Aristoteles, quòd tā facile possint omnia, quæ ad visionis differentias spectant, explicari, si ea fiat emissione spirituum, quam si receptione specierum. Ex quo eius interpretes hoc coguntur inferre, quòd eius tempore celeberrima fuerit prior opinio, non modo Platonis, & Empedoclis; sed omnium opticorum authoritate firmata: & certè eandem tenuit Euclides in proœmio de optica: Ptolemæus in catoptrico, & alij: quorum, fateor, hac in re maximoperè me authoritas ad hoc credendum impellit: illorum enim nemo nescit; nemo non admiratur in hisce scientiis eruditionem, animiq; solertiam. quamobrem non est, quod quidquam obiiciatur ex optica: illis id non potuit esse incognitum: & tamen vel ex eo ipsi suam sententiam firmauerunt: Scio equidem doctissimos nunc esse opticos, qui Peripateticæ doctrinæ per omnia sese conformantes hanc spirituum emissionem impugnant vt Franc. Aguilonius in opticis & dioptricis, & alij.

Sed quis eos cum Euclide conferre audeat? mouet etiam me Doctissimorum Patrum sententia, D. Basilius, quo non eruditior alter, sic ait: *Iactis luminum radiis, veluti quibusdam corporeis manibus, quæcumque voluerit eminus tangit: & quæ corporeis manibus attingere in potestate non habet, ea oculorum iactibus passiuè complectitur.* S. August. *Per oculos corporis videmus* alia, non hos ipsos, *quia radios qui per eos emicant; & quidquid cernimus, tangunt, refringere ac retorquere in ipsos non possumus, nisi cum specula intuemur:* possem alia multa eiusmodi recitare, sed veniendum ad rationes.

l. de vera virgin.

l. 9. de Trinit. c. 3.

Dubitari non potest, quin per poros nerui optici spiritus affluant in oculorum orbes, vim cognoscendi impertientes: Quos etiam constat esse lucidos naturâ suâ, fulgoremque suum habere à flamma, quam à prima origine conceperunt, vt ex Galeno fatetur ipse Aguilonius 1. *optic. propos.* 11. & suprà quoque demonstrauimus. Neque sat congruenter, vt puto, ipsemet Aguilonius subdit postmodum lumen hoc oculi neutiquam prodesse ad visionem eliciendam: Si enim ita est, cur aliis sensibus non insunt spiritus ita lucidi? aut si insunt, cur non videntur ex auribus, ex naribus, & aliunde scintillare? cur in animantibus quæ noctu vident fatetur ipse oculorum iridem splendidam esse ac lucidam, & inde illustrari obiectum exterius, à quo iterum is fulgor *ad crystallinum humorem cum rerum coloribus, ac formis resultabit*? At, inquies, si lumen internum datur, quomodo non prohibebitur visio? Resp. tale id esse, quale lucifer color exigit, vt sui similitudinem imprimat: hoc est, quod ex igni mediocriter cum humore temperato resultet. *Quoniam*, inquit Arist. *humoris copia transpici satis non potest*. Ideo Empedocles dixit nigros oculos plus aquæ, quam ignis habere: & ideo noctu deficere ob ignis inopiam: cæsios verò, plus ignis; ideo interdiu acutè cernere non posse. Debet itaque inter hæc tria lumen exterius, lucem spirituum, & pelluciditatem crystallini, proportio perfecta, & symmetrica intercedere, qualem forte mortalium nemo hactenus exactè nouit.

Propos. 13.

4. de Gen. anim. c.1.

Inde differentiam visionum possumus vtcumque deriuar sic: quibus

modicus spiritus est, & facile dissolubilis, diu obtutum figere non possunt; quibus lucidus, & copiosus; hi clariùs & remotiora, nec non minutissima discernunt: quibus crassus & multus, non bene remota dispiciunt, sed in videndo non fatigantur, &c. Addiderim duo ex parte videntis distingui oportere, *organum & spiritus*: ex optima vtriusque dispositione perspicacissima oritur videndi facultas: ex alterius defectu, imbecillitas, v.g. quibus organum bene dispositum est, spiritus verò exilis est, & imbecillus, prope videt acutè; non remotè: quibus vtrumque à debita constitutione degenerat, propinqua non vident, quia fortiori obiecti præsentis actione perstringuntur: actio enim maior minorem vincit. Sed ob contrariam rationem obiecta remotiora & grandiora, quorum actio ipsa longinquitate languescit, sat bene percipiunt, vt senes.

Euclides cit. ita probat emissionem radiorum: qui attentè legit paginam minusculis typis scriptam, etsi attentissimè legat, sæpe tamen aliquas literas transit haud visas: at si visio fiat per intromissionem specierum, cum è singulis litterulis, earumque punctulis omnibus procedere deberent species in pupillam, cur omnes determinatè, & distinctè non viderētur? potentia enim æquè applicata est omnibus, & omnes ex æquo agūt, & procedūt species: cur ergo non omnes viderētur æquè distinctè?

Secundo, id probat ex ipsa oculi structura: nam organa Deus suis quæque obiectis percipiendis coaptauit: aurem, quia recipere sonos debuit, concauam fecit, similiter reliquorum sensuum instrumenta: oculum ergo, quia conuexum fecit, inferre decet eum non recipiendis, sed emittendis spiritibus fuisse destinatum.

Cardanus ita: si oculus solum patiendo videt, nulla esset ratio, cur qui acutè propè vident, longius videre non possent: nam in patiendo quælibet virtus sufficit, modo instrumentum non sit corruptum: vti reuera non est in iis, qui acutè vident proxima. Rursus, si visio fit occursu specierum, prodesse non possent ocularia cum prope oculos collocantur. Siquidem supplere deberent vires, quę desunt obiectis ad mouendum oculos. Ergo deberent potius ipsis obiectis immediatè circumponi: & non oculis, vt nimirum speciem initio à re ipsa prodeuntem efficerent validiorem. *Confirmatur*, quia ex Aristotele visus debilitas prouenit, vel ex humoris abundantia; vel ex pupillæ rugositate, ac crassitie, vt in senibus: tenuem namque eam esse decet ac læuem, vt ab obiecto sine impedimento moueri queat: at hęc ocularium auxilio non imminuuntur: imo multiplicantur. At secundū nos ideo ea prosunt, quia cum lumen externum perstringat aciem oculi, vti debiliorem: nec radij visorij sat virium habeāt: duo per ocularia fiunt: *primo*, temperatur lumen externum oculo propius; *secundo*, spiritus visuales recepti in vitro magis aduniuntur, & sic corroborantur: ac ita per ipsum congruentior fit congressus luminum. *Confirmatur secundo*, Ipsa ocularia quibus oculorum subuenitur infirmitati, potissimum adinuēta sunt ab opticis, qui visionem fieri egressu radiorum existimarunt: iique secundum principia huius sententiæ instrumenta hæc confixerunt. Præ cæteris autem mirari nos

oportet oblonga illa, quæ haud ita pridem inuenta sunt, quibus quæ ad plura millia passuum distant, clarè dispiciuntur, cum sine his vix à 20. passibus cerni possent. Tubus est vtrinque rotundo vitro conclusus, sic tamen vt qua parte oculo apponendus est, vitrum sit angustius; ex altera verò parte paulò latius. Quamobrem diceres merito talem construi, vt spiritus ab oculo effluentes intra eiusmodi tubum collecti corroborentur, cum ex mutua compresione, tum ex iugi aliorum affluentium accessione: vtq; ita ex postico vitro exeuntes, vt sunt robustissimi languescencentem obiecti tam distantis actionem, siue virtutem, siue speciem, quasi viuificent, atque ad oculum mouendū iuuent: item hac ratione fit, vt spiritus illi multò lōgiùs eant: qua etiā ratione efficitur, vt ex imo puteo stellæ interdiu discernantur. At si nihil exit ab oculo, quid ocularis ille tubus proderit? fac nauem aliquam in plano maris æquore 30. millibus passuum distantem iis perspicillis videri, vel specierum suarum pyramidem (sic enim dicunt optici desinere eas in oculum oportere) vsque ad terminum perspicillorum protendit, aut non; si protendit; cur si oculus ibi ponatur, nauem non videbit? si non; quid proderit oculare? solùm enim id colligere posset species, aut reflectere, aut refringere, aut multiplicare: sed ea omnia supponunt eas hucusque pertingere: at si pertingunt, difficile vitabis, quin visionem eliciant.

Denique afferri posset experientia speculi vrentis, quod in certa quadam medij distantia obiectum mirum in modum adauget: obiecto adiunctum, id non nisi confusissimè exhibet; oculo adhibitum, omnino abscondit: multa inde inferri possent vltro, citroque secundū optices regulas disputanda: sed solùm hoc infero, inde admodum probabiliter posse inferri, quòd quidam luminum congressus fieri debeat in medio, sub determinato interuallo. Idque cōfirmatur ex eo, quòd experiamur opus esse, vt obiectum aliquantisper ab oculo distet, aliter non videndū. Atq; hęc sufficiant? quę sic dicta velim, non vt omnino sententiam Aristotelis improbem: (neq; enim quidquam video aduersus illā obiici posse, quod solui non posit.) Sed solum vt eā Plat. saltem probabilem arbitremur.

Hinc autem facile solui possunt, quæ pro Aristotele 1. obiecta sunt. *Ad* primum, patuit visionem fieri intus in animali: *ad* secundum, Resp. *primo*, radios oculares non extendi per totum aërem procellosum, sic el ūbis cadit obiectio: *dico secundo*, eos ita esse subtiles, vt ea omnia facile queant penetrare: & supra diximus eos æthereorum more non à frigore quasi contrario expugnari, sed ab ipsa potius opacitate: *ad* tertium, R. succinum, vti & vitrum poros rectos habere quibus permeare spiritus illi valeant: vitrum tamen ex transuerso collocatum visionem impedire, quia ob obliquatas pororum vias, nec spiritus, nec luminis actio rectâ incedere possunt: *ad* quartum, R. hanc esse vim luminis, vt coloris viuida luce radiantis actum in subiecta rite disposita deferat, in iisque eius imaginem pingat: Neque hoc obesse radiorum emisioni: *ad* quintum, R. in tenebris quidquam non videri, quia obiecta *non* agunt defectu externi luminis: & quia lux interior non sufficit: ad reliqua iam responsum est suprà.

Interim moneo secundum vtramque opinionē eadem obseruari optices, ac dioptices præcepta; nimirum vt ab oculo ad obiecta rectæ lineæ duci queant, sic tamen vt dilatentur versus obiecta, vnita interim circa oculum; pyramidemque imitentur, cuius basis in obiecto sit: conus verò, seu apex in oculo: ita vtrinque pari modo explicantur experimenta. Euclides ait radios ex oculo prodire instar pyramidis, cuius conus sit in oculo; basis in obiecto. Alij contrà, dicunt species ab obiecto instar similis pyramidis emitti; ita vt in oculi centrum, tanquam in commune punctum desinant. Pariter refractiones, quæ fiunt ex ocularibus, speculis, aquâ, &c. secundum vtramque sententiam eodem modo explicantur. Euclides ait ex oculis eius, qui se contemplatur in speculo spiritus exire in speculum, & ab eo reflecti versus illum: vnde suos menti colores & lineamenta, per proprios oculos, ac per eandem reflexionem renunciant. Alij dicunt solùm ab eo species resilire in speculum, & inde reflecti in oculos, &c.

Hinc ista sunt communia principia optices secundùm Euclidem: *primum*, radios ab oculo emissos in rectam lineam ferri, aliquoque interuallo distare.

Secundum, figuram à radiis comprehensam, esse conum, qui verticem habeat in oculo, basim verò in extremis rerum visarum.

Tertium, ea solùm cerni, ad quæ radij perueniunt.

Quartum, quæ sub maiore angulo cernuntur, maiora; quæ sub minore, minora existimari; quæ sub æquali, æqualia; quæ sub pluribus angulis, accuratiùs videri.

Quintum, quæ à sublimioribus radiis videntur, sublimiora; quæ à depressioribus, depressiora; quæ à dexterioribus, dexteriora; & quæ à sinistrioribus, sinistriora apparere. Ex his omnes demonstrationes optices infert: è quibus omnibus hanc solùm subjiciam, quòd *nullum adspectabile simul totum cernatur.* Quia cùm radij ab oculo egressi dispergantur, non feruntur continuè in obiectum: ergo relinquunt aliquid in medio, quod non feriunt: ergo id non videbitur; & consequenter, nec totum: existimatur tamen totum cerni simul propter delatorum radiorum celeritatem. Hæc sufficiant; qui plura volent Euclidem ipsum videant, ac alios Perspectiuos.

§. 5.

Quædam quæstiones ad visum pertinentes soluuntur.

QVÆRITVR PRIMO, cur tametsi duo sint oculi, vnica solum visio fiat. In qualibet enim pupilla, obiecti species recipitur: cur non hinc gemina quoque perceptio resultat? Respondet Galenus causam esse neruos opticos, qui antequam ad cerebrum pertingant, vniuntur vt suprà diximus. Ideo Vitello lib. 3. prop. 20. Et Alhazem lib. 1. n. 25. volunt visionem tum primum compleri, cùm forma visibilis humore

cryſtallino recepta, ad communem neruum opticum peruenerit. Verùm in primis nunc conſtat ex anatomia hos duos neruos ſe quidem contingere, ſed non ita coïre, vt vnum efficiant. Præterea ſuprà diximus etiam ſecundum Galenum viſionem non exerceri in huiuſmodi neruo. Alij Reſpondent ideo vnam viſionem elici, quia vnica facultas viſiua eſt. Sed fatentur omnes poſſe à nobis aliquando idem obiectum, vt duplex apparere, vt quando neruorum diſpoſitio violentè diſtorquetur. At annon tunc vnica facultas eſt? Aguilonius Reſpondet plures ſpecies idem ſemel repræſentare propter exactam ſimilitudinem, quam à rebus, à quibus profectæ ſunt, acceperunt. Sed præcipua ratio eſt, ni fallor, quòd vterque oculus eandem prorſus radiorum ad idem obiectum proportionem ſeruet, ac ſub iiſdem omnino angulis illud amplectatur: denique vnicam & eandem radiorum baſim in illo ſtabiliant. Hinc omnino eadem impreſſione mouetur, ſine vlla loci, aut ſitus differentia: ideo vnicum obiectum apparet: & vnica intentione percipitur. Cum neruorum illa diſpoſitio diſtorquetur, alia fit angulorum radiatura: ideo & obiectum ſub alio & alio ſitu exhibetur. Sic quando decuſſatis digitis, aliquid vnum tangimus; id duplex apparet, quia tangitur, quaſi ſub duplici ſitu: quoniam iis partibus illud tangimus, quibus ſolemus ea tangere, quæ ſaltem toto digitorum interuallo diſtant: vnde ſimilis excitatur intentio, ac ſi diſtantia tangerentur.

QVÆRITVR SECVNDO, quomodo diſtantia percipiatur? Reſp. quia videt oculus longitudinem rei alicuius mediæ, vt vel itineris; vel parietis, &c. Ideo cùm nihil eiuſmodi intermedium cernitur, diſtantia non apparet: vt cùm montes aliquos à longe proſpicimus, quorum vnus ab alio multum diſtat, & ſublimior eſt: is vti coniunctus apparet. Sic cœlum cum terra iungi videtur: præterea ex debilitate virtutis, qua obiectum mouet potentiam diſcerni poteſt, ſi aliquid multùm diſtet: cùm ſcil. aliquid ita obſurè, & imperfectè videtur, quemadmodum videri ſolent ea, quæ multùm diſtare ſcimus.

QVÆRITVR TERTIO, vnde magnitudo videatur, & ſitus? Reſp. vnumquodque videri è loco, è quo recta ad oculum linea venire conſueuit. Hinc quælibet pars obiecti videtur in loco, in quo eſt. Et quò inter extrema plures partes continuatæ videntur, eò id maius exiſtimatur. Adde quartũ axioma relatum §. præc. Inde motus etiam percipitur, quando idem modo in vno, deinde in alio loco eſſe apparet. Quies verò, quando diu in eodem percipitur.

QVÆRES QVARTO, cur quæ magis diſtant minora videntur, maiora verò, quæ propiùs? Reſponſio communis perſpectiuorum eſt, quia remotiora faciunt angulum minorem in oculo. Quæ autem ita ſe habent, minora videntur, vt patet ex principiis optices ſuprà relatis. Quo enim angulus radiorum vel egredientium ab oculo; vel illuc perreptantium, minor eſt in cryſtalloide, ibi minorem rei ſpeciem exprimit: maiorem verò, quò maior. Inde etiam euenire volunt, quòd vbi radij refringuntur, viſio varietur: quódque ſpecula, vel ocularia, quæ

radios dispergunt, ita vt ampliores in oculo angulos faciant: obiecta quoque repræsentent ampliora: secus, quæ sic contrahunt, vt minores angulos creent, minora. Hæc tamen ratio haud placet omnibus, quia quæ recedunt ab oculo sub figura pyramidali, ex omnibus suis partibus eundem in oculi centro angulum creant: & tamen partes, quò longiùs abscedunt, eò maiores apparent, saltem vsque ad certum aliquod interuallum: intra quod etiam idem æquale semper videtur, siue proximum, siue remotum fuerit: & tamen proximum creat angulum minorem: ideo est alia responsio. Id quod remotius est videtur minus, quia eius minusculę partes debilius agunt, quam vt excitent visum, ideo non videntur: eoque fit, vt maiores solæ videantur. Ita id apparet tum paucioribus partibus præditum: illæ autem maiores etiam ob distantiam debiliùs agunt, ideo confusiorem, & imperfectiorem in oculo speciem progenerant: vnde discerni nequeant particulæ, quæ nō videntur, ab iis quæ videntur. Ob eam quoque rationem, si à longe pratū videris: licet in eo sparsim discolores herbæ pullulēt, hæ non videbuntur, sed vniuersum pratum vnius coloris apparebit. Similiter, si à lōgè corpus aliquod diuersis angulis constās videris, rotundū id apparebit, quia hi anguli minùs mouent visum: vnde non videntur: denique inde quoque accidit, vt quæ alba sunt, à longè pallida, vel subnigra; quæque splendidiora, etiā obscuriora videantur; quia cum agant in oculum virtute luminis, quo affunduntur, hæc actio, quò longius pergit, eò magis ab efficacitate, quā accipit à suo principio, deficit: & minùs habet claritatis. Hinc innumera alia deduci possūt, quę quisq; vel facile inferre possit ex dictis; vel apud perspectiuos discere. Interim notare oportet, si duo sint corpora æqualia, quorum alterum constet concoloribus partibus; alterū discoloribus, & æqualiter distent: quod partes habet concolores, cæteris paribus videbitur maius, quam alterum; quia illa varietas iuuat ad clariorē partium distinctionem, & ita distinctiùs partes minores discernuntur. Denique ex pari ferme principio pendet, quod titio ardens, dum velocissimè circunducitur, videatur circulum igneum pingere. Ratio est, quia cum in breuissimo interuallo singulas huius circuli partes percurrat, ex quibus eum videri oportet; ob celeritatem non potest oculus discernere partes, in quibus ignis non est, ab iis in quibus est: ideo existimatur esse in omnibus: ob eandem rationem diximus suprà ex Euclide obiectum nullum simul totum videri, apparere tamen visum simul ob celeritatem radiorum.

QVÆRES QVINTO, ad quid prosit lumen, seu pro quo requiratur. Aliqui enim dixere lumen solùm ex parte obiecti requiri, vt Auempace; alij ex parte solius medij ad recipiendas species, vt Auerroës: alij ex parte videntis vt illustrentur oculi. Resp. paucis requiri pro his omnibus: quamquam non tam necessariò pro medio. Clara in primis Platonis opinio in 6. de Rep. vbi vt indubitatum supponit lumen requiri, vt res actu visibiles euadant, & vt actu oculus videat: & quidem quòd ex parte obiecti requiratur euidentissimè liquet ex iis, quæ diximus § 3.

& Confirmatur, quia solum lumen est, quod facit, vt colores actu vim suam per medium traiiciant in oculum: vnde Aristot. optimè dixit in 3. de anima t. 18. Lumen facere, vt colores potentiales euadant colores actu: & in 2. t. 86. ait vt colores non videntur sine lumine; sic acutum & graue non audiri sine sono: atqui sonus coniunctus est. Ergo, &c. Hinc haud illepidè Aguilonius dixit lumen eius esse efficaciæ, vt colores otiosos suscitet, & ceu propria hypostasis decisos ab obiecto vehat. Certè solius luminis efficacitate fit; vt rerum coloratarum imagines per æquè coloratæ sæpe pingantur in pariete, in charta, & in aliis superficiebus politis ac tersis: vt superius diximus cap. 17. §. 2. conclus. 2. Quod etiam requiratur prò vidente, patet ex dictis §. 4. & confirmatur ex Aristot. qui lib. de sensu & sensib. cap. 2. ait *videtur sicut exterius non sine lumine, ita & interius*: & rursus, *necessariò perspicuum est receptiuum luminis, quod est interius oculi.* De medio verò maior est difficultas, quia qui esset in profundissimo puteo, tenebris obseptus, posset stellas, etiam interdiu cernere: item noctu videmus à longe pharum: denique medium non videtur: nihilominus, cùm lumen sit actus perspicui: & medium visionis exercendæ sit perspicuum, eo ipso maximè requiritur lumen in medio, nimirum vt per illud actio, siue virtus obiecti deferri valeat. Ad instantias Respondetur lucē ipsam sibi sufficere ad actionem suam transfundendam per quodcumque medium natura sua transparens: secus colorem: quia color est lux imminuta, & quasi inchoata, cui actio nulla, aut certè non satis efficax competit, nisi ab externo lumine per medium fuso roborentur. Hæc fundátur in experientia, quæ in his omnibus efficax per se censetur argumentum.

Lib. optic. prop. 42.

Ex Arist. 5. de gen. animal. c. 1.

QVÆSTIO SEXTA, quousque radij oculorum exporrigi valeant? Resp. diuersas eas de re olim fuisse sententias, quas refert Piccolominæus lib. de sensu visus cap. 15. *Hipparchus* & aliqui alij veteres perspectiui: & ex modernis *Basso* medicus voluerunt eos extendi ad quodcumque visibile quantumuis distans. *Macrobius* 15. de somnio Scipionis, & 7. Saturn. extendi ait ad 180. stadia. *Proclus* ad 2000. stadiorum. Cùm incerta in his multa, & quædam absurda dicantur, melius est nihil hic affirmare. Solùm hoc vnum reor verum, quòd haud longè abeant spiritus ab oculo exeuntes, & quod longè agant obiecta visibilia: plus, minúsve prout lucis plus, aut minus participant.

QVÆSTIO SEPTIMA, quare noctuæ perspicacius videant noctu, quam interdiu? Resp. id peti ex dispositione oculorum: alij enim debent vehementer affici ab obiectis: alij leuiter, alioquin non visuri. Oculi enim caui, nigri, & duri debent moueri vehementer ab obiecto; ideo debet obiectum illis maximè appropinquari: tales sunt oculi cancrorum: secus, qui debiles sunt, vehementem actionem ferre non possunt, vt in senibus; ideo debent ab his obiecta remoueri. At sunt quoq; alij admodum lucidi, & eminentes, qui facile ab externo lumine disgregantur, & offenduntur, vnde clara, distinctaque colorum perceptio impeditur: ob insitam tamen lucem, noctu cum tantillo lumine externo

acutiùs

acutiùs vident, tales sunt oculi noctuarum, equorum, &c.

QVÆSTIO OCTAVA, cur Antipheron Oritæus, de quo loquitur Aristoteles 3. meteor. cap. 4. semper coram oculis suis sui videbat imaginem? Resp. quia præhumidus cùm esset, ex oculis crassos semper vapores exhalabat, quibus aër incrassatus, instar speculi eius reddebat imaginem. Aristoteles aliam causam reddit, nimirum, quod ob debilitatem visus, aër eodem modo eum refringeret, ac si reuera densus, crassusque esset instar nubis radios solis in Iride refringentis. Hæc responsio supponit veram Euclidis opinionem.

QVÆSTIO NONA, cur pupillam dilatamus aliquando, aliàs verò restringimus? Resp. id ita fieri, experimento certissimè constare: dum enim aliquid subtile, aut propinquum cernere volumus, pupillam contrahimus, vt videlicet confertioribus, & magis collectis radiis id videamus: secus cùm remota prospicimus: tunc enim latiùs spargi debent in aëre spiritus ad diffusioré externi obiecti actionem excipiendam. Item si fenestram magis, aut minùs obduxeris, vt tabellam aliquam sub maiori, aut sub minori luce contempleris, experimento disces contrahi pupillam, cùm sub maiore luce illa considerabitur: quia cùm maior lux spiritus nimium dispergat; natura huic malo succurrit pupillã contrahendo, vt cohibeantur spiritus, ne nimis dissipentur: secus, si sub minore luce: tunc enim liberior requiritur radiorum emissio.

QVÆSTIO DECIMA, cur post conspectum solem aliquandiu videmur nobis videre corpuscula discoloria? Resp. quia intensiore hac lucis actione multùm alteratos fuisse spiritus necesse est, qui lucidiores facti, dum feruente adhuc æstu foras turbinatim effluunt, in ipso aëre, qui semper apud nos vaporibus abundat, colores quosdam lucidos, apparentes tamen, creat, donec humor crystallinus ad pristinam luciditatis mediocritatem reuocetur. Adde quòd splendentes nimium spiritus aliis oculi humoribus interspersi, eiusmodi apparentias edere valeant. Denique calore solaris luminis resolui aliquid humorum visualium potuit: quod dum in aërem externum exhalatur, materiam forte suggerit colorum eiusmodi. Similiter ex perturbatione horum spirituum prouenit: vt ebriis, & iis, qui vertiginem patiuntur, siue ex ægritudine; siue post multas gyrationes, videantur omnia in orbem ferri: Talis namque agitatio spiritibus inest, non obiectis.

QVÆSTIO VNDECIMA, an imago ipsa, quæ creatur in speculo, videatur, nec ne: videri eam simul cum obiecto, quod repræsentat, docuere *Auerr. lib. de sensu & sensib. D. Thom. de verit. q. 8. & 1. p. q. 58. art. 3.* & quidem an non id prima facie apparet manifestum? quis enim audeat credere, quod quis videt in speculo, id non esse in speculo? vel nihil illi imprimi, quod videatur, aut videri queat? hanc æstimationem auget, quod figuræ in speculis intermicantes situm seruent valde diuersum à situ obiecti, quod repræsentant: nam pars dextra in sinistro situ conspicitur: si speculum planum fuerit secundum horizontem, pars obiecti superior, apparet inferior in imagine: denique si fracta sint spe-

cula; multiplex imago efficitur, cum sit vnica res repræsentata. Tamen multi hoc negant, & præsertim, qui perspectiuam profitentur vt constat apud *Ciruelum lib. 2. persp. cap. 2. Vitello lib. 5. Aguilonius lib. 1. prop. 47. &c.* multisque hoc probant argumentis: sed præcipua hæc mihi videntur: primum, quòd si in speculo species, siue imago aliqua imprimitur, hæc erit in superficie. Ergo si ipsa videretur, ex superficie sese proderet: quod tamen est falsum. Secundum, quod me præ omnibus mouet, est eiusmodi. Species, si formetur in speculo, ea semel tota in determinata parte speculi produci deberet, vt inde videretur vbi esset. At hoc falsum est: nam nulla est speculi pars in qua, & ex qua quælibet obiecti pars videri non possit ab eo, qui ex diuerso situ illud intueri voluerit. Et sic oculus, eiusque partes singulæ, nasus, cilia, barba, labia, &c. in singulis speculi partibus sese depingerent: quanta ergo confusio? cur harum omnium partium imagines, non viderentur ex singulis speculi partibus? &c. Adde omnia argumenta, quæ superiùs aduersus species adduximus: hic enim vigent. Quid ergo? Respondeo primùm non esse opus, vt in speculo species vlla producatur: omnia enim abunde possunt explicari, si asserueris obiecti actionem reflecti à speculo. At cur ergo, inquies, obiectũ in fundo videtur, & nõ in proprio suo situ? Resp. quia in ordine ad visum linea reflexa æquiualet rectæ: & repræsentatio situs, loci, ac cæterorum pendet ex directione radij visualis ad obiectum. Quare cum radius oculi tui per rectam lineam à te dirigatur versus fundum speculi, ibi te ipsum videas necesse est quòd vero videaris sub opposito situ, hoc inde fit, quod secundũ perspectiuæ leges actio, seu virtus obiecti, dum obliquè cadit in speculum, versus oppositum latus æquali obliquitate reflectatur: vt quod videtur, semper videnti appareat oppositum; & nunquam situ in eodem. Dum enim vides amicum coram te, eius dextera respondet tuæ sinistræ: sic dum temet contemplaris, opponis te tibi: & in hoc mirabilis elucet in speculis cudendis conditoris industria. Infinita sunt quæ de his dici possent: sed perspectiuos consule. Solùm addidero ex actione illa reflexa in speculum emergere quandam apparentiam imaginis, in fundo speculi latitantis, quæ forte ad Authoribus intelligi potest, dum videri in eo speciem asseuerant: sed species hæc phantastica est, non realis. In speculo solum vis illa recipitur, qua sensus communis inducitur ad tale quid imaginandum. Tandem ita dici potest nullam aliam verè obiecti speciem, siue imaginem procreari, quam ipsam sensionem, vt suprà ex D. August. tradidimus.

Interim quoniam de speculis loquimur, illud Senecæ adnotes velim: *Inuenta sunt specula*, inquit, *non vt barbam, faciemque velleremus, aut vt faciem viri poliremus, sed vt homo ipse se nosceret.* Hinc Socrates, Apuleio teste, speculo solum ad morum disciplinam vtebatur, adolescentibus præcipiens, eo se solùm fine contemplari, vt si pulchros se cernerent, ne vitiis deformarent; si deformes; sese honestarent virtutibus.

Nat. quæst. lib. 1. q. 17.

De speculis quoque loquitur Plato in Timæo, ac paucis verbis rẽ mi-

rè explicat, dicens mirabiles illas imagines inde videri, *cũ ignis oculorum, cum eo igne qui est è conspectu effusus, circa leue, nitidumque corpus, se confundit. Dextera verò videntur, quæ læua sunt, quia contrariis partibus oculorum insolito more contrarias partes attingimus, &c.*

Ista omnia concludo his verbis eiusdem Platonis: postquam enim dixisset præcipuum finem, ob quem Deus oculos nobis dederit, hunc esse, vt ex contemplatione cęlestium, & diuinorum ad finem veræ, ac perfectæ Philosophiæ perduceremur, subdit: *Nobis verò asserendum est, ob hanc potissimum rationem Deũ oculos genuisse, vt mentis circuitus, qui in cœlo peraguntur, intuiti; in vsum redigamus nostræ mentis; cogitationisque nostræ discursiones illis cognatas, sed perturbatas quodammodo ad illorum temperiem reuocemus. Et cum illos agnouerimus, & recta ratione secundum naturam præditi singulorum ordinem perceperimus, conuersiones Dei, quæ sine vllo errore aguntur, imitemur, atque ad earum exemplum discursiones nostræ cogitationis vagas, & erraticas componamus.*

CAPVT XXIX.

DE AVDITV.

§. I.

De ipsius organo.

SEQVITVR modo auditus, cuius quisque satis vtilitatem sentit, quin opus sit vt eam pluribus explicemus.

Ante omnia autem nosse oportet septem neruorum coniugationes oriri à cerebro. *Prima* venit ad oculos, visui seruiens. *Secunda* iterum eodem tendit musculorum motibus ciendis accommodata. *Tertia* dispergitur per linguam, gustûs gratiâ. *Quarta* eidem operi destinata in palatum distribuitur. *Quinta* exporrigitur ad auriculas propter auditum. *Sexta* descendit ad musculos laryngis, quibus mouetur lingua. *Septima* denique descendit ad intestina.

Ergo duo nerui ad aures è cerebro veniunt, vnus ad vnam, & alter ad alteram: vterque autem, postquam ad cellam auriculæ, quæ *tympanum* dicitur, peruenit, diffunditur in duos ramos, quorum maior circumdat tympanum, minor verò, foramen auriculæ spectat. Est autem neruus iste optico crassior, sicciorque: seruitque maximè vt spiritum animalium ad aures deferat, eumque iterum reducat ad cerebrum, vt impressio soni edita in organo ad phantasiam, sensumque communem delata, illico attentionem animi prouocet, ac iudicium. Isque pariter spiritus haud ita subtilis est, ac visorius; neque per se lucidus.

Aures constant variis anfractibus, vt aër sonum deferens aliquandiu

retardetur, ne inopina & vehementior soni actio auditus offendat instrumentum: tum ne soni semel intus recepti dissipentur, priusquam eorum actio ad cerebrum peruenerit, intentionem excitatura. Post anfractus eiusmodi sequitur cauitas quædam in osse quodam arido, & duro, quod *petrosum* dicitur, effossa; in qua continetur aër implantatus, de quo infrà. Os istud est instar cocleæ, & cartilagineum. Vesalius testatur sese inuenisse in hac cauitate ossicula duo, quę tunica nerui quintæ coniugationis copulantur; quorum vnum simile sit denti molari, affixum duabus radicibus in eadem tunica, ex altera parte simile incudi: alterum referat malleoli speciem, ab vna parte cuspidem, ex altera geminum caput exhibens.

Foramini huius ossis petrosi protenditur membrana quædam instar tympani, quæ dura est, & sicca, & in oscitatione præter naturam tenditur, adeo vt si tangatur, fiat tunc læsio. Quando tangitur, partes vicinæ dissiliunt; ideo decidit humor tussim excitans. Membrana hæc tenuis est, vt aër personare queat; sicca verò, vt ex incudis & mallei percussione magis resonet, nec rumpatur. Quibus à natiuitate crassior hæc obuenit, ij difficulter audiunt. Si quid crassioris humoris illi adhæserit, parem inducit audiendi difficultatem.

Denique aër ille, quem diximus esse in cauitate ossis petrosi, est substantia quædam viscosa, & humescens: vnde aëria dicitur: ab aliis aër innatus, vel complantatus appellatur; quòd aëris speciem referat. Secundum quosdam in eadem concauitate continetur alia pars elementali aëre plena, qui dum intrò comprimitur, sonum edit ad modum bombi.

His ita expositis, quæritur quodnam sit organum auditus: seu pars illa corporis, in qua completur & terminatur actio soni exterioris: sunt qui velint eam contineri duobus illis ossiculis: quòd ideo videantur à natura sic aptata, vt sonum intus perficiant. Alij contrà, dicunt hæc ossicula non propter auditum esse instituta, sed solum ad confirmationem prædictæ cauitatis; & ad sustentandum tympanum. Breuis tamen sit

CONCLVSIO. Admodum rationi consentaneum est, præcipuam partem organi auditus esse aërem illlum implantatum: ossicula verò reliqua esse partes famulantes, & adiutrices. Ratio inde petitur, quod illa censeri debeat pars principalis, quæ actioni virtutis obiectiuæ suscipiendæ, ac terminandæ sit accommodatissima: sed talis est aër ille. Ergo. Ma. est indubitata. Mi. patet, quia sonus solùm fit in substantia fluida, quæ facile moueri valeat, qualis est aëria. Ergo tale maxime debet esse auditus organum: Sicut enim organum visus est substantia pellucida, vt similis sit medio pellucido, in quo coloris actio recipitur: Idem à pari fit insito casu: & quemadmodum Aranea vnâ cum aliis humoribus, & tunicis oculi iuuat ad perficiendam actionem coloris in crystallino; Ita malleus ille, atque incus cum tympano possunt quodammodo inseruire ad actionem soni consummandam in auribus. Neque enim credibile est ossicula illa tam aptè ad hunc effectum fuisse à natura comparata, nisi ad auditum efficiendum concursura. Neque tanta opus erat apparatuum copia, vt

autem possent duntaxat sustentare. Adde studio anatomicorum deprehensum fuisse musculum malleo adhærentem, vnde coniectandi locus relinquitur, motum aliquem huic malleo cōpetere: saltem quo aliquantum in incudem queat inclinari. Quamobrem ea inclinatio sonum in aëre implantato receptum expergefacit & corroborat, &c.

Obiicies organum esse partem animatam, aër ille non est pars animata. Ergo. Resp, nego Mi. *Dices*, est eiusdem naturæ cum externo, & æquè elementalis. Resp. nego, est enim substantiæ animalis pars, eaque animata; vti & crystalloides: vocatur tamen implantatus ob similitudinem: nutriturque vel ex spiritibus, qui veniunt è cerebro, vel ex quadam alia substantia prætenui, & in eum illapsa. Neque est permanens, quia defuncto animali dissipatur, ita vt vix dignosci valeat. Distinguitur ergo hæc substantia ab aëre elementari, quem etiam diximus intus existere.

§. 2.

De sono, ac præsertim de voce.

VT color ad visum, sic sonus sese habet ad auditum: Est autem qualitas ex corporum solidorum collisione in aëre, vel saltem in aqua proueniens. Sic Aristot. 2. de anima: verum aliquando corpus fluidum, si modo resistat alteri sonum ciet; eatenusque solido æquipollet; vt cum bacillo aërem percutis, fit sibilus: aut cum nubes mutuò sese collidunt, tonitru, aut cum aër agitatur, fit ventus, &c.

Diuiditur in naturalem & animalem. Ille genericam soni notionem retinet: hic propriè vox appellatur, fit autem hæc vt sequitur. Ab ore ad pectus duplex via sternitur; vna tendit ad ventriculum, & dicitur gula. Altera extra medium colli, pauloque anterior ad pulmonem dirigitur, magis ad ossis, quam ad carnis temperiem cōparata: habetque anfractus circulares, estque aspera arteria; similiter à pulmone procedunt duæ viæ vsque ad cor: altera dicitur arteria venosa: altera, vena arteriosa, in cuius superiore orificio versus os fit magna concauitas, ita vt collum ea parte protuberet, & gurgulio dicitur, seu larinx. Ibi tres sunt cartilagines, & vasa quædam, quibus musculi circiter viginti interseruntur: quibus in omnem modum dilatari, aut contrahi valeant: larinx habet figuram nucis. Ac ne inter respirandum aliqua cibi particula in eam decidat, in superiore eius parte lingula quædā apponitur, ἐπιγλωττὶς dicta, ceu clauicula, quæ facile, vel eleuatur, vel deprimitur per musculos ipsi connexos, prout loquendi vel tacendi appetitus incessit.

Voci autem articulandæ palatum, lingua & dentes plurimum prosunt. Palatum, ceu quoddam vocis refractorium, eam auget, lingua se habet vt plectrum; dentes vt chordæ harmonicæ; palatum vt testudo, seu quemadmodum in organis musicis, videre est follis ventum; fistulas, siue tubiculos in quos immittitur; clauiculos, & digitum pulsantem;

sic in nobis pulmo follibus; arteria fistulis; dentes, clauiculis; lingua, digito, spiritus, vento æquipollent: cum ergo thoracis musculi comprimuntur, aër pulmonis expellitur in arteriam, & pro maiori vel minori laringis dilatatione grauior, vel acutior sonus gignitur: & prout in palato ad dentes, vel ad labia flabello linguæ, hoc aut illo modo colliditur: hunc vel illum vocalium sonum efficit. Nec tamen sic illud Aristotelis abdico, quod ait 2. de anima c. 8. Vocem effici, cum aër ad arteriam gutturalem alliditur: hoc enim quoque verum est: neque dictis opponitur.

Vox definitur *sonus ab anima editus per vocalem partem, cum imaginatione aliquid significandi*; scil. vel conceptum, vel affectum. Ergo animalia, quotquot pulmones habent, propriè vocem emittunt, quia si non conceptus, vt homo; saltem affectus vel doloris, vel delectationis cum imaginatione rei molestæ, vel iucundæ testantur. Pisces non vocem propriè, sed sonum attritu branchiarum edunt. Tussis, cachinnus & similia voces non sunt.

Vox diuiditur in confusam & articulatam: illa communis est brutis: ista locutio propriè dicitur; & soli homini congruit. His ita suppositis, videndum modo est, quid sit sonus, & qualis: quare sit

CONCLVSIO PRIMA: sonum esse qualitatem sensilem, quæ ad tertiam speciem qualitatis pertineat, producit enim passionem in sensu: Estque distincta à corpore, necnon à motu locali. Ex sola enim coniunctione corporum sonantium nihil producitur; aliunde motus non est sonus: siquidem differentiæ sonorum essentiales graue, acutum, &c. nullatenus in motum cadunt: prætere a motus percipi potest à pluribus sensibus: sonus à solo auditu, &c.

Quod verò aliqui dicunt, eas differentias oriri à diuersis figuris corpusculorum, quæ mouentur, & à crebritate, vel raritate motus, seu ictus, quo pulsatur aër, aut sonora illa corpuscula, lusus est & mera somniantis imaginatio. Nam esto subtilior aëris percussio sonum acutiorem edat: at certè sonus non est: ipsa enim percipi potest visu, & tactu, quibus nequit percipi sonus. Et quidni vir graui voce tot ac tam crebras frequentationes ciere poterit, quam puer acutâ? Fides, inquis, quo magis tenditur, crebriores ictus ac reditus edit, quam laxior: atque pari proportione acutiùs sonat. Resp. *primò*, si fides aliqua multò subtilior minus tendatur, quàm crassior, etsi rariores ictus ediderit, acutiùs sonabit: ergo subtilitas soni non prouenit ex frequentatione motus. *Secundò*, per accidens se id habet ad sonum, vt chorda, quò tenuior, ictus crebriores patiatur. Cur ergo, inquies, fides intensior acutiùs sonat? R. quia quò magis tenditur, eò eius pori magis stringuntur: vnde minus habet aëris interclusi: aliunde ipsa siccior, ac subtilior euadit: ideo subtiliùs, atque concisiùs aërem frangit: ac ita permutatur soni qualitas: pendet enim hæc maximè ex fractione aëris ad corpus solidum, vtcumque tamen concauum, durum, ac læue, vt ait Aristot. 2. de anima c. 8. His adde variari quoque posse vocem, cùm sub eadem frequentatione idem

aër concutitur: sicut dum eadem voce acuta differentias vocalium pronunciamus. a, e, i, o, u, &c. Denique quod de corpusculorum figuris additur, merum somnium est: nam licet aliquando ficciora quædam corpuscula dum vi separantur, aërem tanta & tam crebra verberatione refringant, vt inde crepitus, aut stridor audiantur, vt dum torrentur castaneæ, aut ignitum ferrum aqua inspergitur: tamen haud semper id euenit; sed videmus sola corporum solidorum collisione dum flatus intercipitur, sonum cieri. Præterea sine his sonorum differentiæ fiunt.

Dices, cur ergo Plato vocat sonum *acrem*, *validamque aëris percussionem*? & Aristoteles *aëris motionem*? R. his causam pro effectu nominari; sicut cum 7. Ethic. delectatio vocatur operatio. Ideo Arist. 2. de anima t. 78. ait, *percussio est, quæ facit sonum*. Interim hic nosse oportet sonum non sequi proximè, ac immediatè ipsam aëris collisionem: sed potius fractionem aëris intermedij; quo de vide Aristot. cit. t. 80.

Neque etiam volumus motionem ipsam per se causam esse soni: Hac enim aliud nihil producitur præter terminum: sonus autem non est immediatus terminus motionis. Solùm ergo corpora sonantia ictum edendo sonum efficiunt actione distincta, quæ sonatio dici potest.

Sed quid? an non Aristoteles ait vocem acutam fieri ex motus velocitate: grauem ex tarditate? R. velocitatem distingui à frequentatione: quia velocem motionem vocat Aristoteles, quæ cito sensum penetrat: frequentem alij vocant eam, qua spiritus repetito ictu identidem verberatur: solùm ergo Aristoteles voluit sonum acutum, vtpote ictu subtiliore genitum, citiùs in sensorium penetrare, sicut telum acutum citiùs ac profundiùs penetrat: grauis, contrà: ideo dicit, *acutum mouet sensum in pauco tempore multum; graue autem in multo parùm*.

Denique obiici potest sonum esse corpus, idque graue, quia facilius ex inferiori parte auditur. R. id non sequi; quod enim ex inferiori parte melius audiatur, id solum inde fit, quod deorsum maior eius fiat reflexio: & aliunde aër superior multis halitibus crassescens, sonum impediat.

CONCLVSIO SECVNDA: Sonus est qualitas succesſiua, cuius singulæ partes respondent singulis motus partibus. Ita Aristot. de sensu & sensib. Ratio nulla melior, quam experimentum: nec valet eorum responsio, qui dicunt sonum ideo succesſiuum vocari, & videri; quia succesſiuè propagatur. *Contrà*, calor ita propagatur etiam succesſiuè, an propterea dicitur qualitas succesſiua? At, inquies, obiecta reliquorum sensuum in aliquo permanente consistunt. Ergo similiter & sonus. R. Nego conseq. quia singulis sensibus inest aliquid proprium.

Dices, omne succeſſiuum constat indiuisibilibus vnientibus, quæ instantibus æquipolleant: at in sono nihil eiusmodi potest fingi. R. *primo*, eodem modo componi sonum, quo in Phys. diximus componi continua, nempe indiuisibilibus. R. *secundo*, à Peripateticis solere in sono quasdam particulas induisibiles assignari, quas barbarè *sonata esse* nuncupant, vt in motu *mutata esse* constituunt.

§. 3.

Aliquot quæstiones ad sonum spectantes soluuntur.

QVÆSTIO PRIMA, In quo subiecto sit sonus. R. id esse principaliter aërem. Ita Aristot. problem. 14. & inde patet, quòd per aërem deferatur: & in aëre collisio fiat. Ideo dum oscitamus, minùs audimus sonos externos; quia intrò attrahitur aliquis aër, qui collisús sonum intus efficit. Præterea ideo cymbalum multò tempore tinnit: quoniam aër inclusus aliquandiu agitatur: & ita diutius sonum seruat, vel edit potiùs: & in instrumentis musicis, non ob aliam rationem, ob diuersas figuras diuersus cietur sonus, nisi quia diuersa fit aëris refractio. Quamobrem nec in fidibus propriè sonus Cytharæ, neque in arteriis vox efficitur: sed in aëre intercluso, qui proximè illis subest: vtque concedam in iis aliquid soni exprimi, certè is perexiguus est.

Inde patet ea, quæ magis aëria sunt magis sonare; si tamen sicca ea fuerint. Ideo aurum argento; calybs ferro; fagus lignis aliis meliùs sonant, &c. aër autem ideo ad sonum aptus est, quia quadamtenus compactus est, quippe quī poris caret, ideo nec diuidi, nec cedere, neq; penetrare faciliùs potest, quam oportet: sed collisus potiùs frangitur.

Inde quoque patet corpora sonantia debere esse concaua. Sed interim læuia, & quodammodo dura: concaua enim requiruntur, vt aërem contineant: læuia & tersa; quia quæ partes habent inæqualiter prominentes vt aspera, vix queunt aërem interceptum collidere: ideo molliora, cæteris paribus, si fuerint læuia, magis personant, quam duriora: durities denique requiritur, vt aëris resistentia dometur.

Denique vt maximè sonent hæc corpora, debent ita collocari, vt tremere, ac mutare situm secundum omnes partes valeant, vt Campanæ pensiles. Ita enim aër meliùs verberatur: adde quòd medium deferendi soni sit ipsemet aër, vt tremulus, ita vt sicut diaphaneitas in deferenda colorum specie, sic leuis quædam aëris agitatio, seu tremor in deferenda sonorum specie pernecessarius esse videatur.

QVÆSTIO SECVNDA, an possit etiam in aqua fieri? Responsio affirmatiua, communis est, ita tamen vt multò imperfectiùs hic fiat. Docet enim Arist. 4 de hist. animalium pisces audire in aqua: fuisse item dicitur in piscinis Cęsaris piscis quidā, qui nomine vocatus, accederet: an non etiam nubes mutuò in sese compactæ sonant? sunt tamen aquæ. Denique non modo ranæ in fundo lacus audiuntur; sed & vrinatores, dum manibus plaudunt; vel lapides collidunt, sonum edunt, qui facile auditur: neque iuuat, inquiunt, recurrere ad aërem huc admixtum, si enim aliquis insit, hic profectò exilior erit, quam vt tanto sono vbilibet aquarum efficiendo, deferendo, & audiendo sufficiat: nihilominus *Alb. Ægydius, Iauellus, Bannez in 1. p. q. 78. Complut. &c.* id negant: quia ex Aristot. 2, de anima t. 79. *oportet solidorum repercussionem* [illegible] *ad inui-*

cem

cem, & ad aërem. Id quod sæpiùs repetit D. Thomas ibidem. Ratio est, quia pisces nantes non audiuntur à piscatoribus: ideo aiunt solum quidem aërem esse subiectum, in quo fit sonus, licet is possit per aquam traiicere species intentionales. Atque ita quoties in aqua fit sonus, sat ibi aëris recondi: vnde post sonum editum bullæ aëriæ supernatant, quia expulsus aër huc ascendit. Vtrumque probabile, nihil demonstratum hic esto.

QVÆSTIO TERTIA, an diffundatur per medium, & quomodo? Resp. non esse dubium, quin à longo interuallo audiatur, & item quin per muros interiectos. Quæritur solùm, an sonus realis ad aurem referatur, sicut calor realis ab igni ad manum: an verò per speciem intentionalem. Sunt enim aliqui, qui affirmant, vt omnes qui Epicuri, aut Democriti partes tuentur, quibus etiam accedit Auicenna: ex Peripateticis, alij volunt quemlibet sonum aliquousque per successiuos aëris percussi circulos deferri: ac inde solum intentionaliter vsque ad aures: cùm enim certū sit aërem, vt & aquam, percussum, circumcirca vndantes circuitus glomerare, qui vsque ad quemdam terminum multiplicantur, & succedunt. Eatenus ipsi dicunt multiplicari etiam realem sonum: ita *Themistius, Alexander, Auerroes, Vitruuius l. 5. de Architect.* Alij id negant.

Resp. ergo in primis non posse negari, quin aliquando realiter multiplicetur, ac tunc præsertim, quando post ictum principalem tinnitus, aut murmur aliquod perdurat; vt in tympano, cythara, campanis, &c. alioquin certè crediderim nusquam realiter propagari. Enimuero certum est aërem extrinsecus commotum non posse aërem implantatum ingredi: foramen enim quo ad illum via patet, ita exiguum est, vt extremam acus aciem vix capiat; vnde ob anfractus, & subtilitatem foramen cæcum dicitur: *Secundò* etiam certum est sonum realem ad aurem non pertingere, quia sonus audiretur semper vt proximus; tum quia sonus, qui prope aurem excitatur, distinctè percipi non potest. Certum etiam est eum in medio per illos aëris vndātis circuitus realiter non deferri; quia ibi quoque audiretur boatus aliquis, vt fit circa campanam; & cum multi secum confabulantur, non posset non perturbari, ac confundi sonus ille in medio: quia hoc diuersis, atque oppositis motibus agitatur.

Instantiam vnam solum video, qua possint authores oppositi conniti: nempe quòd sæpe sonus non audiatur, vbi primum elicitur: videmus enim tonitrui flammam, antequam ictū, qua excitur, audiamus: ita & in tormentis bellicis. Id autem cur, nisi quia sonus vsque ad quendam terminum, ex quo deinceps intentionaliter auditur, realiter propagatur? R. si hæc causa esset vera, inferendum necessariò esse, quòd qui propè sunt, sonum toto illo tempore durantem audirent, quo realiter propagatur, sicut qui prope sonantem campanam sunt, bombum eius, ac murmur obaudiunt. Dicendum ergo id inde oriri, quòd actio, vel species soni referatur tardiùs ad auditum: quoniam defertur per cōtinuum

quendam, & iugem tremorem aëris, vt coloris actio per lumen: tremor autē ille subtilis ita est vt parietis poros permeet: procedit tamē semper successiuè; sed ita vt eius successionis vsque ad certum terminū tarditatē sensus discernere nequeat, queat verò, quò longiùs progressus fuerit. Id autem comprobatur experimentis, quibus compertum est, quoslibet sonos, siue magnos, siue paruos, in eodem loco excitatos æqua velocitate ferri ad locum, è quo audiuntur: quia scilicet actio intentionalis, cùm non habeat cōtrarium, æquo semper incessu prouehitur: sicut dum duo corpora grauia cadūt per medium, cuius totam resistentiam superarunt, etsi dispari grauitate, pari tamen velocitate descendunt.

Secundo, id etiam confirmatur ex eo quòd sonus semper æquabiliter feratur, neque enim secundo vento flante acceleratur, neque aduerso retardatur. Quia scilicet talis est efficacitas actionis intentionalis; vt patet in lumine: aliunde tremor ille aëris impediri non potest, quia naturali quadam proprietate semel inceptus in vna parte per reliquam aëris substantiam serpit. Quare potest quidem ventus aliò sonum diuertere; sed non retardare. Ita fit vt vento procul dispellente aërem, per quem ad nos sonus ferebatur, eum quasi à longinquiori, & debilius audiamus, sed tamen æquè citò.

Interim nihil vetat primis aëris glomerationibus sonum aliquem excitari, tam leuem, vt audiri nequeat. Etenim cum certum sit grauiorem ictum grauiori quoque bombo, vel tinnitu resonare, negari vix potest, quin proportione seruata minor ictus, minorem bombum efficiat: ita tamen vt non audiatur sæpissimè, & aliquādo etiam hæ *regyrationes* impediantur, dum interim æquè vox percipitur. Et hoc maximè videtur velle *S. Thom. in 2. d. 2. q. 2. & in 2. de anima, l. 16. vide Complut. Sic. & Bannez in 1. p. q. 78.*

QVÆSTIO QVARTA. Quid sit Echo, & quomodo fiat? Resp. *Auicennam* voluisse eundem numero sonum, qui exit à corpore sonante reflecti ab obstaculo ad audientem: *Toletus* & alij putant Echo fieri, cùm soni species reflectuntur, sicut cum species coloris repercutiuntur à speculo. *Bannez* putat ex percussione corporum sonantium aërem in gyros glomerari: qui vndulosè ad locum, in quo fit Echo, progressi: hinc reflectuntur in contrarium: idque ex Aristot. in 2. de ani. t. 80. atque ex D. Thom. ibidem probat. *Echo*, inquit Arist. *fit, cum ab aëre vno facto propter vas determinans* (i. concauum locum,) *& prohibens diffundi: iterum aër repellitur sicut sphæra.* Ita Echo explicatur ab aliis nonnullis Thomistis, quos vide apud Complutenses, & à Conimbric. & Suarez, &c. Verùm in hac opinione hoc vnum me commouet, quod difficillimè crediderim eandem circumgyrationem aëris, quæ à voce articulata primū tanto humani spiritus, aut instrumenti musici artificio facta est, posse à rupis indigesta, rudique superficie; & à semper simili tam dissimiles reformari: *reformari dico*, quia nequit illa regyratio repercuti, nisi quasi secundariò formetur in aëre. Quamobrem ipse crediderim sufficere, si actio soni per aërem delata, cum eodem reflectatur

à loco concauo, & obsistente: quamobrem à pari, idem de huiusmodi sono reflexo dixerim, quod de imagine reflexa è speculo. Interim cum præmonuerimus supra tremorem quendam, siue agitationem sonoram in aëre supponi, quo mediante deferatur actio soni: abunde per hanc poterimus S. Thomam, & Aristotelem interpretari.

Quemadmodum autem vnum speculum alteri oppositum; iterum reddit, necnon & multiplicat obiecti speciem: & quidem toties, quot erunt specula ita præparata: ad eum modum loca soni reflexiua possunt ita successiuè digeri, vt species, siue actiones sonorum sæpiùs multiplicentur, sonosque toties audiri faciant: eousque vt decies septies, & aliquando etiam vicies sexies, eadem syllaba successiuè reddita fuerit. *Olim apud Carentonē vbi nunc est cœnobium Carmelitarum.*

Notandum est interim sonum reflexum nõ audiri, aut saltẽ distingui non posse ab iis, qui propiùs accedunt ad locum, in quo Echo fit: quia ibi eodem momento reflexus fit, quo huc directus peruenit: at tunc ibi debet audiri, qui illic fit, simulque qui eò peruenit, tunc solùm auditur, cum peruenit. Ergo simul vterque obauditur: at quia sonus reflexus minoris est efficaciæ, quam directus, ideo longiori successione propagatur, & auditur tardiùs. Et quoniam sæpe sonus directus eò perducitur cum reali quadam, & ampla aëris circumgyratione, quæ locum concauum subiens, murmur aliquod excitat, ideo qui prope sunt, illud audiunt, non qui longè.

Ex his sequitur quòd à vicinioribus pauciores; à remotioribus plures syllabæ audiri debeant: itemque quò intensior sonus directus fuerit. Hinc vix sciri potest, quot syllabæ reflecti queant: auditum aliquando fuisse integrum hexametrum, sunt qui affirment.

QVÆSTIO QVINTA. Cur soni harmonici hominem præsertim delectent? Resp. alij alias rationes afferunt, ea certè mihi placet, quæ solet à Platonicis adhiberi: quia nimirum solus homo inter animantes, animam habet rationibus & regulis anticipatiuis omnium proportionum fœtam & sigillatam vt diximus in fine Logicæ, & suprà cap. 1. §. 3. Adde quod solus homo differentias sonorum verè iudicare, easque inter se conferre, & vnius præ alio excellentiam nosse, valeat.

CAPVT XX.

DE OLFACTV.

§. I.

Eius organum describitur.

HAVD facile est decidere, qua in animalis parte, constitui debeat olfactus organum. Ipseque Aristoteles adeo parcè hac de re locutus, est vt eum Galenus incuset, quod cum eloquentiæ parens sit, rem tamen hanc nequaquam sermone illustrauerit; sed potiùs ita inuoluerit, vt quid senserit, nos oporteat vaticinari. *In primo de hist. animal. & 5. de Gen. anim.* videtur in naso illud ponere. *In probl. sect. 13. probl. 5.* in cerebro: *in l. de sensu & sensib. c. 2.* prope cerebrum, vix quidquam expressius inuenies: ex quo saltem inferendum est, rem non esse ita manifestam, quin dubitationi maximum locum relinquat: verùm vt clariùs procedamus, priùs quæ certa sunt, expendamus.

l. de organo olf.

In olfactu primùm considerandus est nasus, ad tria potissimum idoneus, *primò* ad aërem respirandum; quem partim ad cerebrum, partim ad cor attrahi necesse est: *secundo*, ad excrementa cerebri emungenda; ideo procliuis factus est: *tertio*, ad odorandum: quæ autem naso longiore prædita sunt, ea sagaciora videntur: quibusdam tamen animantibus nasus datur instar manuum, vt proboscis Elephantis: alia vtcumq; odores percipiunt branchiis, vel quibusdam fistulis, aut præcinctu aliquo, analogum quid ad nares præferente vt insecta.

In superiore porrò narium extremitate duo sunt tubercula, seu carunculæ, quæ mammillares, siue papillares solent nuncupari, eò quod mammillæ caput quodãmodo imitentur. Per has cerebrum exonerat excrementa sua in nasum, & odores attrahit: perque illas duo quoque neruorum rami à quinta coniugatione cerebri procedunt, vt per hos spiritus animales odoratûs administri à cerebro in nasum, vim odorum excepturi; iterumque è naso in cerebrum attentionem excitaturi fluunt, refluuntque.

His duobus tuberculis, siue processibus mammillaribus subest os cribrosum instar cribri, spongiæque multis minutis, & obliquis foraminibus pertusum, vt aër, quo solet odor deferri, quasi cribretur, attenuetur, & percoletur: ac ita vitali excitandæ odoratus actioni euadat aptior: vocaturque spongoides, seu spongiosum: eo præterea impeditur, ne aër copiosior, aut intemperatus in cerebrum facilius surrepat. Eidem ossi credunt aliqui supernè membranam quandam pertinaciter adhærescere, quæ *crassa meninx* appellatur; similiter omnino pertusam, sicut os illud spongiosum: ita vt in hæc foramina desinant processus mammilla-

res. Hanc Aristoteles videtur nomine operculi cuiusdam innuisse, quod vult ipsa respiratione attolli, vt odor organum subeat: verum id alij negant, quod nullum tale operculum anatome deprehendatur: at nihilominus hæc duo conciliari possunt; ita vt non detur quidpiam operculo simile distinctum ab illa membrana; detur verò hæc: eaque operculi fungatur officio. Talis ergo, ac tantus est apparatus, quem natura instituit ad purgandum, & eliquandum halitum odoriferum, vt dum sensiterium mouet, non officiat cerebro. 2. de anima c. 9. l. de sensu c. 5.

Quæritur modo, in quo præcipuè constitui debeat olfactus organum. Diuersas lego sententias, vix vllam rationem. Gal. 8. de vsu partium illud intra cranium collocat, atque in ipsis cerebri anterioribus ventriculis, vaporosum quendam spiritum continentibus. *Auerroes* 2. collect. in neruo, aut in membrana. *Auicenna*, *Albertus*, &c. in carunculis illis mammillaribus.

CONCLVSIO: Quamquam ea omnia, quæ sunt ennumerata cõcurrant ad olfactionem: ipsiusque completi organi parte sint: id tamen in quo principalior odorum actio fit, est processus mammillaris. Quod omnia concurrant, patet quia natura nihil facit frustra. Idemque in olfactus organo, quod in organis visus & auditus, ipsa obseruauit, in quibus varia construxit, eaque necessaria adminicula iis sensibus excitandis. Aliunde recolendum est quod supra diximus, cum de organo visus loqueremur, ipsam propriè attentionem non fieri, nisi in cerebro, vbi est sensus communis: quamquam vi principalis cuiusdam impressionis in singulari organo editæ, ea sequi debeat. Atque hoc est quod modo quærimus, quod illud principale sit organum.

Hoc autem non esse intra cranium, vel quidpiam cerebri, patet: tum quia in eo sedes est sensus communis, & phantasiæ: ergo non debet constitui sedes vllius sensus particularis: quamobrem cerebrum est veluti aula prætorij, in qua litigantium causæ decernuntur: sensus verò, sunt velut aditus per quos eæ deferuntur. Rursus frustra esset tantus ille dispositionum apparatus, quo nares Deus locupletauit. Denique experimur sensionem, id est, actionem odoris, quæ attentionem animi excitat, terminatque, in naribus fieri.

Aliunde quòd ea non fiat in osse cribroso, patet ex ipsomet Aristot. 2. de anima: quia id expers omnis sensus est; ac nimis durum, & terreum. Neque item in membrana, aut tunica, quia hæc vsque ad linguam porrigitur. ergo ea odores cur non perciperet? Neque denique in neruis, quia sunt eiusdem temperiei cum cerebro, nimiumque terrei, tactuique solùm seruiunt. Ergo, &c.

Probatur rursus, atque explicatur conclusio sic: organum præcipuè in ea parte situm est, quæ congruentius, efficaciusq; mouetur ab odoribus: illud autem debet esse quidpiam maximè commẽsuratum, & cognatum subiecto illorum. Hinc enim summa erit præditum aptitudine ad eorum excipiendam energiã. Ob hanc etiam rationem ex Galeno lucidum debuit esse ac purum in oculo, quod erat à coloribus alterandum: & aë-

rium in auribus, quod à sono. Ita etiam vt optimè possit organum olfa-ctus alterari ab odoribus, id debet maximam cum odorum natura sorti-ri affinitatem: iisque qualitatibus eximiè affici, quas in præstantissimo suo subiecto ipsi exoptant. Ita enim ob summam sympathiam, & pro-portionem facillimè actione, & virtute illorum afficietur. Atqui nihil esse potest, quod proprio subiecto odorum sit affinius, quam eiuscemodi caruncula papillaris: siquidem subiectum proprium odorum est aliquid aëre densius & aqua tenuius: itemque nec omnino siccum, nec omnino humidum: talis autem est illa caruncula.

Præterea, experimur olfaciendo nos intus in huiusmodi recessus at-trahere aërem odoriferum, inspirando videlicet, ac intus eum quodam-modo constringendo: posseque nos etiam cohibere odoratum, compri-mendo interiores quasdam narium partes. Ergo debet organum odora-tus constitui in ea parte, quæ laxari, & comprimi expirando, & inspi-rando possit: talis autem est illa substantia, vbi notabis interim ex Ga-leno cit. Quòd *obstructis ab aliquo naribus (sicut & Plato alicubi dicit) odor quidem nullus pertransit, spiritus verò,* (siue aër subtilissimus) *odore priuatus, ipse solus sequitur.* Ex quo sequitur *primo*, quòd olfactio pen-deat ex aliqua parte, quæ facile comprimi, aut laxari queat: *secundo*, odo-rem esse quid crassius aëre subtili: *tertio*, eum subire intra organum per meatus aliquos paulò laxiores poris ipsis eiusmodi partium: *quarto*, ol-factus non esse infra eiusmodi carunculas: *quinto*, denique id optimè ab Aristot. & D. Thoma locari prope cerebrum, extra tamen.

l de vsu partium c. 8.

Ex his iam penè constat, qualis sit illa substantia papillaris, aut qua-lis temperiei. D. Thomas post Aristot. 2. de anima, respondet, *organum odoratus esse aëris, vel aquæ.* Quamobrem existimauerim esse quidquam aërium, affinius tamen aqueo, quam aërem illum implantatum, quem in aure admisimus. Ita enim maior seruabitur proportio cum obiecto: ac denique id ex mollitie, crassitieque huiusmodi caruncularum euinci-tur.

l. de sens. lect 5.

D. Thomas cit. (vel author eius commentarij, quisquis sit,) asserit organum olfactus esse frigidum, & humidum; quia, inquit, debet esse in potentia, id quod *odor actu, qui est per calorem, vel ignem, & ita oportet, quòd sit potentia calidum: potentia autem calidum est materia frigidi: nec* enim *potest esse in potentia ad vnum, nisi secundum quod est actu sub altero, vel perfectè, vel imperfectè.* Verum pauca hic notanda existimo.

Primo, debet organum alicuius sensus omnino per se carere actuali qualitate, qua constat eius obiectum, vt organus visus, caret actu colore. *Secundo*, debet præcipuè constare principiis maximè consentaneis huius-modi qualitati: quemadmodum diximus organum visus constare ex aliquali participatione ignis, eo quod hæc maximè colori consentiat. *Tertio*, id quod est in potentia ad aliud, illi non omni ex parte debet dis-simile præsupponi, vt diximus in l. de Gen. Ergo debet illi aliqua ex parte simile existere. His positis dico organum olfactus non esse omni-no frigidum, quia non est sat conforme odori, alioquin multum cali-

do: at neque debet multum esse siccum; sed temperatè, quantum scilicet exigit iusta proportio eius cum natura media inter aërem, & aquam. vnde in eadem illa substantia sæpe aër, qui frigidior inspiratur, solet calefieri, ne cerebro noceat. Aliunde spiritibus animalibus sat calidis abundat: adde quod notauit Hippocrates olfactum, cùm pituitoso defluxu, aut alio quouis humore scatet, parum sentire. Ergo esse non debet multum humidum. *l. de carnib.*

At cur, inquies, ab Aristot. l. de sensu, *igni attribuitur odoratus*? R. D. Thom. quia ibi sumitur odoratus non in potentia, sed in actu: quomodo factus odor in actu, debet esse calidus, & siccus. Adde quòd exhalationibus calidis. & siccis affici soleat.

Interim cum Aristotele notare oportet ea solùm animalia cum inspiratione olfacere, quæ tale operculum habent, id est, talem carnem, talemue membranam, quæ contrahi, aut dilatari valeat: cætera verò, vt pisces, & insecta sine huiusmodi inspiratione odorem persentiscere, sponte in eorum sensiterium semper patens illabentem: sicut solæ animantes, quę habent palpebras, earum apertione inspiciunt: secus quæ illis carent, vt locustæ: oculos enim semper apertos gerunt.

§. 2.

De Odoribus.

THEOPHRASTVS, Galenus, & alij multi volunt odorem esse vaporem, aut exhalationem corporis odoriferi, eoque concedunt omnes, qui omnia ex corpusculis, atomisque conficiunt: sed nihilominus sit

CONCLVSIO: Odor est qualitas, qua corpus fit odorabile: vel fortè meliùs, est qualitas orta ex sicco prædominante cum humido blandiùs temperato per calorem vnientem & resoluentem.

Quòd sit qualitas, patet ex eo vel maximè, quod corpus vt corpus non sit per se sensibile, vt sæpe diximus: cætera verò indicant principia, ex quibus emergit, quòd sic explico. Ad odorem requiritur siccitas, sed prædominans: sicut ad saporem humiditas, quapropter subiectum odoris debet esse vapor quidam calore potissimum exsiccatus: vel exhalatio peculiari quadam ratione, per calorem cum aliquo humore temperata. Hoc significauit Plato, cùm dixit in Timæo: *Omnis odor aut fumus est, aut caligo. Sed horum quod ex aëre mutatur in aquam, caligo: quod verò ex aqua in aerem, fumus. Hinc fit vt aquâ odores tenuiores sint, aere crassiores.* Idcirco semigeniam eorum naturam dixit, quod mediæ naturæ sint inter aëream, & aqueam: quasi quid ex vtraque mixtum, præualente nihilominus siccitate, & calore resoluente. Ita verè materia odoris est fumus humidus & aërius: fitque potissimum ex commutatione vnius in alterum: cum vel vapor subtilior, & humidior fit siccior & crassior, id quod nomine caliginis intelligit, quia in quandam

opacitatem definit: vel exhalatio densa, crassa, & frigida, fit humidior, subtilior, & calidior; id quod fumum nominat, seu suffitum. His ergo nihil aliud vult, quam quod docuit Hippocrates, necessarium esse, vt siccum & tenue prædominentur in odore: ita vt neque siccum igneum sit, quia hoc est sine humiditate: neque terreum, quia sine calore: sed aërium, vt odor facile diffundatur, & transmeet: ipsoque tandem aëre crassius, vt organo euadat affine. Calor requiritur, vt humiditatem concoquat: non verò frigus, ne poros adstringat. Hæc autem omnia confirmantur,

Primo, ex eo quod aromata soleant accendi, vt odorem spargant: aut conteri, vt fumus, vel euaporatio aëria valeat liberiùs vi caloris efflari. Hinc odorifera meliùs æstate, quam hyeme; interdiu, quam nocte; calefacta, quam frigida sentiuntur.

Secundo, quòd quæ impensè olent, amara sint communiter, quia nimis cocta, & arida: in locis item aridioribus, & calidioribus suauiores odores nascantur, vt in Arabia, Syria, &c. vnde pretiosiora solent aromata deuehi. Et è contrario, quæ bene olent, si nimis humescunt, odorem amittant: ideo in Ægypto propter frequentem Nili exundationē paucæ nascuntur plantæ odoriferæ: quæ verò ob ariditatem non olent, humectata, olere incipiant: vti terra semente fragrante consita, quæ vix nisi paululum madescat, eius odorem perspirat.

Tertio, quòd omnia mixta calida dicantur esse odorata: vixque vllum odoratum sit frigidum. Quod si rosas, nymphæas, &c. obieceris, quæ videntur esse frigida; & tamen odorata. Respondent Medici in iis esse aliquas partes calidiores aliis, easque solùm fragrare, licet frigidiores mole reliquas superent: quo fit, vt ex odore vnius plantæ, de temperie totius plantæ æquum iudicium ferri non possit, saltem in genere, licet in particulari sæpius ex odore rei, bene iudicetur an bona, an corrupta sit, vt an vinum sit austerum, an dulce: an pomum sit acidum, &c. odor piperis, eius acrimoniā prodit, &c. quo fit, vt Physici aliqui dixerint odorem esse, *saporem exhalantem*: vel dicito eiusmodi flores solùm comparatè, ac cum hominis corpore collatos, dici frigidos, quod vim aliquam habeant id refrigerandi, licet modicè.

Quarto, quòd salsa, & acerba parùm sint odora, quia sicco nimis terreo constant.

Quinto, quòd dulcia minùs oleant, quia humidum in iis præualet.

Sexto, quòd bene olentia sint diuretica, i. vrinam moueant, quia vis ignea illis inspersa partes magis attenuat, easque magis fluxiles, ac penetrantes facit.

Ex his & aliis multis euidenter infertur odores consistere in mixtis siccis, & calidis benigna tamen humiditate temperatis. Eorumque causam efficientem esse calorem cùm internum, tum externum: internus enim alterat, coquit, & miscet humidum sapidum cum sicco; externus corpora odorata relaxat; atque ex iis odorem, seu melius halitus odoriferos educit.

Ita

Ita odorum formatio ex multis pendet: *Primo*, à forma mixti, nam eius plerumque proprietates sunt: ab ea tamen proueniunt mediante temperie, quæ illi per se debetur: quæ quia plurimum ex soli, cælique varijs influxibus pendet, inde fit, vt quædam odorata vnam ament mundi plagam, alia verò aliam; & quædam calidiorem: alia magis tepentem: quia prout ad excessum, vel defectum humidi, vel sicci proniora sunt, diuerso quoque debitæ temperationis principio externo egent. Hinc myrthus bene olet in Ægypto, vbi vix quidquam aliud fragrat: Iris melior in Illyride, quam in Macedonia; nihil olet in Thracia. Præterea serenitas aëris multum iuuat, ideo mane fragrātiùs, quam vllo alio tempore flores olent, quia neque æstu meridiano, humiditas; neque vaporibus vespertinis, siccitas minuuntur. Adde quod; in puriori aërepurius ab humoribus organum sit. Denique certa concoctionis mensura exigitur diuersa in diuersis, quo fit, vt quædā syluestria meliùs, quam hortensia oleant, vt mespila, pira, sorba, &c. quędam, contrà, vt rosa: quędam siccata odorem seruent vt rosæ, non alia vt violæ: nonnulla solum secundum aliquas partes, alia secundum se tota fragrent, &c. At hæc coctio debet esse lenis; non torrens: quapropter gummi, & lacrymæ odoratæ, igni exustæ, nullum odorem spargunt: quia flamma citiùs absumit suffitus odoratos; ob quam etiam rationem aromata diutiùs odorem seruant cinere suffita, quam igni. Aliunde sæpe flores & res odoratæ procul meliùs olent, quam prope, quia vapor odoratus prope adhuc plus humoris alimentitij, vel radicibus adhærentis retinet, à quo hinc recedendo, vi caloris extrahentis, & attenuantis expurgatur.

Sed quid, an non sunt multa præhumida, quæ bene olent, vt opobalsamum, vinum, aquæ stillatitiæ? &c. R. iis contineri spiritus aliquos natura sicciores & igneos, qui cum reliqua mixti humiditate blandè sic temperantur, vt bene oleant.

§. 3.
Aliquot quæstiones explicantur.

RESTANT modo aliquæ quæstiones paucis expendendæ.

QVÆSTIO PRIMA, Quot & quales sint odorum differentiæ. R. eas minùs accuratè posse discerni, eò quòd homo non multùm exquisitā habeat vim olfaciendi: ideo quemadmodū animantes quædam sunt oculis duris, & corneis prędita, quæ non facile omnes colores discernunt, sed solùm lucidissimos; ita homo solùm vehemētiores odores percipit, quia humidiore debuit cerebro donari ad melius, & sincerius iudicandum, firmiusque reminiscendum, atque ita Plato & Aristoteles.

Tamen distingui possunt odores hoc modo: alij sunt grati: alij insuaues. Gratus vocatur *fragrantia*; insuauis, *fætor*: ille oritur ex temperie olfacienti cōsentanea; & sympathetica; iste ex dissentanea, & antipathetica. Ideo forte quæ nobis sunt ingrata, grata sunt aliis: videmus enim porcos, coruos, vultures, &c. deliciosè allici ab iis, quę graueolentia sua

nos valde absterrent. Solet tamen à nonnullis suaueolentia per temperatiorem,& perfectiorem coctionem sicci,& humidi definiri;ita vt hæc fiat ex subsidentia,vel segregatione partis, & humoris crassioris, & terrestris,tum spumosi,& aquosi attenuatione, exhalatione, segregatione, &c. Plato nullam aliam diuisionem adduxit.

Alij quidem odorem diuidunt pro varietate humidi sapidi, ex quo prouenit vt alius acris; alius amarus; alius acerbus dicatur: alij ratione intensionis,quæ penes acutum & ignauum attenditur, vt acutus sit, qui è longinquo,& acriter;ignauus, qui cominus, & tardè sentiatur.

. QVÆSTIO SECVNDA, an odores spargantur realiter cum prædictis halitibus vsque ad olfactum,& quomodo eum afficiant? R. communiter affirmari cum odore simul euaporationem in cerebrum penetrare. Idque ex multis experimentis quæ vulgariter referuntur, efficitur:nam constat ex sola herbarum olfactione leuari, aut grauari sæpenumero cerebrum:ea interdum delirium sanat:aliquando inducit,vt docet *Gal.l.de instr. olfactus.* Item videmus herbas odoras, ex nimia olfactione flaccescere, quòd scilcet nimium illi halitus euaporent. Ideoque vnguentarij odoramenta miscent cum oleo omphacino, vt visciditate, & adstrictione olei ex oliuis immaturis fumi illi non dissipentur. Item nemo nescit odore electri, aut aliis suauissimis cerebrum incalescere; sanguinem in venis feruescere,animantes quasdam interfici, fugari,&c. Denique odores in medio sese mutuo impediunt,vento dispelluntur, &c.

Attamen in sensiterium debent agere actione spiritali,& nobiliori: vt ad vitalem sui repræsentationem concurrere queant. Ita *D.Thom. in 2. de anima lect.20.*

An verò possit odor è longinquo mittere speciem intentionalem,problema est,cuius vix quidquam potest determinari:qui affirmant fundantur in eo quod post bellum Trojanum vultures,aut corui legãtur à plusquam 500.milliaribus venisse ad cadauera:non est autem,inquiunt,credibile potuisse halitus tam immensum tractum implere. Qui verò negant respondent, vel vultures eiusmodi casu illuc conuolasse, allectos, scil. à cadaueribus vicinioribus:vel non esse mirum,quòd tanta euaporationum vis ex innumeris cadaueribus exire queat, vt illæ deinde millecuplo magis rarefactæ in longissimas oras dispergantur, Cæterum ex eo quòd soleamus inspirando olfacere,ac olfaciendo simul sentiamus cerebrum calefactum, sat manifestè infertur odorem cum ipso halitu in organum immeare.

QVÆSTIO TERTIA, quem ob finem odoratus vtilis sit? & quomodo prosit cerebro? R. *primo*, animalibus odoratum esse necessarium ad alimentum procul diiudicandum: item ad obsequium præstandum hominibus. Etenim experimento constat sæpe ea odore ciborum ad illos allici: item videmus sæpe ea escam primum odorari, antequam comedant: deinde vestigia hominum subolfaciunt, vt eos sequi possint: itemque feras odore inuestigant,&c.

Secundo, R. homini quoque vtiles esse odores, tum ad discernendos cibos, & liquores, rerumque multarum proprietates indagandas, vt patet, tum vel maximè ad cerebrum refocillandum, atque ad iuuandam, reficiendamque memoriam; denique ad sese exhilarandum. Marsil. Ficinus l. de vita producenda t.2.c. 189. ingeniosis spiritu laborantibus tria præcipuè conducere ait, *purum aërem, fragrantem odorem, & dulcem musicam.* Et meritò quia suffitus, qui suauem odorem deferunt, blandè calidi sunt, & spirituosi; ideo frigidiorem, aquosamque cerebri humiditatem aëria corrigunt, & memoriam tenaciorem reddũt. Adde quòd halitus illi suauolentes cum spiritibus animalibus salutarem affinitatem habeant, facileque in eorum substantiam commutantur.

Quòd verò etiam ad recreandum hominem per se odores à Deo conditi sunt, hinc patet, quòd solus plerisque odoribus, ideo sine vllo alio commodo delectetur, quia olfactui grati sunt; bestiæ odoribus afficiuntur, quatenus sunt quædam ciborum irritamenta. Neque canes tantopere recentis graminis fragrantia exhilararentur, nisi putarent esse gramen alimentitiũ. At homines rebus odoriferis, quas optimè norunt esse insipidas, nec esui accommodas, mirificè delectantur.

Inde fit vt licet homo vincatur à bestiis in olfactus intensione, eas tamen vincat in discretione: bestiæ enim possunt minores odores, & à longinquiori etiam acutiùs percipere: homo verò eorum differentias, pluresque, & perfectiùs discernit.

QVÆSTIO QVARTA, quid sibi velit Plato, cùm ait, *hoc quidem*, sc. odor molestus, *disturbat, violatque omnem eam capacitatem quæ à summo capitis vertice, ad vmbilicum protenditur. Illud verò*, id est, odor gratus, *eandem mulcet, & amico quodam ingressu naturalem eius seruat habitum.* R. quosdam putasse Platonem voluisse sedem principalem, ipsumque organum animæ, in quo de sensibus ipsa excerceet iudicium esse cor: sed malo credere iis verbis solùm significari, quòd halitus odorati recepti in cerebrum sympatheticè, si grati; aut antipatheticè, si ingrati sunt, afficiant spiritus animales: qui subitò in viscera procurrentes, organum irascibilis proritant, si molesti; aut concupiscibilis mulcent, si iucundi. Ob eandem rationem dixit, *vocem esse pulsationem quandam ab aëre, per aures, cerebrumque & sanguinem*, (quo spiritus vitales, & animales deuehuntur) *vsque ad animam penetrantem: natam quoque ex ea motionem incipientem à capite, & in sedem iecoris desinentem, auditum esse.* Ita significat animam semel affectam à sensu externo, totam commoueri, tam secundum phantasiam, quę viget in cerebro, quam secundum affectus, qui vigent in iecore, aut in corde: affici autem spiritibus per sensoria diffusis, quasi rerum sensilium imagines, vel impressiones præcipuas deferentibus. *In Timæo.*

CAPVT XXI.

DE GVSTV.

§. I.

Quod eius organum.

VT reliquos tres sensus externos, sic & istum exordiemur ab organo, Platonem secuti, qui sic eum describit in Timæo. *Tenduntur à lingua venæ ad cordis sedem saporum nunciæ*: Ita linguam ipse facit gustus organum, & merito. Idemque docet Aristoteles multis in locis, præsertim 1. de hist. animal. c. 11. *Inest* inquit, *pars sentiens saporem lingua: vim istam sentiendi præcipuè obtinens parte sui primore: nam si interiore tangat, minùs sentiet.* Hæc ad radicem habet os firmum, seu basin Græcè ὑοειδὲς instar Y. ibi illa latior est, & faucibus hæret, estque substantiæ raræ, & spongiosæ, vt facile humorem imbibat: tunica prætenui conuestitur, os totum ambiente. Nouem constat musculis, quos media lingua hinc inde diuidit: venis præterea duabus maiusculis, totidemque arteriis instruitur: duo item habet neruorum paria: alterum mollius saporibus percipiendis; durius alterum, mouendis musculis destinatum: hi nerui ex tertia, & quarta coniugatione proueniunt, & alij per mediam linguam, quæ eius cuspis dicitur, vsque ad extremitatem exporriguntur, & ramulos quosdam ad latera spargunt: alij similiter ad palatum: præter hæc omnia in radice linguæ duæ sunt glandes carneæ, quæ tonsillæ nominantur. Hic generatur saliua. Communis autem sententia est organum gustus in illo neruo linguæ consistere: vel vt alij malunt in cuspide linguæ & palato: verùm ne in superfluis diutiùs immoremur: breuiter dicam totam linguam esse organum: & non solum neruum, quia tota lingua sapores discernimus. Deinde in glãdulis etiam fit gustatio, quia ibi abundat saliua, quæ vehiculum est, mediumque saporum; tum quia experimur sumpto amaro aliquo pharmaco, circa fauces diu sentiri amaritudinem. At præcipuè hic sensus vigere in cuspide linguæ dicendus est, vt ipsa testatur experientia: per hanc autem interiorem intelligo linguæ tunicam, qua parte circa medium maximè neruosa est: Etenim *primo*, ille neruus spiritus vehit maximè necessarios ad quamcumque sensionem; *secundo*, si obstruatur, vel transponatur, vel quocumque alio pacto lædatur, gustus deperit.

Dices, neruus ille terreus est: organum verò gustus secundum Galenum est substantia quædam humida & aquea. R. *primo*, negari ab Aristotele 2. de anima t. 105. quòd organum illud sit actu humidum: quia debet esse in potentia ad saporem, qui est humidus, ex quo Compluten-

ses inferunt illud organum esse debere actu siccum. R. *secundo*, esto, sit actu humidum, quod forte verius est, vti Galenus asseruit, neque negauit Aristoteles secundum Toletum, tamen nerui illi gustatorij sunt molles, & multum ad aqueam humiditatem accedunt. *Dixi*, neque id forte negasse Aristotelem, quia cum dixit organum illud non esse actu humidum, id ita Toletus interpretatur, vt solùm de humido sapido intelligi debeat, q.d. organum non esse actu præditum eo humido, qui est sapor, quod certè conceditur ab omnibus: licet humore communi polleat, per quem proximè disponatur ad actionem, speciemue saporis excipiẽdam. Hoc confirmatur ex eo quod siccior lingua sapores non sentiat: ideo saliua debet dilui, & ægroti ob eiusdem ariditatem nihil saporant: itemque Zinziber, & aliaícciora non sapiunt linguæ nisi madefactæ. Propterea saliua dicitur medium externum; epidermis verò linguæ, atque etiam caro musculosa est medium internum, per cuius poros qualitas gustatilis in gustandi organum influit.

Sed quid sibi vult Plato, dum ait tendi à lingua venas ad cordis sedem saporum nuncias? R. idem quod sæpius docuit Aristoteles, ipse enim l. de sensu c. 2. sic ait, *Tactiuum autem terra, Gustatiuum vero species quadam tactus est. Et ideo circa sensiterium est ipsorum, scilicet gustus, & tactus: cerebro enim oppositum est cor, atque calidissimum*: vbi hæc addit S. Thom. *Nec tamen oportet esse duo principia sensitiua in animali: vnum circa cerebrum, vbi constituitur principium visiuum, odoratiuum, & auditiuum: & alind circa cor, vbi constituitur principium tactiuum, & gustatiuum, sensitiuum enim principium primo quidem est in corde, vbi est fons caloris in corde animalis. Nihil enim est sensitiuum sine calore, vt dicitur in 2. de anima. Sed à corde deriuatur vir. us sensitiua ad cerebrum, & inde procedit ad organa trium sensuum, visus, auditus, & odoratus: tactus autem, & gustus referuntur ad ipsum cor per medium coniunctum.* Propterea Plato notauit venas linguæ ad cordis sedem tendere. Repugnant tamen Galenus, & Medici volentes primarium principium sentiendi esse in cerebro, quia ibi est facultas imaginatrix, sine qua sentiri potest nihil, vt patet in dormientibus, & iis qui apoplexia laborant: & ideo nerui gustatorij procedunt à cerebro, vt scil. per eos spiritus qualitate gustatili affecti, eius impressionem deferant ad organum phantasiæ, vbi excitatur attentio. Quidquid sit, optimè possumus cum Plat. & Arist. dicere maiorem esse communionem gustus, & tactus cum corde, quam cæterorum, esto quoad actionem iudicandi immediatius à cerebro pendeant. At physicam impressionem realis qualitatis, qua immutantur magis, quam sensus reliqui ad cor traiiciunt: vnde sæpe ex læsione alicuius membri sentimus illico nos in corde quasi pungi, & vulnerari.

Pergit verò Plato: & quomodo fiat gustus sic explicat: *In quas* (venas linguæ) *si quæ ita inciderint, vt humidam carnis mollitiem penetrantia, terrestri sua natura modicè liquefacta, venas ipsas contrahant, arefaciantque, sapores eiusmodi efficiunt.* Ergo gustum fieri per immutationem physicam tenet: quod quô fiat patebit ex iis quæ sequuntur.

§. 2.

De Saporibus.

DEMOCRITVS sapores per figuras corpusculorum explicabat, id quod modo etiam quam multi faciunt. Sic autem ille apud Theophrast. l. 6. de causis plant. rem explicabat. Saporem dulcem appellauit, qui rotundus, amplusque est: acerbum, qui figura magna perficitur: asperum, qui multis angulis distinguitur, minimeque orbiculatus est: acutum, qui mole constat acuta, & nucis pineæ speciem gerit, & incuruus, & tenuis, multoque orbe conglobatus est: acrem, qui orbiculatus, tenuis, angulatus, & incuruus est: salsum, qui angulatus, magnus, distortusque est & cruribus paribus constat: amarum, qui rotundus: leuis atque distortus, parua cum magnitudine: pinguem, qui tenuis, rotundus, paruusque, &c.

Plato, qui hactenus ea quæ naturæ sunt, figuris more Democritianorum & Pythagoræorum explicuerat, modò clariùs mentem suam aperit, & saporem clarè qualitatem vocat. *Quandò verò*, inquit, *ingredientium qualitas humida est, lingua qualitati naturaliter concors & consentanea, & lenit, mollitque eam, contractamque demulcet asperitatem, & quæ præter naturam contracta, vel sparsa fuerunt, relaxat, vel colligit, ac summatim naturalem singulis restituit habitum, suaue huiusmodi, dulceque vocatur:* in hoc cùm eo sentit Arist. sit ergo

CONCLVSIO: Sapor est *patibilis qualitas orta ex humidi aquei cum sicco terrestri temperatura, vi caloris facta, qua gustum afficere potest.* Hæc descriptio desumitur ex Arist. 1. de sensu, & sens. c. 4. eamque sic refert Theophrastus eius discipulus: Sapor, inquit, est qualitas orta ex percolatione humoris per siccum terrestre, vt cum aqua percolatur per cineres.

Quòd sit qualitas, & non atomi, probatur ab Aristotele *primo*, quia figuræ sunt sensibile commune, non proprium, & certè ab omnibus sensibus secũdum Democritum, & Epicurum percipiuntur. Quomodo ergo per eas figuras diuersi sensus possent constitui? Cur tanto, ac tam diuerso apparatu natura singulorum sensuum distinxit organa? an solùm propter maiorem, aut minorem huiusmodi figuratarum atomorum subtilitatem? At cur non suffecisset organa quoque angustiora, vel ampliora tametsi generis eiusdem efficere? quid, quòd atomi sint indiuisibiles: atque earum vna non sit crassior altera. Ergo aliud necessariò præter figuras, etsi darentur, admittendum est, à quo sensus specificentur, ac distinguantur: *secundo*, quia cum sint infinitæ species figurarum, etiam essent infinitæ saporum species, &c.

1. de sens. c. 2.

Quòd verò sapor ex concretione humidi cum sicco terrestri oriatur, patet ex communi consensu, & experimento, quo constat neque purè terrea sapere nisi madefiant, neque humida nisi calore aliquo concoquantur, & cum sicco paululùm crasso temperentur. Sic cum fontes &

flumina percolantur per venas terræ minerales, saporem contrahunt. Itemque fructus & semina pro varietate terrestrium partium diuerso quoque sapore afficiuntur. Ergo sicci terrei participatio requiritur, quia gustus crassus cum sit, maximeque affinis tactui, exigit etiam gustabile crassum, & terreum: requiritur quoque participatio humidi: quia siccum super linguam positum actu sine humido non sapit.

Interim dubitatur *primo*, an in sapido humidum prædominari debeat, vt humidum in odorato: hoc enim grauem difficultatem patitur: quia multa sunt valde sapida, quæ parum humidi habent, *vt piper*, *zingiber*, *&c.* Imo Galenus docet, *saporis amari materiam esse siccam & terrestrem, quæ humidum in se paucissimum habeat.* Adde quòd sapor sit propria qualitas alimenti: hoc autem videtur potius esse siccum & calidum, quia fames 3. de anima definitur appetitus sicci & calidi. R. aliquos propterea sentire non esse id per se ad saporem necessarium, vt humidum prædominetur. At alij respondent humidi prædominium se habere ex parte principij saporis, non per ordinem ad subiectum, ita vt semper sapor principaliter ab humore oriatur: licet is humor exiguus sit in subiecto. Ita fatentur multa esse sapida, quæ sicciora sunt, ac perparum humida: ipsum tamen, etsi tenuem, humorem esse principale principium saporis, qui in iis est. Quidni etiam dicamus sufficere, si sapidum cum actu sapit, humore præualeat?

Secundo, dubitatur, an humidum illud necessariò debeat esse aqueum. Multi enim hoc affirmant, vt maiorem saporiferæ substantiæ cum gustu conformitatem, atque adeo crassitiem adstruant. Sed tamen id alij negant asserentes sæpe sapores præsertim dulces oriri ex humido aërio, quod quia tenue est, ac pingue, ideo sese suauiter dilatat & linguæ gratissimum fit, atque aptissimè nutrit: quod enim nutrit debet blandè ac leniter agglutinari partibus alendis. Ideoque secundum Arist. *Nutrimentum hominis debet esse dulce, aut dulci permixtum.* Hinc saccharum, mel, manna, & similia dicuntur esse aëria. Et quod nos manna vocamus, Galenus mel ætherium, siue aëreum nominat ἀερόμελι. Esto id ergo saltem probabile. Probl. 20. sect. 13.

Modo ad diuisionem saporum veniamus: septem communiter species numerantur, & in hoc Plato & Aristoteles conueniunt. Hi autem sunt *dulcis, amarus, salsus, acris, austerus, ponticus, acutus.* Octauum his addit Theophrastus *pinguem.* Sed hic ad gustum nihil videtur attinere, ideo à Platone prætermissus est. Aristoteles pinguem reducit ad dulcem, sicut flauum ad album. Plinius numerat 27. genera saporum, quia singula priora 7. genera possunt adhuc subdiuidi: de his tamen nihil certi potest stabiliri.

Plato singulorum illorum effectus sic explicat, vt dulcis linguæ humorem deliniat; acris turbet, acutus inflammet; amarus abstergat, ac liquefaciat; salsus purget, & exsiccet; ponticus linguæ meatus leniter obstruat; austerus leniter contrahat. Ratio istorum petitur ex diuersa primarum qualitatum, quibus constant, mixtione: cum enim calida

dissoluant, frigida constringant, sicca abstergant; humida diluant, quã quidque proportione illa participat, eadem illorum effectus prodit, & cum gustus magna cum tactu sympathia cohæreat: etiam effectus formales gustatilium qualitatum proximè cum effectibus tactilium coniuncti sunt.

Sapor ergo *dulcis* oritur ex temperato, & mediocri sicco terrestri, & ex humido præsertim aërio: Eius multi sunt gradus: aliter enim panis; aliter vinum, aliter adeps, oleum, &c. aliterque mel & saccharum dulcia sunt. Per se autem is lenit, & demulcet linguam, eiusque temperiei maximè concors & symmetricus est.

Amarus oritur ex nimio calore, & sicco terrestri copiosiori & adusto: penetrat, abstergit, exsiccat, à putredine liberat. Hæc patent in absinthio, aloe, &c. hic tamen negotium facessit opium, quo vt nihil amarius; ita nihil frigidius: narcoticum enim est, ac præ frigiditate stuporem inducit Resp. aliqui partes in eo alias esse calidiores, easque pauciores, & ab iis amariorem procedere: alias item frigidiores, à quibus effectus reliqui permanant. Sed cur harum frigus cum illarum calore non pugnat, pugnandoque cur aut non vincit, aut non vincitur? & quam mirum est, quod cum tanta vi polleat, & sanguinem in venis glaciare, spiritus incrassare, ac vitalem calorem, non secus ac glacies extinguere queat, non queat tamen paululum caloris sibi permistum remittere? Ideo aliqui ad virtutes occultas, & ad astrorum influxum recurrunt: aut forte melius asseuerant eiusmodi omnes qualitates occulto quodam instinctu à formis substantialibus oriri, ac per se emanare: ita vt licet communiter certas quasdam primarum qualitatum concretiones exigant, tamen aliquando ex peculiari vi formæ substantialis cum oppositis qualitatibus rite naturaliterque permaneant, vtrumque dici potest.

Salsus ex humido aqueo, & sicco terreo crassiori & præassato: abstergit, exsiccat, putredinem arcet, appetitum proritat; &c.

Acris ex sicco tenui vehementis admodum caloris vi adusto: calefacit, exsiccat, incidit, separat, vt piper, zinziber, allium, sinapi, &c.

Acidus, ex humido & sicco tenuioribus per calorem modicum coünitis, vt acetum: appetitum proritat, quia os ventriculi suo sicco corrugat, humidoque perfundit.

Austerus ex humido crassiori, & sicco terreo per calorem modicum contemperatis, vt pomum syluestre, vinum crudius, &c.

Acerbus, seu *ponticus*, ex humido valde crudo, & sicco adhuc crassiori per calorem omnium debilissimum iunctis, vt pruna syluestria, poma quercina, &c.

Galenus ab Aristotele in eo differt, quòd sapores extremos faciat acrem & acerbum, in quo secutus Platonem est: Aristoteles verò, dulcem & amarum: ambo quidem rectè; sed respectu diuersorum. Si enim mixta ad quorum temperiem proueniunt, consideres, vera est Platonis & Galeni opinio. Dulcis enim naturæ temperatæ; acer verò præcalidæ, subtilisque: acerbus contrà, valdè frigidæ, crassæque iudicium est. Ac

si

si effectus pensitaueris, verum est quod Aristoteles docet. Dulcis enim gustum suauissimè, amarus contrà molestissimè afficiunt. Quod item dulce est maxime nutrit; quod amarum minimè.

Qværes Primo: Quibus competat gustus? R. omni animali ex Arist.l.de sensu & sens.c.1. *Dices*, ostreis, zoophytis, &c. non inest lingua. Ergo nec gustus. R. inesse gustum imperfectum; & aliquid quod linguæ æquipolleat.

Qværes Secundo: Cuius finis gratia sit gustus? R. ad discernenda consentanea alimenta: vtque illorum suauitate prouocentur animantes ad conseruationem vitæ.

Qværes tertio: An sapores iidem sint respectu omnium: atque adeo an differentias suas habeant à seipsis, an verò à diuersa complexione gustantium? videmus enim id quod ingratum est humano gustui, pergratum esse porcino: quodque sanum recreat; nauseam ægroto affert. R. sapores esse reales qualitates in re sapida verè ac determinatè inhærentes: diuersitatem verò illatam ex diuersa dispositione gustantium prouenire: quod duobus modis explico, *primò* sic: sapor afficit organum mediante carne, nec non & cum saliua. Ergò his inæqualiter temperatis mutatur sensus gustationis: sicut dum color verè rubeus per vitrum viride cernitur, viridis; si per cæruleum, cæruleus apparebit: eodem modo etiam immutata oculorum temperie ob vehementiorem solis adspectum, colores alij videntur, cærulei, candicantes, &c *Secundo sic*, idem sapor eandem immutationem faciens in gustu, si tamen per se dissentaneus sit naturæ animalis, illi haud gratus apparebit: secus, si consentaneus: sicut experimur sæpe homines diuersi temperamenti eundem saporem, eodem modo dulcem, aut acidum percipere, & tamen vnum eo recreari, alium affligi: quia scil. eadem rei eiusmodi dulcis temperies, concors est; dissentanea verò temperiei alterius.

Qværes Qvarto, quo medio sapor egeat? R. interno, de quo suprà. Neque enim remotus sapor percipitur, *vnde & si in aqua essemus, sentiremus vtique appositum dulce*, puta mel aut aliud eiusmodi procul à lingua delibutum, *non autem esset nobis tunc sensus per medium, sed ex eo quod misceretur humido sicut in potu*: eius enim partes, spiritusue tenuiores occultè per aquam defluerent vsque ad nos. Quoad saliuam verò, aliqui volunt eam esse medium externum: alij volunt esse solum condimentum saporum, sed quæstio est de nomine.

Interim præter actionem Physicam, qua realiter organum immutatur, admittenda est actio intentionalis, qua ob sympathiam in anima producatur vitalis imago rei gustatilis.

Capvt XXII.

DE TACTV.

§. 1.

Quid sit, & cuius.

INTER omnes sensus externos iste maximè communis est: *primo*, quia nullum animal eo caret: *secundo*, quia per omnes, & singulas penè totius corporis partes diffusus est; *tertio*, quia non extinguitur saltem totaliter, nisi cum vita. Nam & vel in agonia sentitur dolor. Ergo instrumentum eius communissimum sit oportet. At quid illud, non ita clarè. Arist. 2. l. de partib. anim. c. 1. ait organum tactus esse carnem, aut quidpiam, quod carni proportione respondeat: quod addit propter animantes, quæ non carnem, sed aliquid carni æquiualens habent. At 2. de anima t. 116. negat carnem esse organum tactus, quia est medium: nam *super sensorium*, inquit, *apposita non sentiuntur: super carnem verò apposita sentiuntur.* Ergo caro non est sensorium tactus. Ideo ipse vult hoc esse quidpiam intrà carnem reconditum. Commentator & alij volunt id esse cor. Galenus cum aliis, neruum: alij omnem partem carnosam & neruosam ex æquo: præter ossa & ossea, vt Suares & alij; solutio certè difficilis, nec tamen est magni momenti: eam enim totam video in quæstionem de nomine resolui posse. Certum est enim neruis ac etiam carne sentiri res tactiles: quippe quibus inest exquisitissimus sensus doloris: iisque refrigeratis, aut corruptis, perit sensus. Denique vbi magis hi concurrunt, ibi perfectissimus, ac viuacissimus sensus est vt in vola manus vel pulpis digitorum. At qui Aristotelis opinioni 2. l. de anima expressæ religiosissimè adhærere volunt, quasi nefas sit ab eo discedere, dicunt carne sentiri vt per medium: adduntque rem appositam carni percunt inde sentiri: ac si membranæ super carnem exporrectæ apponeretur: sed forte negari posset hæc instantia. Quidquid sit, crediderim certè neruum præcipuè huic sensui inseruire; deinde quoque membranam: quia experimur his citissimè, & exactissimè tangi obiecta: tum denique carnem, per se verò, an ratione neruorum & membranarum arctissimè cum carne cohærentium, dubito: quia nulla experientia id decerni potest, neque enim vlla potest esse caro viua, omnino à neruis denudata: *Dices* iecur, cor, pulmonem carere neruis, æquè ac venas, & pericranium capitis, & tamen in his omnibus sentiri dolorem. R. dubium esse an in corde, iecore, & pulmone, sparsi sint neruuli: certum verò est, nullum posse sensum peragi, sine spiritibus animalibus, illi autem quibus vehiculis deferuntur, nisi neruis?

Qui negant carnem esse sensiterium, duabus potissimum rationibus innituntur. *Prima* est, quod sensibile positum supra sensorium non sentiatur: tactile autem positum supra carnem sentitur: ergo caro non est sensorium tactus: *Secunda*, quod organum tactus debeat esse terreum, quia omnium crassissimum: neruus verò eiusmodi est: non caro.

R. ad primam per hanc instantiam admodum efficacem: si neruus à carne denudetur, & pungatur, verè sentit, item quoque si secetur. Ergo etiam tunc tactile positum super sensorium sentitur. Ergo hæc regula non vsquequaque in tactu vera est. At, inquies, sentit ratione meningum duarum, quibus induitur? *Contrà* primò meninges hę pertinent ad contextum neruorum: *secundò*, hæ sentiunt: cur non etiam neruus?

Ad secundam R. si debet esse terreum, cur ergo non sentiunt ossa? quia, inquis, non sunt satis temperata, fateor, sed inde concludo carnem posse quoque organum rite constitui, quia idoneam habet temperaturam: vt constabit, si priùs exposuerimus, quorum sit tactus.

QVÆRITVR itaque, circa quę versetur tactus? communis responsio est, versari principaliter ac primariò circa primas qualitates: nempe circa calidum, frigidum, humidum, & siccum: consequenter verò circa cæteras quas in ll. de Elem. c. 4. exposuimus, scil. asperum, læue, &c. de quibus paulò pòst. Interim quia ex primis illis qualitatibus necessariò mixtum omne constituitur: ideo necesse est etiam sensiterium illarum, quodcũque sit, ex illis conflari: at tunc occurrit illud axioma *intus existens prohibet sensionem extranei*: quod quidem experimento cæterorum sensuum verum apparet; nam visus colore tinctus non videt, aures tinnientes non audiũt; & nares odore præoccupatæ, neque hunc, neq; similẽ olent, &c. accedit quoq; ratio Peripatetica: quia vt moueatur organum debet esse in potẽtia, &c. Accedit & Platonica, quia nõ excitatur attẽtio, nisi per insolitam actionẽ inæqualis qualitatis. Quid igitur fiet in tactu? Responsio communis est, ipsius organum esse quid temperatum, vt saltem ab excedentibus qualitatibus primis moueri queat: atque inde fieri, vt variata temperie tangentis, varius quoque sit sensus rei tactilis. Qui enim ridendo flet, quia genæ ob diffusum sanguinem multùm calent, lacrymas sentit frigidas: qui verò ex tristitia flet, cùm ob fugam sanguinis ad cor, frigidior sit, sentit calidas, & pluuia æstate apparet frigidior, quam hyeme, &c.

Ex hoc autem sequitur carnem etiam per se posse ritè constitui organum tactus: quia temperata est. Quoniam tamen requiritur spiritus animalis, vt commune instrumentum; neque hic sine neruis est, ideo semper requiruntur nerui aliqui subtertexti. *Dices*, nerui sunt terrei, i. frigidi, & sicci, vt ossa; neque sic temperantur, vt caro. Ergo non debent constitui organum. R. *primò*, neruos temperari per suos spiritus. Interim aliqui volunt neruis magis sentiri dolorem, qui fit ex diuisione continui, quia sunt compactiores, & ita vim maiorem patiuntur. Carne verò magis sentiri excessum primarum qualitatum, quia temperatior est.

§. 2.

Aliquot quæstiones attinentes ad tactum expenduntur.

QVÆRITVR PRIMO an læue, asperum, molle, durum, leue, & graue, &c. sint per se obiecta tactus, à primis qualitatibus distincta. Resp. vix negari posse, quin ita sit: quia diuersum modum habent efficiendi tactum, primæ namque qualitates afficiunt instrumentum tactus mediante alteratione. Hæ verò aliæ, mediante motu locali, quo partes animatas comprimunt, pellunt, vel diuidunt. v.g. graue sentitur, dum multùm comprimit tangentem; leue, dum parum; durum, dum premit resistentiam superando; molle, cedendo; asperum, dum inæqualiter; læue, dum æqualiter; acutum, dum diuidit; obtusum, dum macerat, &c.

Ex diuisione autem oritur dolor: quem propterea Galenus vult ex solutione continui prouenire: quatenus hæc sectionem, contractionem, dilatationem, aut distinctionem partium cōprehendit: quid sit dolor, diximus in moralibus cap. 17. §. 5. Addam solùm à quibusdam eum definiri qualitatem noxiam ex diuisione continui resultantem, animalis temperamento dissentaneam. Negant alij esse qualitatem, sed solùm affectionem naturaliter in animo nascentem ex ipsa inordinatione partium naturæ dissentaneam. Hac itaque solutione facta in corpore, illico spiritus animales in cor, vel cerebrum aufugiunt, huiusce commotionis speciem illuc deferentes.

Ex contractione ventriculi similiter nascitur species doloris, quæ est fames: aut vt malunt alij, ex fuligine quadam ascendente ad os eiusdem ventriculi, eique noxias imprimente qualitates. Sitis quoque est species doloris ex intemperie faucium, & ventriculi ob nimiam ariditatem oborta; vbi notes velim ex dolore statim moueri appetitum boni cuius priuationem ille inducit. Ideo ex dolore famis nascitur appetitus calidi & sicci, quo supra dicta ventriculi contractio, intemperiesque sedentur. Ex dolore sitis, appetitus humidi & frigidi; quo nimia ariditas arceatur. Ita sub alia ratione hæc ad tactum; sub alia verò ad appetitum spectant: ad illum enim, vt sunt obiecta, quæ physicè partes animalis internas distorquent; ad hunc verò, quatenus habent rationem mali fugiendi, aut boni appetendi.

QVÆRITVR SECVNDO, quotuplex sit tactus? Resp. posse vnicum admitti cum Simplicio, Plutarcho, Philopono, Alexandro: posse quoq; plures cum Thomistio, Auerroë, Ianduno, Ægidio, &c. Id paucis distinguit S. Th. in 1. p. q. 78. a. 3. ad 3. dum ait: *Sicut philosophus videtur dicere in 2. de anima, sensus tactus vnus est genere, sed diuiditur in multos sensus secundū speciem: & propter hoc est diuersarum contrarietatum:* (sc. calidi & frigidi; humidi & sicci; duri & mollis; asperi & læuis, &c. cùm tamē sub alios sensus non cadat, nisi vna contrarietas propriè: vt in visu vna est

cõtrarietas, sc. albi & nigri: cæteri enim colores sunt medij, &c.) pergit verò: *Qui tamen non separantur ab inuicem secundum organu, sed per totum corpus se concomitantur: & ideo eorum distinctio non apparet.... Posset tamen dici, quòd omnes illæ contrarietates, & singulæ conueniunt in vno genere proximo: & omnes in vno genere communi: quod est obiectum tactus secundum rationem cõmunem. Sed illud genus commune est innominatum: sicut genus proximum calidi, & frigidi est innominatum.* Vide Bannesium ibidem: confirmari hæc possent ex vnitate organi: nam siue dolor, siue voluptas, siue qualitates motrices, siue alteratrices, tactu non sentiuntur, nisi secundum idem organum: eodem enim quo sentio calorem, sentio etiam duritiem, &c. ergo signum est esse determinatã aliquam rationem omnibus tactilibus communem, licet nobis incognitam, à qua vnus tactus queat denominari. Interim hoc vnum addiderim vel vnum esse admittendum tactum, vel certè tot, quot sunt modi diuersi, quibus affici possit tactus. Vnde qualitates primæ motrices, compressiuæ, dolor & voluptas, fames & sitis, merito diuersos tactuum sensus sibi vendicarẽt, vt placuit Cardano, Auicennæ, &c. Nota tamen cum Alex. Alensi 2. p. q. 66. m. 2. tactum præ cæteris sensibus maximè adhærere ipsi esse animalis, & secundum ea, quæ pertinent ad compositionem immediatè accipi.

QVÆRITVR TERTIO, an qualitates tactiles egeant medio? Auerroës enim affirmat, cum Ianduno, & aliis. At D. Th. cum Alb. ait dura non posse tangi sine intermedio aëre, vel aqua: posse verò mollia. Resp. cum communi sententia non opus esse medio externo, scilicet aëre & aqua: nam ignis penetrans cutem sensum excitat, &c. præterea spiritus calidi, aut frigidi possunt penetrare carnem sine aëre, & sentiri. Imo aër ipse contiguus carni nudæ, si sit intemperatus, an non sentitur? Auerroës ait aërem in sua naturali constitutione esse velut locum nostrum naturalem, qui non agit in locatum: *contrà*, non agit vt locus: sed vt tactilis. *Dices*, cum sentitur aër frigidus, aut calidus; non aër infrigidat, aut calefacit, sed spiritus extranei. *Contrà*, quid hoc refert, dummodo hi spiritus sine intermedio aëre sentiantur? At nunquid medium quoddam internum requiritur? quidam existimant carnem esse medium huiusmodi; sed suprà diximus eam etiam sentiendi capacem per se esse. Sed forte cutis erit eiusmodi? at nunquid interiora sentiunt? imo cutis ipsa sentiendi quoque est instrumentum: distingui tamen in ea decet externam membranulam, quæ vocatur epidermis, à cætera ipsius compagine crassiore, quę fibrillis ac neruulis tota ramescit, & intertexitur. Certum est hanc interiorem cutis partem exercendi tactus viuax esse organũ: non verò epidermim: quare restat, vt hæc rationem medij habeat, licet non necessarij: quatenus sæpe obiecta externa suos effectus ea mediante, & non sentiente, inferunt intrò in organum.

QVÆRITVR QVARTO, an agant per species intentionales? Resp. breuiter in primis certum esse, quòd ab iis, vel ad earũ præsentiam producatur imago quædam vitalis in potentia animæ: quomodo autem id

fiat, dictum est suprà cap. 16. § 1 vbi de modo, quo potentiæ immutentur ab obiectis dictum est. Ex his enim apparet, quòd dum organum tactus physicè immutatum fuerit, eo ipso propter naturalem sympathiam in anima fiat actus vitalis, quo corporea illa immutatio repræsentetur: id quod fit quatenus anima rationes virtuales, quas habet, hisce obiectis externis respondentes excitat: & ex eo quòd erat solùm in potentia ponitur in actu. *Secundò*, dicere possumus, quòd huius immutationis corporea species, siue vestigium quoddam, aut quasi typus, in spiritibus animalibus quoque imprimatur: deferaturque ad cerebrum, vbi fit sensus communis: aut ad præcordia, vbi excitantur affectus: aut conformatio fœtus efficitur.

Sed statim alia subnascitur quæstio, nimirum an ea ipsa qualitas realis, quæ subit ipsum organum intrinsecè, ipsumque afficit, ab eodem percipiatur. Ratio difficultatis est, quia *intus existens prohibet sensionem extranei*, vt diximus suprà. Ideo Complut. hic, & alij volunt solú eam percipi à parte vicina, non ab ea, in qua inest: verùm nullam video necessitatem quærendi huiusmodi distinctionem. Etenim illud axioma solùm concludit, antequam aliquid sentiatur, opus esse, vt organũ careat ea qualitate, quæ sentitur, vt videlicet aliter affici, atque immutari dicatur, vnde excitetur attentio. At quòd cum noua quædam, & insolens fit impressio qualitatis alterius, vel solum intensioris, hæc non sentiatur, certè non video, quid impediat. *Dices*, si oculus realem colorem susciperet, cum tunc non videret: ergo à pari. Resp. nego paritatem: *primò*, quia singulis sensibus aliquid peculiare est, & visus exigit fieri per medium, non verò tactus. *Secundò*, visus non potest reali colore infici, nisi quodam humore crasso, & colorato imbuatur, hic autem pelluciditatem oculi destrúit.

QVÆRI denique hic potest vltimò: qui sensus in quibus animalibus præcellant? Resp. primò concedi posse cum Aristotele 3. de animalibus, quòd omnia animalia perfecta saltem terrestria, sanguinea, & progressiua quinque sensibus externis polleant: adeo vt etiam ipsi talpæ visus non denegetur, licet contrarium velle videatur ipsemet Aristot. 4. & 5. de part. animal. qui tamen exponi solet ita vt nolit talpam perfectè videre: verùm quod aliquantisper videat, coniicitur ex eo quod teste eodem Aristot. oculos habeat sub cute latentes, quæ diaphana est: cùm per eam discerni possit motus aliquis oculorum talpæ: habet item humorem crystallinum. Ad quid, nisi ad videndum? Deus tamen ita velauit eius oculos, ne terræ glebis, subitis lucis externæ intermicationibus facile læderentur. Solet quoque de Apibus controuerti, an audiant. Aristot. aliquando id negat: aliàs ambigit: probabile tamen est eas audire, non ita vt sonos articulatos discernere queant, vt canes, elephantes, simia, & alia bruta disciplinæ capacia: sed solùm ita vt tinnitum, & bombum percipiant: solent enim ad aluearia noua leui quodam sono aduocari; & contrario detineri: item cùm migrandum est, vox quædam solitaria, & peculiaris aliquot antè diebus intus emittitur: & tem-

pore matutino silent omnes, donec vna gemino, vel terno bombo cunctas excitet: & tunc omnes ad opus peruolant.

Resp. secundo, excessum & præstantiam sensuum solere his versibus contineri:

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu;
Vultur odoratu, precellit aranea tactu.

Verùm hæc non ita certa sunt, quin à multis negentur. Sed difficile potest in iis de veritate ferri iudicium: quî enim nosse poterimus, quid, quousque & quantùm sentiant, audiant, videantque aquilæ, lynces, apri, &c. Conjecturis solùm id indagari potest, quæ tamen nec de omnibus capi possunt: & persæpe fallaces sunt.

Capvt XXIII.

DE SENSIBVS INTERNIS.

§. I.

Quid sint, & qui eorum actus præcipui.

NON fuit satis animantibus dari externa quædam instrumenta, quibus obiecta exteriora perciperent, nisi alius foret, qui exteriorum omnium communis iudex esset, ac velut centrũ vniforme. Ideo tam Plato, quam Aristoteles præter 5. sensus externos, sensus quosdam internos admittunt. Hisque consentiunt omnes Philosophi Solùmque dissident in assignando numero, & officiis: omnes *sensum communem, phantasiam, æstimatiuam, memoriam, reminiscentiam* ore circunferunt: sed an distinguantur, quæve sint eorum officia, non sic apprime definiunt.

Plato in Theæteto sensum communem stabilit, tanquam ipsam internam animi facultatem, qua externa sentimus, conferimusque inter se: negatque propterea externa illa 5. organa, de quibus hactenus egimus, esse propriè sensus: quatenus scil. illorum immutatio ad actualem actum sensationis minimè sufficit sine iudicio, quod fertur ab hoc sensu interno: sensus tamen functiones in iis declarari voluit, ideoque instrumenta sentiendi nuncupauit. His quodãmodo consentit Aristoteles 2. de sensu & sensib. vbi negat animum eum, qui videt, in extremo oculo situm, sed intrà nos esse: & 3. de anima cap. 2. demonstrat admittendum esse sensum vnum communem, & interiorem, qui omnes rerum sensu perceptarum imagines recipiat; ac per eas de obiectorum differentiis iudicet.

Præter hunc sensum Plato Imaginationem, siue Phantasiam meminit, vti facultatem imitatricem rerum, ac simulacrorum magistram. In

Sophista verò duplicem phantasiam statuit, vnam vocat assimilatricem, qua res vt sunt comprehenduntur, ac formantur; alteram phantasticam, qua imagines variæ pro nutu repræsentantur, vt quando chimæræ confinguntur. Hanc cum Perspectiua comparat, quòd circa res solùm apparentes versetur: itemque cum Protheo, cuiuscumque generis figuras mutuantis: in quo etiam quoad sensum non dissentit ab Aristotele, licet in modo loquendi ab eo discedere voluerit Aristoteles, vt illi contrarius videretur, vti dicemus postea. Memoriam item Plato commemorat tam in Philebo, quam in Theæt. vbi eam Matrem Musarum appellat, & cor animæ. Sed vt horum sensuum natura liquidiùs noscatur, videamus paucis, quænam propria eorum officia sint, propter quam præsertim eos admitti oporteat.

SENSVS COMMVNIS.

Itaque sensus communis *primò* ponitur, vt anima sentire sese agnoscat: *Secundo*, vt rerum sentiendarum differentias possit agnoscere. Vtrumque requiritur ad perfectam, & exactam rerum externarum agnitionem. neque solis externis sensibus competere potest. Etenim sensus externus directus est. neque potest in sese vlla ratione reflecti, aliunde sine hac reflexione iudicium de re cognita fieri non potest, atque adeo neque à sentiente actus sentiendi discernitur: neque potest mouere appetitum, nisi discernatur. Hæc autem patent in dormiente; tangatur, aromatibus perfundatur, &c. Immutabuntur organa, perinde ac in vigilante. Sola deerit sensio: quare? quia deest attentio. Obiecti species, siue imago imprimitur: & forte etiam in anima propter sympathiam excitatur, & fit similitudo notionalis. Quæ dici potest ipse primus actus sensus externi. Quia tamen nulla fit reflexio, non consummatur sensus. Ideo hic sensus communis vocari solet radix, ac consummatio sensuum externorum: ita vt sine illo nullus exerceri sensus possit: neque ille sine aliquo illorum. Præterea imperfectus esset sensus, nisi possemus percipere differentiam dulcis ab albo, ac iudicare hoc non esse illud, & sic de reliquis: id autem vt à facultate aliqua fieri queat, debet hæc necessariò tendere in earum omnium obiecta, vt in quo singula differant, videat. Ergo debet ideo admitti vna facultas, quæ sensuum omnium particularium obiecta in sese colligat, ac per easdem species siue actiones intentionales moueatur, & iudicet. Hæc porro distincta notitia requiritur, vt distinctus ac determinatus appetitus inde proliciatur. Hactenus sensus communis præcipuas functiones delibauimus: alij alias referunt, vt quòd is agnoscat priuationes oppositas v. g. album & non album, lucidum & tenebrosum, &c. item quòd per se sensibile commune percipiat v. g. motū, figuram, &c. Verùm cùm sensus iste nihil cognoscat, nisi quod sensibus externis nuntiatur; nec nisi per species eorumdē sensuum, non video, cur aliter possit percipere priuationes obiectorum, quàm sensus ipse particularis, scilicet nihil percipiendo: similiter nec potest aliud obiectum illi attribui. Quamobrem obiectum eius per se & adæquatum est res sensibilis externa, prout obiecta omnia, & sola exteriorum sensuum complectitur.

Verùm

Verùm pauca hic adnotari decet. *Primo*, quòd iudicium illud quod ascribimus sensui communi, sit imperfectum quale descripsimus in Logica cap. 36. §. 1.

Secundo, quòd illæ reflexiones supradictæ solùm implicitè, atque in actu exercito fiant, non explicitè, & in actu signato: hac enim ratione pertinent ad potentiam rationalem, cuius etiam proprium est discernere notiones formales contrarietatis, differentiæ, comparationis, &c. quæ occurrunt inter obiecta similis, aut diuersæ rationis. Satisque est sensui communi posse discernere res ipsas diuersas, oppositas secundum esse materiale, quod habent à parte rei, non secundum esse formale, quod habere possunt ab animo.

Præter huiusmodi actus adhuc experimur alios interiùs apud nos etiam ex parte corporis effici. *Primò*, postquam sensus communis perceptionem rei externæ vna cum sensu externo peregit & compleuit, huius intus in animo simulacrum aliquod efformatur, tanquam pictura domestica & interna, qua possit res eadem percipi sine sensu interno. *Secundo*, absentia repræsentantur. *Tertio*, spectra rerum disparatarum, & sæpius repugnantium coniunguntur, vt contingit in somniantibus. *Quarto*, sensui communi exhibentur modo quædam horribilia; aliàs iucunda, &c. Quibus excitatur appetitus ad fugam, aut ad prosecutionem: aliquando etiam somnus interrumpitur: & ita effectus alij multi consequuntur. Ea non modo in nobis, sed & in brutis euenire admodum credibile est, cum hac tamen differentia; quòd in brutis ea naturaliter ac necessariò fiant, scil. secundum occursum rerum improuisum, ac sæpe fortuitum. In nobis verò multa eiusmodi liberè contingunt: imaginamur enim multa pro libito: quando & eo modo, quo nobis placet: & in ordine ad intellectionem, &c. PHANTASIA.

Huiusmodi operationes attribuuntur *Phantasiæ*, vel *Imaginatiuæ*, quæ inde sic vocantur, quòd illa φαντάσματα, id est, apparentias; ista imagines, siue species rerum sensu perceptarum efficiant, obiiciantve.

Plato, vt suprà vidimus, duplicem phantasiam admisit, εἰκαστικὴν, i. assimilatricem & φανταστικὴν phantasticam, quibus duas eius functiones explicuit: *primam*, qua species internas fabricat. *Secundam*, qua facit apparere ea quæ non sunt. Addit verò iudicium illud, quod animus tacitè apud se per cogitationem, siue rationem διάνοιαν affirmando, vel negando profert, esse propriè opinionem: illud verò, quod ipse non per seipsum, sed per sensum elicit, esse phantasiam. Ita manifestè eam distinguit ab opinione propriè dicta: quemadmodum fecit Aristot. 2. de anima t. 157. vbi tamen creditur impugnare Platonem, quasi ipse imaginationem cum opinione confudisset. Ipse interim Aristoteles Platonem mox amplexus, definit imaginationem *motum factum à sensu, qui est actu*. q. d. actio phantasiæ est iudicium præsupponens motionem factam ab obiectis externo aliquo sensu, & per sensum cõmunem iudicatis. Hoc autem nihil est aliud, quàm quod voluit Plato. Ideo phantasia definiri potest facultas interna, iudicans omnia obiecta sensuum, etiam

in eorum absentia, provt ipsi oblata fuerint per sensum communem.

ÆSTIMATIVA. Insuper aliud genus actuum solet ab interiori sensu produci, etiam in brutis, nimirum vt quæ sunt noxia à iucundis & salubribus discernantur: & ipsa quodammodo inimicitiæ, vel amicitiæ ratio nullo sensu externo perceptibilis, diiudicetur: vt cum ouis videt lupum, statim fugit quasi hostem: secus canem amat, vt custodem. Huc reuocandi sunt omnes effectus sympathiæ, vel antipathiæ animalium, nec non instinctus admirabiles, quibus ea, quæ conseruationi, generationi, pullorum educationi, & aliis eiusmodi prosunt, norunt sibi quærere, ac prouidere. Facultas ea peragens vocatur *æstimatiua*.

In homine loco illius ponitur *cogitatiua*. Quia propinquior est rationi, eique connexa.

MEMORIA ET REMINISCENTIA. Vlteriùs opus est vt species, quibus hæ notitiæ fiunt, in eodem sensu interno seruentur. Eæ autem sunt duplicis generis: aliæ dicuntur sensatæ: nimirum, quæ res à sensu perceptas exhibent: aliæ insensatæ, quæ nimirum hasce rationes insensiles amicitiæ, inimicitiæ, &c. repræsentant: vtræque debent seruari, vt possint in absentia obiectorum aliquando interno sensui occurrere, vt reuera occurrunt: vis autem ea seruans à quibusdã dicitur *memoria*: ab aliis sic distinguitur, vt spec. sensatæ retineantur in phantasia: insensatæ verò in memoria: ab aliis memoria vocatur ea facultas, quæ his speciebus in recordando vtitur: cum vero aliquid ratiocinationis miscetur memoriæ, *reminiscentia* dicitur.

§. 2.

Quomodo differant.

VARIÆ sunt sententiæ. Alij volunt vnicum sufficere, qui diuersas exerceat functiones: alij duos solùm admittunt scil. sensum communem, & imaginatiuam. Alij sensum communem, phantasiam, & memoriam. Alij 4. his tribus addentes æstimatiuam. Alij 5. addentes insuper imaginatiuam, quam distingui à phantasia contendunt.

CONCLVSIO PRIMA: probabile est esse quatuor re distinctos, vt voluit quarta sententia, quæ est S. Thomæ in 1. p. q. 78. a. 4. vbi legi poterit, cum commentariis Bannesij. Addam solùm, quòd fere omnes antiqui, & ipse in primis Aristot. 3. de anima plures admittant sensus internos: hoc autem si semel concedatur, necesse erit, vt concedantur quatuor. Et quidem Aristoteles cit. t. 41. docet phantasiam ipso esse ab aliis distingui: Idque inde videtur comprobari, quòd per somnum sensus communis priuetur propria sua functione, dum interim phantasia exercet suam. Aliunde etiam constat memoriam à sensu communi, & à phantasia distingui: quia sunt animantes, quæ carent memoria; & tamen sensu communi pollent. Item hominum multi valent memoria, qui tamen virtute imaginandi penitus destituuntur: alij contrà. Item, læsa sæpe memoria, phantasia manet incolumis: hæcque diuersa per se

temperamenta expetunt: nam memoria humido; phantasia sicco, gaudent, &c. Tandē non minor est ratio distinguendi æstimatiuam à phantasia, quam hanc à sensu communi: nam si phantasia distinguitur à sensu communi per hoc, quòd ea cognoscat in absentia, quæ sensus communis solùm in præsentia: quidni ab ea distinguetur æstimatiua per hoc, quòd hæc iudicet de his, quæ nequeunt per sensum communem iudicari? Ex his ergo potest probabiliter hoc formari argumentum: facultates quæ per se ordinantur ad actus, vel operationes diuersorum generum, imo & diuersi ordinis, per se ac realiter distinguuntur. Sed sensus interni ita se habent. Ergo distinguuntur.

Omitto hic argumentum, quod aliqui solent ab illis cerebri cellulis ducere, de quibus egimus suprà c.9. §.1. vbi cerebri fabricam descripsimus. ipsæ enim distincta organa sensuum internorum solent communiter existimari. Nam cùm tres ventriculi sint in cerebro: vnus in anteriore parte; alter in posteriore: & tertius in medio: in primo, sensus communis: in secundo, phantasia: in tertio, memoria collocari dicuntur. Potestque hoc confirmari ex eo, quòd Medici soleant aliquando pro memoria solum occipiti; pro phantasia verò syncipiti applicare remedia; item quòd læsis illis cellulis sensus duntaxat ille, qui læsæ adscribitur, lædatur: non verò alij. Hanc ergo conclusionem probabilem reor, cùm ob prædicta, tum maximè propter authoritatem S. Thomæ. Eamque qui tueri voluerint, legere possunt optimè explicatam apud Bannez in 1. p. q.78. & Complutenses hic. Fateor tamen in ea plenius stabilienda, atque in euellendis scrupulis, qui subinde in ea pullulant, prolixiorem dissertationem exigi, quam ne longior sim, malui omittere, vt breuiorem, ac faciliorem viam applanarem.

Conclvsio secvnda: Probabilius est hos sensus non distingui, sed vnicum sufficere ad apprehendendū, & iudicandum: ita multi recentiores. Probatur autem, quia nulla videtur necessitas hos sensus multiplicandi. Etenim quæ dicuntur de vno, possunt, imo debent de alio affirmari; neque vlli conuenit ratio quædam cognoscendi, quæ non competat etiam aliis: vnde sic argumentor: potentiæ per se cognoscitiuæ, quę non distinguūtur essentialiter in ratione cognoscendi, non sunt realiter distinctæ: at sensus interni enumerati sunt eiusmodi. Probatur hoc: & primum de sensu communi, & phantasia: sic: potentiæ essentialiter, & specificè distinctæ in ratione cognoscendi, essentialiter exigunt species diuersæ rationis per quas, vel diuersa obiecta cognoscant, vel eadem diuerso modo: atqui phantasia, & sensus communis habent easdem species, eademque obiecta, & sub iisdem rationibus formalibus, & obiectiuis cognoscunt: vtrique enim obuersantur omnia, & sola sensata. Deinde tam bene sensus communis iudicat de obiectis sensatis: deque eorum differentiis, & conuenientiis, ac phantasia: quid ergo supererit?

Dices, Phantasia conseruat species: 2. cognoscit in absentia.. Vtrumque non facit sensus communis. Ergo. *Contrà*; vtrumque hoc est quid

extrinsecum, ac per accidens respectu potentiæ cognoscitiuæ: quatenus talis: ergo hinc non debet peti discrimen essentiale. *Secundo*, conseruare speciem per se non respicit potentiam cognoscitiuam, neque vllum eius actum specificat: sed solùm est aliqua dispositio subiecti, & consideratio solùm materialis: veluti si daretur oculus, qui posset eandem speciem conseruare, an alterius esset visus ideo naturæ in ratione visus? *Tertio*, sensus communis per se etiam cognoscit in absentia, vt probat Bannes in 1. p. q. 78. a. 4. addens hanc esse opinionem discipulorum S. Thomæ præter Caietanum. Idque ex D. Th. eruitur 1. p. q. 84. a. 8. ad 2. vbi fatetur sensum communem aliquando in dormiente non ligari, sed circa similitudines rerum iudicare. An non hoc est recogitare absentia? & in quæst. 78. artic. 4. an non clarè ait visionem, quæ *fit per similitudines in absentia corporum, communem esse omnibus interioribus apprehensionibus? Dices*, tunc sensum communem cognoscere per species deriuatas à phantasia, non à rebus. Resp. id nobis fauere quia hinc patet: *primo*, species phantasiæ esse eiusdem rationis cum speciebus sensus communis, alioquin hic per illas non cognosceret. *Secundo*, ad specificationem potentiæ cognoscitiuæ, non referre, quòd cognoscat per species recenter haustas ab obiectis, aut per asseruatas in potentia: cùm idem sensus communis cognoscat per vtrasque. Adde nihil posse per sensum communem effici, quod per phantasiam quoque non possit: cùm species recipiat æque, ac ille; & ad præsentiam sensilium operetur: cur ergo præter illã dabitur alius sensus, qui nihil aliud faciat, quam quod illa? *Dices*, ita se habere phantasiam ad sensum communem, sicut hic ad sensus externos: nihil enim isti cognoscunt, quod non ille percipiat, & tamen non est frustra. *Contrà*, magna disparitas est, quia sensus externi necessario egent diuersis organis, cum diuersis immutationibus; ideo hi distingui debent inter se: & consequenter à communi sensu, cui propterea vnum aliud organum assignatur; & alia immutatio pendens necessario ab organis & immutationibus sensuum externorum: nihil vero eiusmodi occurrit inter sensum communem & phantasiam.

Iam quòd phantasia non distinguatur ab æstimatiua, patet *primo*, quòd nihil apud Aristotelem sit, quo possit id confirmari: considerat quidem aliquando phantasiam sine ratione vt in homine ratiocinante: sed non propterea sequitur dari æstimatiuam, vel cogitatiuam distinctam à ratione, & à phantasia. *Secundo*, quidquid attribuitur æstimatiuæ, conuenit phantasiæ. Etenim duo potissimum sunt istius officia, *primum*, vt moueat appetitum, præsertim ad res illas mirabiles, in quibus videntur humanam artem æmulari: vt cum hirundo nidificat, &c. *Secundum*, vt species insensatas confingat, quibus ratio conuenientis, aut discrepantis iudicetur. Primum conuenit phantasiæ: ideo Aristot. in calce 2 de anima t. 162. ait iumenta, & feras per eam multa operari. *Deinde* opera illa mirabilia ex eod. Aristot. 2. Physic. t. 80. fiunt instinctu naturæ, Quid autem ille sit, patet ex Physic. cap. 14. §. 3. nimirum interna quæ-

dam commotio, sequens phantasiam ex diuina prouidentia belluas eiusmodi ad suum finale bonum dirigente proueniens. An verò naturæ author immediatè per se talem instinctum ingeneret: an per spiritum quẽdam communem: an per animas particulares horum animalium prædictas quibusdam viribus excitandis à tali, vel tali phantasia, ob naturalem sympathiam, vel antipathiam, cuiuis relinquo iudicandum ex his quę diximus citato c.14. Phys. Cætera certè superfluunt. Hisque positis vanę, atque inutiles erunt species insensatæ. Et verò, si rationem conuenientiæ, aut disconuenientiæ belluæ discernere valeant, quidni conferre vnum cum altero, ratiocinari, & res incorporeas: atque abstractas à materia sensibili poterunt? Denique autores oppositæ sententiæ fatentur sensum communem posse iudicare aliquid esse conueniens, aut disconueniens, & ostendere appetitui bonum, aut malum, secundum sensum, vt probat Bannez ex D. Thom. in 1. p. q. 78. a. 4. Cur ergo dabitur præterea sensus distinctus? *Dices*, sensu communi iudicari commoda, vel incommoda, quæ sensu exteriori percipiuntur, non verò, quæ illo non percipiuntur. *Contrà*: repugnat quidquam ab animali purè sensitiuo percipi, quod non sit secundum se, ac purè sensibile: at omne sensibile, vel est proprium, vel commune; vtrumque sensu externo percipitur. Crediderim itaque in iis omnibus, propter quę tales species admittuntur, recurrendum esse ad sympathiam, vel antipathiam, cuius vis excitatur per solam phantasiam.

Restat memoria: sed hæc vel sumitur pro facultate, qua possumus iteratò percipere, quod iam perceperamus, vel pro ea, qua solùm seruamus species: vtrumque communiter attribuitur phantasiæ: & hoc secundum, quod crediderim principalius solere nomine memoriæ intelligi, non significat gradum potentiæ cognoscitiuæ: sed potius principium, vt diximus suprà. Quod verò aliqui aiunt memoriæ officium proprium esse vt seruet species insensatas, refellitur: *primò*, quia hæ non dantur: *secundò*, quia si facultas seruãs species sensatas, non distinguitur à phantasia, quæ illis vtitur; cur ea quæ seruat insensatas, distinguitur ab æstimatiua, quę illis etiam operatur? Secundum hæc itaque multò faciliùs erit defendere vnicum sensum internum, quam plures: quamquam qui voluerit S. Thomæ sententiam propugnare, solidis quoque inniti queat fundamentis, & his quæ modo retulimus, non sine seriis rationibus respondere.

His ita constitutis: addendum est aduersas rationes posse item faciliùs solui sic: Arist. distinguit phantasiam reipsa à sensibus externis; officio verò à sensu communi. Ea enim prout motu externi sensus actu perculsa, reuera iudicat de eius obiecto secundum actualem impressionem, quam ab eo suscipit, vocatur sensus communis: quatenus per asseruatam speciem de eodem iudicat, idque tãquam præsens offert, quod non est, dicitur phantasia, quia facit apparere, quod non est, hæc autem cognitio multò tenuior est, quam præcedens, & potest effici sine illa, vt in somnio. Memoria distinguitur ratione eius virtutis, qua conser-

uantur species: hæc autem prouenit ex dispositione organi, atque per accidens se habet ad facultatem cognoscitiuam. Ea autem dispositio, quæ requiritur vt bene species conseruentur, distinguitur ab ea, quæ requiritur vt bene per ipsas obiecta iudicentur, ideo concedi possunt omnia, quæ attulimus supra in prima conclusione. Quod verò de organis, aut ventriculis dicitur, facilius solui potest, quia solum sunt receptacula spirituum animalium.

§. 3.

De speciebus sensus interni, vbi de memoria, & reminiscentia.

COMMVNE omnibus fere Philosophis est admittere in sensu interno imagines quasdam rerum externarum, quæ sensu perceptæ sunt. Aristoteles clarè loquitur: *Oportet*, inquit, *intelligere talem aliquam factam per sensum in anima, & in parte corporis animata veluti picturam quãdam, affectionem cuius dicimus memoriam habitum esse.* Plato nõn minùs clarè in Theæteto loquitur, cùm ait, *donum hoc esse dicamus Musarum matris memoriæ, & in hoc quidquid eorum, quæ aut videmus, aut audimus, aut excogitamus, meminisse cupimus, insinuantes ipsum sensibus, intelligentiisque, velut annulis signantes exprimimus; quodque signatum fuerit, meminimus nos, & scimus quoad figura permanet; at cum aboletur, vel inscribi nequit, obliuiscimur, atque nescimus.* Et infrà sepiùs repetit eius rei, quam quis extra percipit, seruari posthac in memoria monumentum. Inde Alcinoüs Platonis doctrinam explicans ait c. 4. *quando verò in animo per sentiendi instrumenta rei species fuerit sentiendo impressa (nam in eo sensus est,) si eiusmodi species propter temporis diuturnitatem non euanescat, sed constans, & diuturna seruetur, eius conseruatio memoria nuncupatur.* Ita communiter alij: at istud mirificè S. Augustinus describit his verbis: *quia non potest secum introrsum tanquam in regionem incorporeæ naturæ ipsa corpora inferre, imagines eorum conuoluit, & rapit factas in semetipsa de semetipsa: dat enim eis formandis quiddam substantiæ suæ; seruat autem aliquid quo liberè de specie talium imaginum iudicet,* &c. & mox: *nam illas animæ partes, quæ corporum similitudinibus informantur, etiam cum bestiis nos communes habere sentimus.* Ita dubitari non potest quin intrinsecus in animo quidam quasi typi, siue sigillationes obiectorum exteriorum imprimantur, actione sensus peracta remanentes; sed quid sint, haud ita certum est.

Qui species intentionales admittunt, facile sese expediunt, quãquam & aliæ multæ hinc inter illos subnascantur dubietates, vt an species sensuum internorum sint alterius rationis à speciebus sensuum externorum; & à quo fabricentur; item in quo subiecto sint; quomodo ab insensatis distinguantur, à quo item, in quo, & quales istæ sint: quoad hæc omnia prolixissimæ texuntur disputationum telæ. Distingui enim ex

videntur, eo quod diuersis sensibus ad diuersos actus seruiant. Hinc aliqui facultatem aliquam peculiarem admittunt, cuius hoc solum munus sit, vt illas producat: & eam vocant sensum agentem. Horum ratio est, quia nequeunt ab obiectis produci aliæ species, quam quæ sensibus externis ingeruntur: nec apparet à quo alio principio prodeant. Alij hoc reiiciunt, & volunt species illas produci ab obiecto externo mediante ipsa sensione externa: siue ab hoc obiecto vt cognito per sensum externum: an verò sensio hæc concurrat vt causa, an solùm vt conditio, nouos hoc difficultatum scirpos profert: sicque vno auulso non deficit alter. At de speciebus insensatis adhuc multo maior est difficultas: si enim dentur, à quo fient? ab obiecto externo? *Contrà*. Hoc nihil nisi sensibile parturit, neque nisi mediante sensione externa: à quo ergo? aliqui dicunt initio à Deo fuisse illas animantibus perfectis inditas. *Contrà*. Id parum Philosophicum est, & nusquam nisi cum alia reddi non potest ratio respondendum. Ideo secundum alios æstimatiua suas illas species fabricat, concurrente tamen operatione phantasiæ: sicut intellectus facit suas eiusdem quoque phantasiæ adminiculo roboratus: idque videtur insinuasse D. Thom. 1. p. q. 78. a. 4. ad 4. *Dicendum, quod licet intellectus operatio oriatur à sensu, tamen in re apprehensa per sensum intellectus multa cognoscit, quæ sensus percipere non potest, & similiter æstimatiua, licet inferiori modo.* Hæc sane non possunt quin probabilia multum existimem, vel ob solam Angelici Doctoris auctoritatem: Cuius vt opinio videatur probabilior, solum addam, quod supposita sympathia, vel antipathia obiecti cum animalis natura: cùm primùm species sensata illius obiecti ferit phantasiam animalis, ipsi animali suppeditat vim & quasi semen speciei formandæ, qua quod modo repræsentatum fuit sub ratione talis colorati, ac talis figurati v. g. lupi; statim quoque repræsentetur, vt quid malum, aut bonum: species enim illa sensata, cum vicem gerat obiecti; etiã virtualem eius gerit antipathiæ, aut sympathiæ notionem; ideo illam quasi semen speciei insensatæ vocitaui; quo quasi fœta bruti anima, de reliquo per vim naturalem sibi à Deo inditam, possit speciem illam insensatam parturire, quæ adeo necessaria est ad vitæ conseruationem: vt & consentanea quærat; & fugiat aduersantia. Cætera vide apud Complutenses hic.

At in quo subiecto sunt illæ species: neque enim in anima sunt, quia hæc saltem in nobis est incorporea; illæ vero corporeæ: aliunde pro memoria definitum temperamentum & in parte determinata capitis requiritur. Respondent ideo aliqui species recipi in organo animatô; alij in spiritibus; alij in ambobus: sed tum multa suboriuntur dubia; *primum* est, quomodo si species sint in organo, cùm huius partes fixæ sint, ac immotæ; specierum modo hæc, modo alia excitentur, & identidem moueant ipsam phantasiam: *secundum*, quomodo non elicietur sensio, vbi paratæ aderunt species? *tertium*, si sunt in spiritibus, cùm hi semper diffluant, refluantque, ac iugi suo motu dissipentur, quomodo tandiu eædem species conseruabuntur? *quartum*, si sint in ambobus, quomodo

idem accidens in disparatis subiectis hærere potest?

Quamobrem tentandum est, an à Platonicorum fontibus hauriri quidpiam liceat, quòd mage delectet, ac recreet. Prænoto igitur duplicem posse concipi obiecti similitudinem, imaginemque: vnam impressam, alteram expressam. Impressa est illa, quam communiter Peripatetici vocant intentionalem, de qua egimus suprà c. 17. §. 3. Cuius loco Platonici admittunt in organo corporeo, siue potius spiritibus impressionem quandam virtutis obiecti, tanquam vestigium; ceu participatiunculam quandam qualitatis illius, qua hoc verè immutatur. Species expressa est actus potentiæ cognoscentis, quo cùm hæc ante obiecto conformis esset in potentia, modo eidem actu fit similis: & ipsius forma modo quodam mirabiliore, puriore, & nobiliore, quam ipsa sit in ipsomet obiecto, informatur, & actuatur. Ille actus vocatur sensio, estque vitalis: & secundum Platonem solùm à sensu communi elicitur propriè.

Iam prior illa virtus per spiritus impressa organo ab obiecto, tunc quando actu imprimitur viuax est, ipsumque cerebri centrum per eosdem spiritus penetrat, quos etiam viuaciter, ac vehementer afficit, ac quodammodo figurat, & impraegnat. Finita verò actione obiecti, in ipsis spiritibus animalibus relinquitur vestigium quoddam, ceu leuis aliqua reliquia prædictæ impressionis, atque immutationis. At ex parte animæ quemadmodum post actum scientificum relinquitur quidam habitus initio debilis; ac deinceps actuum repetitione perficiēdus; ita post actū vitalem, qui fuit sensio, relinquitur in potentia, atque adeo in ipso organo animato, quidpiam quod se habet quasi habitus, seu facilitas, & propinquior dispositio ad eliciendum talem actum, & quia habitus, qui sequitur actum, est quædam eius participatio, & cōsequenter similitudo, eaque permanens, ideo quod relinquitur post actum internum sensationis vocari potest species, & habitus: quo vtroque modo vocatur à D. Thoma in 1. 2. atque ita, quoties spiritus virtute alicuius obiecti eo modo, quò diximus sigillatus incurrerit organo sensus interni, atque phantasiæ, statim habitus illi respondens excitatur, atque in actum educitur: & ita fit recordatio: prout verò varij simul concurrunt, fit fictio, siue compositio illa phantastica chimærarum, &c.

Notandum est autem in homine distingui partem sensualem à rationali: illa est per quam anima spiritualis connectitur corpori, actumque illi communem, viuificum & substantificum contradit, ratione cuius ex anima & corpore resultat vnum animal, eiusdem generis cum cæteris animantibus, pars rationalis est, qua per rationes innatas apta est connecti cum Deo, eiusque ideis. In prima parte producitur sensus cum phantasia: in secunda opinio cum intelligentia, siue dianœja. Ideo phātasia naturaliter pendet ab organo corporeo, & à spiritibus ipsas obiectorum vires, siue simulacra deferentibus: opinio verò licet primùm à phantasia pendeat, vt ab excitante; tamen cum solis rationibus innatis peragi potest.

Inde

Inde quędam alia discrimina suboriuntur: *primum* est, quod habitus emanans ab operatione sensuali, facile deleri possit, quia pendet à spiritibus, qui facile possunt dissipari, vt diximus: & licet species, siue vires obiectorum hærerent in organo interno, tamen cum hoc sit corporeum, eius semper aliquid fluit, noua iugiter nutritione reparandum: habitus verò opinionis relictus in parte rationali iugiter manet. Ideo crediderim brutorum memoriam perbreuem esse: neque spiritibus animalibus diuturniorem.

Secundum discrimen est, quòd brutorum memoria naturaliter excitetur, prout spiritus interni commouentur: commouentur autem, secundum quod vitales, qui ascendunt à corde, cum animalibus, qui à cerebro refluunt in corpus, vario modo concurrunt, ac confligantur: memoria verò hominum liberè, atque ad placitum exercetur, quatenus anima rationalis ob insitam libertatem, potest vires suas exercere, prout vult. Ideo modo habitum vnius opinionis excitat, modo alium: & tunc ob naturalem sympathiam excitatur similis phantasia: sicut & è contrario, sæpe dum ab externis spectaculis phantasia mouetur, vel etiam incurrente intrinsecùs agitatione spirituum, ipsa quodammodo ratio excitatur, vt fit in somniis,

Ex his optimè potest intelligi Plato, cùm in Philebo comparat memoriam cum tabella, in qua sensus, tanquam scriba, signa quædam, siue monumenta rerum sensilium describit, quæ sunt quasi verba, siue characteres, quibus, imperfectè licet, forma rei externæ repræsentatur. Præter hanc verò, intellectum pictori comparat, qui rerum sensu perceptarum, multò clariores imagines in animo pingit. Ita per scripturam intelligit species, habitusue phantasiæ: per picturam, notiones, easque habituales intellectus. Primæ ad memoriam; secundæ ad reminiscentiam propriè pertinent.

Secundo, hinc etiam optimè declaratur, cur Arist. initio huius §. citatus vocauerit similem affectionem, quę fit in sensu interno, siue phantasia picturam: eiusque habitum, memoriam vocitauerit.

Tertio etiam constat, cur non semper actu recogitemus ea, quorum habemus species. Ratio est, quia spiritus, à quibus pendet excitatio sensus, non semper insunt organo.

Quarto quoque patet, cur alia sit pars capitis à qua pendet memoria; alia verò, à qua iudicium: quia seruari debent spiritus extra organum sensus, ne is semper excitetur. Ideo q; diuersum temperamentum requiritur.

Quinto denique patet, cur modo vnius sensus externi notitia videatur renouari: modo illa alterius: quia scilicet dum spiritus, qui sunt imbuti simulacris vnius obiecti, v. g. saporis, impinguntur in radicem neruorum gustatoriorum, gustum refricant, perinde ac si obiecta in illam affluerent: licet multò debilius ob rationem, quam supra assignauimus: & ideo non erit forte à re alienum, organum phantasiæ propriè in

ea parte cerebri collocare, in quam nerui omnes sensorij, tanquam in centrum desinunt.

§. 4.

De somno & insomniis.

QVÆ hactenus diximus de memoria, & de cognitione rerum absentium, necnon phantasmatum fictione, videntur postulare, vt saltem pauca de insomniis explicemus, quæ quia supponunt somnum, ideo breuiter, quid sit & quomodo fiat, expendendum est.

Somnus igitur est quies, siue cessatio sensuum externorum, itemque sensus communis, nec non appetitus, ob spirituum animalium impedimentum, ac cohibitionem: fit autem ex sententia Platonis in Timæo, quando spiritus cerebri offuscantur à vaporibus stomachi, vnde organa sensuum deserit. Ita *sensuum*, vt ait Gal. *feriatio* contingit: & animalis facultas in cerebro consopitur.

Huius vlterior ratio est refrigeratio caloris interni ex vaporibus, siue exhalationibus cibi, quibus consumptis calor cordis iterum redintegratur, & sic exardescens quibusdam quasi stimulis corpus stimulat, & ita vigilia fit. Addit Galenus somni causam esse quoque humiditatem; vigiliæ verò siccitatem, & calorem.

Quamobrem primum fit cibi, potusque repletio; sanguis frigescit, & humectatur; hinc halitus frigidiores & humidiores ascendunt versus cor & cerebrum: hinc spiritus animales incrassantur, dissipantur, offuscantur, & prohibentur ne in organa sensuum defluant, quia neruorum orificia obstruuntur, & oppilantur. Interim calor vocatur ad interiora, & cor calidis, & fuliginosis halitibus obsidetur, vnde respiratio difficilior redditur, & aliquando rouchi ducuntur, quia ob copiosiores halitus aër naribus interceptus verberatur.

Somnus alius quietus; alius turbulentus. Ille fit ex benigno, ac modico vapore, qui ex congruo alimento, & rectè concocto prouenit. Ille secus ex halitibus, & fuliginibus crudis, & impuris.

Moderatus sanitati vtilis est: secus immoderatus, vt enim per moderatum absumuntur halitus, qui euaporauerant ex cibi reliquiis, sic per immoderatum alij halitus excrementitij attrahuntur in cerebrum, qui eius ventriculos inquinant, spiritibusque animalibus permiscentur: vnde memoria debilitatur, morbique varij præparantur. Idem quoq; malum imminet iis, qui statim post prandium, aut cœnam somno indulgent: tunc enim ex ventriculo halitus impuri eleuantur in caput, &c.

Somnum conciliat aër tepidus: vel humiditate fuliginosa refertus; sic æstate in aprico; hyeme in vaporariis somnus leniùs prouocatur. Huc faciunt noctium tepor, lenis frictio, cantilenæ, aquarum lene murmur,

&c. Quia resoluunt leniter spiritus animales, & ad quietem blandè inducunt. Tenebræ quoque multum iuuant, quia lux proritat spiritus animales ad exercendũ visionis ministerium, eosque siccat, extenuat, calefacit; stimulatque, &c. Medici alias causas procatarcticas afferunt, vt succum papauerum, mandragoram: aliaque soporifera medicamina, quæ vaporum vim maximam exhalant ad humectandum, ac refrigerandum: vide Aristotelem de vigilia, & somno, multa enim habet exquisita, & scitu digna.

Finis porro somni præcipuus est recreatio virium animalium, atque instauratio membrorum, & organorum, per quæ animal internos, & externos sensus exercet. Continua enim actione nimium defatigarentur: at somno paululum quiescunt, dum interim spiritus reficiuntur: aut noui procreantur; incalescunt enim agitatione: & absumuntur; vnde breui exhaurirẽtur: ipsumque animal ardore nimio conficerent, nisi hoc natura remedium prouidisset: *vide Tertul. l. de anima.* Prӕterea vtilis est etiam rationi, quia post somnum salutarem imaginatio serenior est: & mens ingeniosiùs meditatur. Hinc aurora Musis amica dicitur.

Interim etsi circa omnia exteriora obiecta feriatur animus, non tamen otiosus omnino intus in corpore est: operationes vegetatiuas semper prosequitur: & identidem sensitiuas internas: quæ dicuntur insomnia: hoc est, phantasmata illa, quæ dormientis imaginationi obuersantur: de quibus sic loquitur Plato in Timæo: *Si profundus ob multam quietem motuum nos occupat sopor, exigua sequuntur insomnia: sin vehementiores aliqui motus, quasi vigiliarum reliquiæ relicti sunt, quales quidem, & qualibus ex locis hausta reliquiæ sunt, talia somniorum simulacra nascuntur, eorumque nobis expergefactis restat memoria.* Quibus verbis ea fere omnia dicuntur, quæ de iis dici possunt. Hinc ita Aristot. l. de insomniis c. 3. *Itaque post cibum, & admodum pueris, vt infantibus somnia non incidunt, quia multa fit tum agitatio, vehemensque motus propter eum calorem, quem cibus gignit. Quocirca quemadmodum aquam, aut alium humorem, si quis vehementer bacillo commoueat, interdum nullum simulacrum videtur, interdum videtur quidem, sed omnino inflexum, & deforme, vt aliud atque aliud esse videatur, sedata autem & tranquilla aqua purum, & illustre videtur; sic in somno visa, & motuum reliquiæ, quæ à sensibus eueniunt, nonnunquam à maiori motu quem dixi, omnino obruuntur; interdum verò turbulenta quædam visa, & prodigiosa, & ingrata somnia videntur, vt furentibus, febre laborantibus, & ebriis. Hæ enim perturbationes, cùm spiritus plenæ sint, magnum & metum & tumultum afferunt. Cum verò tranquillus est, & secretus sanguis in iis animantibus, quæ sanguinem habent, motiones perceptorum, quæ integræ seruatæ sunt ab aliquo sensuum, quieta, & sedata somnia ita efficiunt, vt aliquid nobis appareat, videamurque ab iis quidem, quæ adspectu delabuntur videre, ex iis autem quæ ab auditu, audire, &c,*

Sed quid sibi vult illud. *quales quidem, & qualibus ex locis hausta reliquiæ sunt, talia somniorum simulacra nascuntur?* An non illud quòd distin-

ctiùs postea Cicero dixit in l. de somn. Scip. *vt cogitationes, sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpissimè vigilans solebat cogitare & loqui?* eorum enim quæ lubenter ac sæpe in ore, & animo versamus, imagines, habitusue meliores, ac magis in promptu habemus, ideo & facilius inter somniandum recursant: sed profectò aliud voluit Plato: nimirum plerumque insomnia ex prædominante humorum ascendentium, vel descendentium temperiè fieri: quod vt intelligatur clariùs,

Notandum est insomnia excitari, cum spiritus imbuti reliquiis, siue speciebus sensionum externarum, mouentur, & ad organum phantasiæ, vel si mauis ad centrum neruorum sensoriorum ingeruntur; hoc autem fit ex variis causis: nimirum vel ipso impetu halituum è corde ad cerebrum ascendētium; & inde rursus in communes meatus neruorum recidentium: vnde in cerebro suscitatur commotio quædam & reciprocatio spirituum in eo contentorum: vel etiam ex quodam cordis affectu, quo animal ad dormiendum accessit, nempe tristitia, lætitia, aliisque affectibus. Sympathia enim talis est inter phantasiam & affectum, vt sicut ad imaginationem is naturaliter cōmouetur: ita & reciprocè affectu aliquo præualente, species illi sympathetica excitetur. Præterea temperies humorum prædominantium multum iuuat, quia cum halitus feriunt organū sensus interni, & spiritib⁹ animalib⁹ admiscētur, suas qualitates inseminant, & si quidem dominatur melancholia, exsiccant & infrigidant spiritus, siue organum; hinc rerum tristium imagines ingeruntur, vt suffocationis, strangulationis, mortis, tenebrarum, &c. Si flaua bilis; rixæ, incendia, volatus somniantur: Si phlegma; immersiones, pluuiæ, onera, vel impedimenta gressum & fugam retardantia, &c. Si sanguis; res lætæ, conuiuia, choreæ, rosæ puniceæ, cantus, &c. Ita *quales sunt vigiliarum reliquiæ, talia quoque sunt somniorum simulacra.* Sed insuper etiam *qualibus ex locis hausta.* Quia pro diuersa quoque constitutione ventriculi, lienis, hepatis, & aliorum viscerum diuersæ ascendunt exhalationes. Vltra huiusmodi causas, aliæ sunt externæ nempe influxus syderum, quatenus hinc magna ex parte pendent humorum qualitas & temperies: aliquando Angelus siue bonus, siue malus, vt docet D. Th. 2. 2. q. 95. a. 4.

Quamobrem oportet insomnia distinguere hoc modo: alia sunt merè naturalia: alia extraordinaria, vt quando à Deo per Angelos, vel à dæmone immittuntur.

Naturalium alia nihil omnino significant, & sunt merè fortuita: alia præsentem somniantis statum, & constitutionem commonstrant, vt ea quæ supra meminimus. Eaque sunt, ex quibus medici persæpe morborum causas inuestigant. An verò sint aliqua, quæ naturaliter futura præsagiāt, alia est difficultas. Stoici olim, & Pythagorei quos secutus est Artemidorus, & plures alij, censuerunt obseruanda esse somnia, eo quòd iis aliquid diuinitatis inesset, vnde futura possent præsagiri, perin-

deac si animus noster esset naturaliter futuri præscius: ac tum præcipuè vim illam exereret, cum à sensuum diuerticulis segregatus tranquilla quiete fruitur. Hinc Possidonius tria somniorum præsagientium genera recensuit; *primum*, cum animus per se diuina præuidet, quòd diuinus ipse sit: & à corpore interdum feriatus, excitet innatas intelligentias, per quas futura quædam ex parte, sicut præsentia cognoscit: *secundum*, quod à dæmonibus aëriis: *tertium*, quod à Diis supercœlestibus immittitur. Istud etiam confirmasse videtur S. Greg. Nyss. de opific. hominis cap.13. *Sicut si Musicus*, inquit, *resolutas lyræ chordas plectro pulsauerit, haud competentem harmoniam eliciet, sed sonus, vel nullus, vel incompositus audietur. Ita quoties per somnum laxata fuerint sensuum organa, vel prorsus quiescit artifex, velut cùm ex nimia repletione resoluta sunt sentiendi instrumenta, vel languidè, atque obscurè agit, cum accuratam mentis artem illa non capessunt. Idcirco memoria confusa, & vis præsagiendi ambiguis quibusdam velamentis obruta, præter studium quasdam speculatur imagines: & aliquid eorum quæ sunt euentura, interdum prænunciat. Nam ob naturæ suæ subtilitatem vltra corpoream crassitiem multa potest dispicere, ac prauidere. Neque tamen directè futura referat: obliquè tantùm atque ambiguè, perque modum ænigmatis: sic pincerna Pharaonis botrum premit in patera: sic Pistor canistrum sibi gestare videtur: vterque iuxta studium, quo se vigilans exercuerat, imagines sibi concinnat, &c.* Hactenus ille, loquiturque de somniis naturalibus, quia subdit: *Quod autem Daniel, & Ioseph, & alÿ similes diuina virtute, nullisque turbatis sensibus futurorum scientiam adepti sint, nihil hoc ad præsentem quæstionem facit: quia non hac somniorum generibus possunt sapienter imputari, sicut nec visiones Prophetis exhibita, &c.* Ita ergo videtur alludere ad antiquos illos somniorum obseruatores, qui volebant posse ex proportione, siue similitudine imaginis somniatæ ipsum euentum præsagiri: vt patet in exemplis pincernæ, ac Pistoris Pharaonis.

Hæc possent præterea confirmari experimentis eorum, quorum somnia tam frequenter de futuris euentibus explicantur. Addi posset *ex D. Th.2.2. qu. 95. art. 6.* aliquando ex impressione cœlestis corporis imaginationem dormientis immutari, reddique conformem cœlestium dispositioni. Cur non ergo inde aliquid futuri præsagiri poterit? Denique ordo cõmunis est, vt animus humanus ab Angelis instruatur: ergo quidni tunc temporis, cum animus quietior est, ab illis de futuris euentibus instruetur? Confirmatur, quia Iob 33. dicitur *per somnum in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo; tũc aperit Deus aures virorum, & erudiens eos instruit disciplinam.*

Nihilominus CONCLVDENDVM est obseruationem somniorum, vt inde futura præsagiantur, esse illicitam, superstitiosam, & vanam. Deus enim illam prohibet multis in locis. Deuter. 18. *Non inueniatur in te qui obseruet somnia.* Leuit. 19. *non augurabimini, neque obseruabitis somnia.* Eccli. 34. *somnia malefacientium vanitas: & sicut parturientis, cor tuum*

phantasias patitur, nisi ab altißimo fuerit emissa visitatio: ne dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis. Ratio autem est, quia futura nequeunt præcognosci certo à nobis, neque in se, neque in causis, saltem sine reuelatione: non in se, quia sic non sunt: non in causis: quia vel hæ adhuc indeterminatæ sunt: vel per nullam speciem nobis innotescunt: Ergo, &c.

Quod ergo in contrarium à nobis obiectum est, sic soluitur. Quædam sunt futura, quorum causæ determinatæ sunt in nobis, vel circa nos; à quibus impressio quędam potest in phantasia fieri per spiritus animales: & ea possunt aliquando somniari: sic morbus, vel sanitas ex temperamento possunt præiudicari: sic etiam ex impressione cœlestium potest temporum mutatio proxima præsentiri: quia aër à cœlo alteratus, alterat spiritus, & ita intelligi debet S. Thomas in 2 2. *q.95.* præterea inest nobis vis quædam prospiciendi futura, non per vaticinium, sed per habitum prudentiæ, aut per naturalem sagacitaté, qua ex nonnullis antecedentibus futura præmeditamur: cùm ergo in futuris præuidendis nos aliquando vigilantes exercuerimus, horum imagines dormiendo faciliùs vsurpamus: idque solùm voluit S. Greg. Nyssenus. Verùm quoniam eam animi nostri partem qua præterita, & futura meditamur, solet Deus frequenter vel per se; vel sæpiùs per suos Angelos illustrare, vt quæ nobis agenda sunt præmeditemur: potest etiam aliquando sopitis sensibus eandem illam animi vim, non nouas infundendo species: sed eas quas ille habet, per spiritus pręparatos excitando instruere. Verùm quia sæpius dæmon solet sese in Angelos lucis transfigurare, ne locus detur illusioni, iure præcipimur nulli somnio fidem adhibere.

Quod autem vltimò diximus aliquando à Deo per somnia mentem hominis admoneri, patet ex illo textu Iob quem supra retulimus: quod item Angeli siue boni, siue mali sese plerumque nostris insomniis misceant, copiosè probat S. August. lib. 12. de Genesi ad literam, vbi ait cap. 13. quandoque à bono, aliquando à malo spiritu humanum spiritum rapi in quædam visa, quibus futura prædicuntur: *Quod*, inquit, *certè nescio, qua occulta mixtura eiusdem spiritus fit, vt tanquam vnus sit patiens, atque vexantis spiritibus*: quibus verbis videtur insinuare spiritus illos incorporeos, cum spiritu hominis non rationali, vt interpretor, sed animali sese sic coaptare, vt vi cuiusdam sympathię in illa intelligentiarum suarum vires inseminent: ac tunc in mentes nostras illorum sic labantur instinctus, vt à fidibus lyræ in fides similiter temperatas, vt ait Ficinus in d. 5. de legib. Aut aliter potest id declarari ex eo quod loquens de visione illa interna, quæ sola in imaginatione peragitur, dicat eam per species, similitudinesq; rerum corporalium fieri, quas ait factas esse in spiritu. Hunc autem spiritum mouere, ac phantasiæ coaptare prout voluerint, facile illis est. Sed neque debemus omittere quod ibidem docet, arcanam sc. quandam esse inter animos humanos & angelicos communioné, qua sæpe ab his siue bonis, siue malis spiritibus homines tum cum sopiti sunt sensus, de futuris, aut de remotis euentibus præmoneri

contingat, id quod pluribus exemplis demonstrat. Ex quo istud solùm confici puto euidenter, quam plurimum solere dæmonas diuinatoria eiusmodi arte dormientibus illudere: vt merito non sine superstitione queat insomniis fides adhiberi.

Interim præstat audire Iamblicum somniorum huiusmodi, quæ à dæmonibus olim in mentes hominum Ethnicorum immittebantur, formas enarrantem: *Somnia, inquit, diuinitus missa, veniunt vel inter vigiliam, atque somnum: vel inter somnum, & vigiliam: vel in ipsa vigilia: tunc breues audiuntur voces, quid agendum sit admonentes, & aliquando spiritus quidam, non corpulentus, non tractabilis se iacentibus circumfundit. Qui tamen non perspicitur, sed alio quodam sensu, & animaduersione, quæ in consensu percipitur, impetu quodam ingrediens, & se vndique circumfundens absque contactu, atque mirificè passiones animi, corporisque expellit: aliquando verò lumen sincerum, quietumque fulget: sub quo visus clauditur, anima patet, &c.*

Simile quidpiam Eliphaz Themanites recenset Iob cap. 4. ipse enim assuetus gentium superstitionibus ita somnium suum exposuit, aut confinxit: *Porro ad me dictum est verbum absconditum: & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius: in horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines . . . . . . stetit quidam, cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audiui, &c.* Cæterum hoc vnum maximè notari peruelim rarissimè contingere, vt præsaga eiusmodi somnia eueniant, nisi dæmonũ instinctu, ac ludificatione: & si quando contingat vt à Deo, vel à bonis Angelis immittantur: præterquam, quòd semper hæc fiunt ob insignem aliquam causam, vnde Ecclesiæ, ac Religionis honor, vel commodum magnopere commendentur: insuper ex miris quibusdam circunstantiis eorum Deus semper certitudinem facit.

QVÆRES, vnde prouenire queat, vt sæpe homines somniantes ea faciant, quæ vigilantes non possent, vt qui noctu deambulant, per domorum fastigia exerrant; scandunt muros; artes exercent: & alia stupenda id genus multa faciũt. Resp. hosce euentus ita esse admirabiles, vt nisi experimentum quotidie id probaret, credi nusquam possent. Et quidem Galenus testatur seipsum dormientem integrum ferme stadium somniando confecisse. Causa obscura est: communiter tamen attribuitur subtilitati, claritati, & agilitati spirituum; qui clarissimas species viuacissimè obtrudunt imaginationi, eoque ordine, quo prædicti effectus exercentur. Cùm ergo spiritus illi circa imaginationem (aliunde tenacissimam, & præsiccam, qualis maximè melancholicorum est,) occupantur, agitantur, & incalescunt: atque ita incensi ab internis repagulis, quibus nimium coarctantur, perrumpunt in membra externa. Et licet sæpe tunc ventriculi cerebri, ac nerui maximè oppilati sint humore viscido, qui somnum efficit, & quidem profundissimum: tamen spiritus ignea sua subtilitate etiam per viscidos illos humores penetrant, neruosque ac musculos cient, prout imaginatio illos dirigit, aut emit-

lib. de motu musculi.

tunt.

tit: vnde quia hæc imaginatio minùs distrahitur, ideo rectiùs & fortius membra dirigit: atque ita securè per periculosissima loca pererrant: neque enim apprehendunt pericula, ex quorum apprehensione communiter mẽbra vacillant, & spiritus animales refugiunt ad cor: præterea cùm spiritus in noctambulonibus illis sint feruidissimi, miram quoque agilitatem, & leuitatem; imo & robur membris afferunt: nam & hinc quoque fit, vt phrænetici adeo robusti sint: quia scilicet, spiritus feruent: & aliunde cùm per humores crassiores, qui neruos vt plurimùm occupant, (vnde & sensuum externorum functiones impediũtur,) comprimi debeant. Hinc vires acquirunt: sicut vada, quæ in medio alueo lentissimè fluunt, cùm tamen per molendinariorum repagulorum angustias compressa delabuntur, insuperabili rapiditate currunt, & obuia quæque conuoluunt. Cæterùm non exiguas ipsi gratiarum actiones debent angelis suis custodibus, quoties non miserè depereunt.

Capvt XXIV.

DE APPETITV SENSITIVO.

§. I.

An sit, quid, & quotuplex.

Esse appetitum sensitiuum in brutis, atque etiam in homine nemo est qui dubitet. Is enim debebatur animali, vt salubria quærere, noxia item fugere posset. Quare ita potest definiri appetitus: *ea vis animæ, quæ animal ad aliquid expetendum, fugiendumve impellit: prout à sensu dirigitur*: siue *inclinatio viuentis ad suum bonum, determinata per sensum.* Duplex enim inclinatio rebus inesse omnibus conuincitur, *Innata*, & *elicita*: illa est vis quædam à Deo formis, siue naturis rerum singularum annexa: Et ea diuersa est pro varietate formarum, quibus innascitur: sic naturæ ad formam; elementis ad centra; mixtis ad suos fines; plantis ad competens alimentum inclinatio datur, ceu pondus naturæ, quo ad ea bona sibi consentanea, quæ non norunt, jugiter tendunt, instigantur, ac impelluntur. Talis est etiam naturæ instinctus, quo animantes tam mira opera, & tam inerranter efficiunt. Appetitus elicitus est, quo quidpiam seipsum mouet ad aliquid expetendum, vel fugiendum vi & efficacitate cognitionis, qua illud bonum, vel malum repræsentatum fuerit. Si cognitio hæc sensitiua fuerit: nominatur appetitus sensitiuus: sin verò, intellectiua, intellectiuus: solet tamen appetitus huiusmodi non solùm pro actu accipi; sed pro facultate, à qua immediatè producitur: de qua, *primo*, quæritur quid sit; *secundo*, quotuplex.

Quoad

Quoad primum, multa dicenda occurrerent si modernorum dicta vellemus pensiculatiùs ponderare: sed præstat rem totam paucis perstringere, dicendo facultatem appetentem esse vim quandam à Deo animali concessam, qua sese sponte mouere possit ad bonum apprehensum, vel malum fugere. Hæc vis in omni animali est velut inclinatio quædam naturaliter fluens ab essentia animæ, eiusque proprietas est maximè essentialis: quippe cùm illa sit substantia per se suimet motiua, vt suprà diximus. Quare si quæratur vlteriùs, quid sit illa inclinatio; quæram ego quid sit pondus illud, quo grauia deorsum tendunt: quid ille impetus, quo astra mouentur: quid denique grauitas; quam vel Epicurei negare non possunt in atomis.

Cæterum, vt grauitas rebus grauibus inditur à generante, vt diximus in Phys. cap. 48. §. 1. Sic ista inclinatio ex vi generationis, vel creationis inseritur: Sed discrimen maximum in eo est, quòd inclinatio rerum naturalium sit à natura determinata ad vnum quendam effectum, sicut ignis ad ascendendum, &c. inclinatio verò animalis indeterminata est ex se, & ad diuersam apprehensionem diuerso modo ab animali determinatur. Quod maximè aduerti velim.

Vnde patet *primo*, non satis exactam eiusce appetitus declarationem afferri ab his, qui eum volunt esse potentiam passiuam: licet enim eam sic vocet *S. Th.* 1. *p. q.* 80. *a.* 2. solùm vult eatenus eam esse passiuam, quatenus per obiecta cognita excitari, ac determinari potest: licet principaliter sit vis actiua, qua possit animal se mouere ad hoc, vel ad hoc.

Patet secundo, eam distingui realiter ab anima, non minùs quam grauitatem à terra; agibilitatem ab igni, &c.

Quoad secundum distinguunt omnes duos appetitus, quos iam suprà memorauimus, intellectiuum scilicet, & sensitiuum. Ratioque manifesta est, quam tradit D. Th. mox cit. quia diuersa profectò inclinatio admitti debet ad diuersum bonum: vti ad diuersum finē diuersa tendentia. Atqui bonum creaturæ rationali, qua talis est, conueniens, toto genere diuersum est à bono animalis, vt est animal. Item inclinatio, quæ quoad exercitium pendet essentialiter ab apprehensione boni, vel mali, necessariò variatur, secundum quod illa boni vel mali apprehensio diuersa fuerit: sed apprehensio intellectiua boni intelligibilis per se, ac toto genere distinguitur à perceptione sensitiua boni sensibilis: ergo. Maior est difficultas de appetitu sensitiuo. Communiter enim solet distingui in appetitum concupiscibilem, & in irascibilem: de quibus sat multa diximus in moralibus. Alij addunt vnum alium, quem cupiditatis naturalis nuncupant: qui contineat famem, sitim, & libidinem. Certum autem est aliqualem apparere distinctionem inter hosce omnes appetitus: sed incertum est qualis sit, realis, an non. Quare breuiter sic verum inquiramus.

Primò probabile sane est appetitum, à quo affectus emanant, distingui ab eo, qui famem, sitim, & libidinem continet: quia iste purè naturalis videtur, neque vllo pacto spontaneus: secus appetitus affectiuus.

Hoc autem patet sic: quia quæ in brutis sunt spontanea, in homine ob consortium libertatis fiunt voluntaria: sed affectus omnes in homine sunt voluntarij: hoc est, possunt saltem cohiberi: at fames, & sitis cohiberi non possunt. Ergo, &c.

Verùm ad hæc responderi potest in fame, siti, &c. distingui debere dolorem; appetitum naturalem; & appetitum sensitiuum. Dolor est immutatio ex corrugatione, & constrictione ventriculi prouemens: siue potius vellicatio fibrarum stomachi ab acuta chyli suctione procedens. Membra enim succo alimentitio destituta, è venis sugunt sanguinem; hæ ab hepate; hoc à mesenterio; hoc ab intestinis: hæc denique à stomacho alliciunt quidquid humidi possunt, vnde irrigari, ac refocillari valeat: Nam naturalis illis inest vis attrahendi ea quæ conueniunt: sicut radici arborum inest quoque vis è terra sugendi humorem. Stomachus ergo sic exsuctus, dum non habet, quod humori attracto succedat, contrahit se, & corrugat: fibræque eius exsuguntur: vnde primo titillatio quædam fit: deinde dolor, qui esuries. Si cibus solidus sit, & siccior, ita vt ob ariditatem coctio, siue euaporatio fieri non possit, exsiccantur eædē fibræ, alteraturque naturalis status ventriculi; vnde fit dolor, qui sitis dicitur. Sentitur autem illa immutatio ab animali, quia hoc solum habet vim sentiendi, & organa: non verò plantæ.

Appetitus naturalis est vis, seu inclinatio naturæ vegetalis ad humidum, vel siccū; cuius adeptione vacuitas præternaturalis repleri queat: talis quoque inest plantis, & omni potentiæ imperfectæ ad obiectum, quo perfici potest.

Appetitus sensitiuus est inclinatio ad expellendum dolorem eiusmodi apprehensum; & hic non distinguitur reuera ab appetitu, à quo affectus manant: quia ex quo dolor apprehenditur, excitatur eius fuga; & oppositum desideratur. Idem est de repletione superflua, & de salubri euacuatione excremētorum: vt enim in illa quædam molestiæ species; ita ex ista, voluptas excitatur. Hinc naturalis innascitur appetitio euacuationis eiusmodi: hinc cupiditas somni; libido, &c. Cæterum prout in huiusmodi euacuationibus, aut repletionibus apprehenditur per sensum aliquid voluptatis, vel doloris, excitantur affectus concupiscentiæ. Ita non oportet multiplicare entia sine necessitate.

Restant Concupiscibilis & Irascibilis. Scotus *in 2. d. 26.* negat hos duos distingui: eo quòd arduum nequeat esse obiectum appetitus, sed hoc iam refellimus in moral. cap. 17. §. 2. Gabriel, & alij cense[illegible] sola eos ratione distingui, quòd omnis alia distinctio sit superflua: sit tamen cum Thomistis

CONCLVSIO: Probabilius est appetitus concupiscendi, & irascendi reuera distingui. Ita D. Thomas 1. p. qu. 81. ar. 2. vbi legendus est. Ita quoque communiter Philosophi, & præsertim SS. PP. vt S. Gregor. Nyss. & Damasc. nec non alij, qui tres appetitus numerant in homine, rationalem, concupiscibilem, & irascibilem. Idem ex Platone tradidimus in moral. cap. 17. §. 2.

Ratio est, quia vires illæ, quæ per se ac essentialiter ordinantur ad diuersa obiecta, & per diuersos actus, sunt sine dubio reipsa distinctæ: atqui vires concupiscendi, & irascendi sunt eiusmodi. Ergo. Ma. patet ex se, neque à quoquam negatur. Min. probatur, quia bonum delectabile, quod est appetibile propter solam conuenientiam cum appetente reuera distinguitur à bono arduo, quod per se molestum est appetenti, & consequenter quod nullo modo est appetibile propter vllam conuenientiam, quam habeat cum appetente: sed solùm propter adeptionem alterius boni, quod concupiscitur: sed prius est obiectum concupiscibilis; posterius, irascibilis: Hinc nascitur discrimen essentiale, ac genericum actuum vtriusque: quod tangit S Thomas *q. 25. de verit. a.* 2. nimirum, quòd actus concupiscibilis se habeat vt receptio; irascibilis verò, vt actio: non quòd concupiscere sit pati, hoc enim suprà reiecimus; sed quia vi concupiscendi animal se mouet ad obiectum simplici quadam complacentia, qua sibi optat bonum, vel simplici displicentia, qua sibi non optat malum in quo se habet per modum recipientis, gustantis, & habere cupientis, aut simpliciter nolentis, &c. at per vim irascendi sese mouet conatu arduo, & generoso, vt vincat aliud, illudque destruat, aut longè arceat à se. Quare vis prior leniter & quietè fertur primariò, & immediatè in bonum delectabile acquirendum, & retrahit se à malo, quod displicet: posterior verò cum impetu, aggreditur aduersa: ferturque in rem arduam naturæ appetentis dissentaneam, vt pugnam, labores, &c. vt per ea vel maius malum euitetur; vel bonum quod simpliciter concupiscitur, obtineatur. Ideo hæc ardua solùm habent rationem boni, quatenus assecutioni boni per se conuenientis seruiunt: non quòd ipsa per se conuenientia sint: vel quatenus habent rationem magnifici, & generosi; non verò delectabilis: vide S. Thom. *q. 25. de verit. a. 2. ad 2.* Paucis. irascibilis concupiscibili subordinatur: atque ita, vel ex hac parte distinguitur. Vide quæ diximus in moralibus. Interim si ea, quæ modo diximus rectè ponderentur, facile diluentur quæcumque à Suare, aut aliis recentioribus, tanta cum pompa obiiciuntur: quorum præcipua subiiciam sic.

Obiic. *primo*, appetitus intellectiuus non ita diuiditur in duos: Ergo neque sensitiuus.

Secundo, vis vna exercetur circa obiecta alterius, vt irascibilis circa tristitia, itemque circa bona concupita iuxta illud *vnde bella, & lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris?* Ergo frustra multiplicarentur.

Tertio, ea ipsa potentia, quæ appetit remouere impedimentum assecutionis: ipsam quoque assecutionem appetit: Atqui vis irascendi ea est, quæ appetit remouere impedimentum, & vis concupiscendi ea, quæ appetit assecutionem: Ergo. Ma. probatur à pari: lapis eodem pondere, quo rumpit obicem sui descensus, descensum prosequitur: & idem calor, qui calefacere appetit, etiam frigori resistit, &c. Atqui etiam secundum D. Th. in 1. parte ex proportione virtutis, quæ inest rebus naturalibus ad appetenda sua bona, & fugienda mala, duci debet appeti-

tus sensitiui distinctio, &c.

Quarto, eadem potentia, quæ appetit conueniens, refugit noxium; quia contraria pertinent ad eandem facultatem: sed Concupisc. appetit bonum conueniens; Irasc. verò refugit noxium.

Quinto, actus harum viriũ mutuò sunt inter sese impliciti, ira enim habet concupiscentiam vindictæ; & odium inimici.

Sexto, arduum non potest esse obiectum appetitus saltem distincti à concupiscente. Ergo non debent distingui duo hi appetitus. Ant. probatur, *primo*, quia arduum, vt arduum non habet rationem boni. *Secundo*, quia actus irascendi non est arduus: ergo neque eius obiectum. Etenim irasci nihil aliud est, quam appetere vindictam, at hoc minimè arduum est, sed dulce potiùs.

Ad primam Resp. Nego paritatem, quia voluntas habet per se obiectum vnum, quod ambit omnes rationes boni particularis, fertur enim in bonum secundum se: secus appetitus sensitiuus, quia limitatior est, debet habere obiectum limitatius, & sic alius ad delectabile, alius verò ad arduum. Ad hunc modum sufficit vnus intellectus, cum tamen sint multi sensus: & merito, quia ea debent in corporeis multiplicari ob eorum limitationem, & recessum à prima vnitate, quæ Deus est, quæ in incorporeis propter oppositas rationes vniuntur.

Ad secundam Resp. negandum esse, quòd irascibilis tendat in obiecta concupiscibilis sub eadem ratione formali: vt suprà diximus. Ad tristia quidem fertur, non se ab his retrahendo, vt à displicentibus; sed ea potiùs aggrediendo, vt magnifica, atque vt vtilia bono delectabili, vel comparando, vel optatiùs stabiliendo: & hac solùm ratione dicitur appetere bona iam concupita, finaliter scilicet, non obiectiuè. Ita ergo verum est quod *habere quandam altitudinem super bonum delectabile, & noxium tristabile, vt scilicet noxium possit superari, & delectabile cum securitate quadam possideri, ad irascibilem pertinet.* S. Th. quæst. 25. de verit. art. 2. ad 2.

Ad tertiam R. distinguo Ma. potentia quæ appetit remouere tale impedimentum, agrediendo scil. ardua, ipsam assecutionem appetit finaliter, videlicet propter illam animosè gignendam, *concedo*: & hæc est vis irascendi: talis autem non est vis concupiscibilis: ideo ad Minor. Resp. quòd illa sola sit vis concupiscendi, quæ simplici affectu boni delectabilis, & sensualis appetit remotionem impedimenti, quo retardatur ab assequendo illo suo bono sensibili: ad probationem Resp. ab eodem appetitu, à quo appetitur bonum delectabile, etiam appeti remotionem impedimenti, eodem genere actus, *concedo*: diuerso, *nego*: nam id affectu solùm simplicis concupiscentiæ appetit; non verò conatu & impetu excandescentiæ impugnantis; Et ita soluuntur instantiæ. Lapis rumpit obicem, quomodo? aggrauando: at & aggrauando descendit: calor resistit frigori, an non & calefaciendo? idem ergo his in vtroque agendi modus, cur vires agendi multiplicares? aliud hic occurrit: neganda igitur paritas.

Ad quartam R. quæ appetit conueniens, refugit noxium eodem genere actus, & sub eadem ratione obiectiua. *Concedo*; aliter, *Nego*. Concup. refugit noxium, sed sine aggressione ardui, & per simplicem displicentiam; secus irascibilis.

Ad quintam. Nego quòd ira concupiscentiæ, sibi contra distinctæ actus habeat: si concupiscere dicitur vindictam, hoc verbum simpliciter sumitur pro appetere, quod est commune vtrique, ac neutri propriũ: similiter in ea est odium: sed hoc pro impugnatione sumitur, quæ simplici odio maius est quidpiam.

Ad sextam denique R. patere iam ex Moral. c. 17. ex supradictis quomodo arduum rationem boni habeat, saltem est aliqua differentia boni: quòd verò sit obiectum irę, patet vel solo experimento. Nego ergo, quòd actus ab ira progrediens, quo ardua impugnãtur, non sit etiam difficilis: actus verò ipse irascendi, quatenus fertur in finem agressionis arduæ, quæ est vindicta, facilis est, & gratus, quia in ea est tota ratio bonitatis, quæ reddit arduum appetendum: sed quatenus ipsam aggressionem arduam continet. & ipse quoque arduus est: quia sic fertur in arduum, quatenus arduum.

§. 2.

Affectuum origo & causæ physicæ declarantur.

IN moralibus moraliter illos considerauimus; hic quia versamur in physica, eos oportet physicè retractare. Sed priùs audiamus, Platonem sublimi magnificentia, de his ita differentem. *Ne diuinum* (i. partem hominis rationalem) *vlla mortalium* (id est, inferioris partis passionum) *contagione. nisi quantum summa necessitas cogeret, pollueretur, seorsum ab illo in alia corporis sede mortale collocauerunt: atque à pectore caput, ceruice & collo interiecto separauere. In pectore igitur, & thorace mortale genus animæ posuerunt; cumque id naturaliter partim deterius esset, disposuerunt rursus thoracis capacitatem, discernensque sedem tanquam virorum alteram, alteram fœminarum: cartilaginem enim quandam nomine diaphragma, quod etiam φρένας vocant, inter hac mediam interiecerunt. Partem igitur animæ fortitudinis, iracundiaque participem, contentiosamque capiti propinquiorem fecere inter diaphragma, ceruicemque mediam, vt hac obediens rationi, vna cum ipsa cupiditatum genus vi illata coërceat, si quando rationis in arce capitis habitantis, iussa cupiditas respuat. Cor verò venarum originem, fontemque sanguinis per omne corpus impetu quodam fluentis, in stipatorum regione suspendere voluerunt; vt quando ira vis excandescit, ratione nunciante, si quid extrinsecus iniustè fiat, vel intrinsecus aliqua concupiscentia turbet: tunc celeriter per angustos quoslibet meatus, quidquid in corpore sensus est particeps, iussa, minasq; persentiat; atque ita obediat, obsequaturque omnino, toleretque in omnibus præstantissimi illius imperium.* In Timæo.

Hic quam multa dicenda occurrerent, scitu quidem dignissima: sed

quia hic non commentandi, sed breuissimè solùm philosophandi negotium suscepi: Ideo solùm hæc pauca notanda seligam. *Primo*, quòd tres hasce facultates, rationalem, irascibilem, & concupiscibilem re, organis, & functionibus distinguat.

Secundo, quòd cerebrum parti rationali attribuat ob eius cum sensu interno commercium: irascibili cor; & concupiscibili hepar: quòd quî possit intelligi, mox dicam.

Tertio, irascendi vim comparat viro, quia generosior: concupiscendi, fœminæ; quia mollior est appetitus.

Quarto, irascibilem facultatem in loco altiori collocat, quam concupiscibilem vt sit media inter hanc, & rationem: quod multis de causis verum est, 1. quia ille appetitus est generosior, quatenus *habet quãdam altitudinem super bonum delectabile*, vt docet D. Thom. supra cit. ideo eam Apuleius *animositatem* vocat, ferturque ad res magnificas, & generosas. 2. Quia minùs à ratione distat, quàm cupiditas sensualis: ideo illum leoni comparat, hanc verò belluæ variæ, ac multiplici: tum quia ratio nos diuinos: ira homines; cupiditas voluptatum belluinos efficiunt: prima nobis cum diis: secunda cum brutis communis est: tertia nobis videtur propria: licet brutis quodammodo insit, sed degenerans. Hinc appetitus irascibilis à Platone consideratur potissimum vt minister rationis, ita vt si ratio concupiscentiæ cedat, huic quoque obediat irascibilis, sin resistat, ille quoque pro ratione agrediatur ardua contra voluptates: vt fit, cum affectus reprimuntur per fortitudinem, temperantiam, &c. Hoc autem expresè docuit D. Thom. q.25. de verit. 2. vbi comparat irascibilem æstimatiuæ, præsertim in eo quòd, sicut æstimatiua, prudentiæ, sic irascibilis quandam habeat rationis participationem, quatenus relicto delectabili appetit victoriam, ipsumque appetitum superiorem aliqualiter attingit; & ideo superior & dignior est concupiscibili, qui animæ sensitiuæ secundum propriam eius rationem competit, nec irrationalis naturæ terminos transcendit.

Quinto, cor esse sedem irascibilis, quia est caloris, & spirituum officina: multum enim his opus habent affectus iracundi: vt patet ex iis, quæ diximus in Moral. c. 17. §. 4. At in hepate cur concupiscibilis? R. *primo*, quia, cùm hic appetitus sit tranquillior, & effœminatior, eget quoque calore temperatiore, qualis in iecore: *secundo*, quia per concupiscibilem Plato præcipuè intellexit appetitum eorum delectabilium, quæ maximè animalia titillant, qualia circa alimenta, vel libidinosas voluptates maximè attenduntur. Horum enim cupiditas in ipsa vi sanguinis potissimũ consistit, vnde & sanguinea animalia cæteris appetentiora sunt: & sanguinei homines ardentius aliis concupiscunt: hoc autem Plato sic declarat: *eam animæ partem, quæ esculenta, & poculenta cupit, & reliqua omnino quibus corpus indiget, concupiscit, mediæ regioni inter diaphragma, & vmbilicũ applicuere: vbi quoddam quasi præsepe ad totius corporis alimoniam extare volebant: & ibidem illam vim animæ tanquam agreste animal alligauerunt.* In iecore porro creari sanguinem suprà diximus. Ideo eius-

modi pars tota in alendo, pascendoque corpore intenta est, vt non immerito præsepi comparetur: inde sanguis in reliquum corpus incipit distribui, singulis membris congruam alimoniam ministraturus: inde quoque sanguis in renes defluens, tandem in semen vertitur, generationi aptum: Ob hæc ergo Plato illi vim concupiscendi potissimum adscripsit, quatenus hæc principaliter in obiectum habet delectationes, quæ in edendo, bibendo, gignendoque percipiuntur. Atque hæc pro Platone satis.

Alij sine discrimine volunt cor esse principale organum omnium affectuum, & spiritum vitalem esse eius in iis omnibus, excitandis instrumentum: accedit varia 4. humorum temperies: prout enim quisque interno temperamento affectus est, diuerso quoque modo ad apprehensionem boni, aut mali commouetur. Hinc à frigida & sicca qualitate, quam sequitur phantasia, nascuntur communiter affectus tristes, quales sunt tristitia, motus, desperatio, &c. vt in melancholicis. A frigida, & humida leues & frigidi, quales sũt spes, metus, dolor, &c. vt in pituitosis. A calida & humida calidiores, quales sunt gaudium, voluptas, audacia, ira, &c. vt in sanguineis: A calida & sicca, ardentes, & concitati, quales sunt excandescentia, audacia, ira, æmulatio, &c. vt in biliosis. Prȩterea ex diuerso temperamento prouenit, vt alij aliis delectentur, aut offendantur. Nam quæ cuique conueniunt, delectant, quæ repugnant, offendunt. Hinc alij dulcia amant, alij acida, quibusdam frigida, calida aliis placent, &c. prout autem diuersus est delectationis, aut molestiæ sensus, ita diuersi affectus excitantur.

At quomodo ex phantasia, vel ex sensu mouetur appetitus, Aristoteles l. de motu animalium c. 4. videtur innuare obiectũ à phantasia perceptum reales suas qualitates imprimere, atque hinc alterari cor: vnde *parua mutatio in ipso facta principio multas & magnas in extremo facit differentias, vt temone paululum translato, magna proræ fit transpositio. Caliditate quin etiam, vel frigiditate, vel alia einsmodi affectione, cum in corde facta fuerit alteratio: etiamsi in exigua, & insensibili illius particula, multa sane in corpore fit differentia cum ruboribus, & palloribus, tum horroribus, & tremoribus. Principium igitur motionis in agendi genere id sane est, quod consectandum, aut declinandum est. Calor autem, & frigus eorum cogitationem, & imaginationem necessariò consequuntur. Tristificum namque declinandum, iucundum verò consectandum: verùm istud in exiguis valde est obscurum. Sunt autem tristifica, & iucunda ferè omnia cum frigiditate & caliditate, quod profectò ex affectionibus est manifestum.* Verùm cùm experiamur nos sæpe sine vlla externi obiecti actione commoueri: & ad apprehensionem calidorum nos tristari, horrescere, vel non excitari: nec calefieri. Ideo malo simpliciter dicere moueri appetitum ex phantasia propter summam sympathiam, quæ inter huiusmodi facultates intercedit, vtpote radicatas in eadem anima. Deinde recolendum est quod supra diximus, appetitum esse inclinationem quandam animæ, qua ipsa sese ad bonum animalis per spiritum, quo cum corpore nectitur, mouet

quamobrem prout ipsa per sensum de bono internis suis numeris, siue dispositioni congruente; vel de malo repugnante admonetur, statim sese per eundem spiritum mouet motu diffusiuo, & exhilaratiuo, si ad bonum; vel contractiuo & horrifico, si ad malum. Ita quemadmodum stirpes salutaribus cœli, vel aëris influentiis irroratæ, suos leniter laxant spiritus, & internus humor sese benignè diffundit per fibras, corticem, frondes & flores; vnde hilarescere videntur: è contrario verò si pruina, vel maligni cuiusdam astri adspectu syderentur, sese in iis omnia contrahunt, corrugantur, horrescunt, &c. Idem propemodum fit in animali, motu autem illo diffusiuo rarefiunt sanguis & spiritus: motu cōtractiuo densantur. Illincque calor, hinc frigus augescunt, &c.

Ex his patet, cur in moralibus c.5.§.1. sub finem dixerimus: voluptatem esse quandam appetitus assensionem in bonum apprehensum: ita vt in id effluat, seque diffundat, quasi gestiens in illud trāsfundi, & colliquescere; ita dolor erit dissensio appetitus à malo præsenti, vel imminenti; ita vt ab eo sese omnino retrahat: & contra illud obfirmet, suas omnes in sese vires recolligens: denique vt per voluptatem motu naturali se dilatat & reficit; ita per dolorem motu prętérnaturali sese diuexat, angit, conficitque. Horum autem motuum necessariò tunc in corpore vestigia, & impressiones fieri necesse est ob arctissimam illam, qua colligantur ambo sympathiam. Iam ex voluptate amor; ex dolore odium, siue displicentia; ex his reliqui affectus commouentur.

Notandumque insuper est miram consensionem, & communionem omnium partium corporis interesse, adeo vt vnius actio statim cęteris communicari valeat, nimirum per spiritus celerimè quoquouersus emissos. Sed potissimum à cerebro ad cor, hepar, lienem, & cætera viscera per arcanas venulas, arteriolasque, continuè spiritus eiusmodi fluunt, ac refluunt: ideo eodem puncto temporis, quo per sensorios spiritus, obiecti alicuius impressio mouit animam, illico per spiritus citissimè accurrentes talis immutationis vis transigitur in cor, aliasque corporis partes, vbi humores sympathetici commouentur, v.g. cùm apprehenditur malum, spiritus sensorij mala tali obiecti qualitate affecti prouocant melancholiam, bilem, aliosque humores; quibus tristitia, vel ira solent excitari: cùm verò bonum percipitur, spiritus benigne obiecti, qualitate informati sanguinem recreant, &c. Aut si nolis spiritus animales ita discurrere, dic spiritum animasticum, & vitalem, quo anima conglutinatur corpori, diffusum esse per ipsum corpus vniuersum ac ita dum cerebrum obiectu alicuius rei gratæ, vel ingratę afficitur, vim huiuscemodi affectionis per prædictum spiritum statim à cerebro ad cor deferri: quemadmodum naptha in instanti recipit inflammationem ab igne paululū distante per halitum insensibilem, qui ab hac vsque ad ignē protenditur. Atque ita puto explicari posse Aristotelem supra cit. cum dixit ex apprehensione tristium excitari frigiditatem: ex iucundorum verò, caliditatem.

Sic igitur ad obiecti grati sensum spiritus, præcipuè cordiales, sese effun dunt

effundunt, quasi ad occursum rei sympatheticæ ac amicæ prodituri: vnde hominis lætabundi facies hilarior apparet, pulsus æqualis, sed paulò vegetior, oculi mediocriter lucidiores, serenior frons & genæ rubicundiores, quia tunc anima quasi suo sibi congaudens in corpore ipsum motu naturæ suæ magis consentaneo fouet, ac mouet; & spiritus cum purissima sanguinis portione sursum affluentius extolluntur. Hinc serena partium explicatio, tenor pulsùs, rubor, &c.

E contrario ad obiecti antipathetici sensum, spiritus ad centrum suum, nempe cor, sese retrahunt. Hinc pallor, cutisque, & capillorum rigor, pulsus lentus, & debilis. gelidusque per artus humor fluit: quoniam anima male inde, ac contra inclinationē naturalē affecta, vis calorifica, qua corpus vegetatur debilior fit: & aliunde humor melancholicus, aut pituitosus euocatus frigiditatem augent. Ita motus lætitiæ, vel mæroris excitantur, & ex his reliqui affectus, quorum omnium motus mixti sunt ex his duobus: vt ostendimus in morali c. 17. §. 5. & 6.

Ex his patet motus passionum, initio vt plurimùm non subiacere libero voluntatis imperio: quia spiritus per quos fiunt naturaliter communicantur, & agunt: potest tamen voluntas eas præuenire, vel diuertendo sensus à perceptione obiectorum, quæ naturaliter appetitum cō. mouēt, vel assuetudine domando corpus, atque ita illud sic disponendo, vt difficiliùs moueri queat: vel reformando iudicia sensuum; ita vt quę sensui per se apparent delectabilia, repræsentatis aliis bonis melioribus, iudicentur mala, vel indifferentia. Denique inceptos motus potest cohibere propter despoticum, quo in totum corpus pollet, imperium. Contrarium in brutis obtingit.

Secundo, patet posse etiam motus huiusmodi sine rei nouæ apprehensione excitari: necnon medicaminibus leniri, vel exasperari. v. g. tristitia sępe à melancholia prouenit; cùm scilicet ad ventrem accurrens, mordicationem quandam gignit, quæ animali mœrorem inducit: & quia frigida est, & sicca, dum plus æquo diffunditur, partes illas constringit, quæ priùs calore distendebantur: spiritusque calidiores occursu contrariæ qualitatis diffugiunt in cor, vt suprà diximus. Ideo tunc commendatur vsus vini, aliarum rerum calidarum, & humectarum. Ita è contrario lætitia ex interna sæpe dispositione sanguinis; ira ex bilis incensione prouenīunt; sæpe hi motus ex reminiscentia rerum tristium, vel iucundarum excitantur.

Ita origines, & causas physicas affectuum deduximus: paucis nunc eorum differentias explicemus. Suppono autem in primis affectuum differentias potissimum sumi oportere ex diuerso iudicio, quo res apprehenduntur, vt si bonæ, vel malæ; si præsentes, aut absentes; si euitabiles, comparabiles ue sint, aut non, vt in Moralib. c. 17. §. 2. ex D. Th. deduximus.

Inde constat in cōcupiscibili ex opinione boni tres oriri, ***amorem, desiderium, gaudium***, totidemque ex opinione mali, ***odium, detestationem, tristitiam***. Amor sic in animum gliscit: res sympathetica, sensu percepta

imaginationem blandè afficit: inde ad eam ſibi conciliandam determinatur inclinatio animalis. Interim hoc ſuauitate quadam ob hanc inclinationis ſuæ illecebram, quoad animam delinitum per ſpiritum, quo ipſa vegetat corpus, ſympatheticam quoque in eo motionem excitat, qua blandiùs, ac ſalubrius animetur. Tamen inclinatio illa mitiùs aut vehementiùs pro cuiuſque corporis temperamento, vel natura ſtimulatur ad bonum imaginatione perceptum: nam in calidis acrior; in frigidis mitior eſt. Hinc amor ſic definitur, *affectus appetitus concupiſcibilis, quo bonum aliquod ſuauiter imaginationem mouens expetitur, ab animali comparandum, inſtigante ad hoc cordis feruore.*

Si hoc abſens iudicatur, tota inclinatio animalis, ab illo iam ineſcata, dudum in ipſum ſuſpenditur, vnde ſic ab anima mouentur ſpiritus, vt ſint quaſi parati ad id boni proſeqeendum, & attrahendum, & dicitur *deſiderium.* In eo lætitia quædam gignitur, cum aliquali tamen triſtitia ob abſentiam boni amati.

At ſi præſens fuerit, tunc tota inclinatio conquieſcit in eius poſſeſſione: vnde ingens oritur voluptatis ſenſus, qui *lætitia* nominatur.

Odium contrà ex offenſione imaginationis proficiſcitur: qua naturali animæ inclinationi vis infertur; vnde ſequitur quædam inordinatio in functione vegetali: nutricationis opus impeditur, meatus & nerui, qui deferunt ſuccum alimentitiū ad hepar, aut humores bilioſos, & melancholicos ad ſplenem, contrahuntur: atque ita hi refunduntur circa cor: cuius proinde temperies alteratur, & pulſus: denique ſpiritus craſſiores inæquali feruore conſcendunt in cerebrum: ibique odioſa hæc phantaſmata tenaciùs fouent. Hæc offenſio non parum ab iraſcibili incitatur: iracundiores enim, & calidiores citiſſimè ob quamcumque rem offenduntur: quia iraſcibilis vis in iis propter calorem concitatior eſt, ac motu facilior. Contrà frigidì, humecti, & ſicci ægriùs offenduntur, & tolerantiores ſunt. In vtriſque offenſio æquè ſemper non durat. In iracundis tum breuis eſſe ſolet, tum diuturna: in melancholicis diuturnior; in bilioſis citior: ſed & breuior. In pituitoſis partim ob humiditatem facilè diffluit; partim ob frigiditatem diuturna, minùs tamen, quam in melancholicis.

At cum hoc malum, quod imaginationem offendit præſens non eſt, ſed apprehenditur, vt imminens, inclinatio animalis eò tendit, vt illud declinet: mouetque corpus contrario modo, quam dum ad proſecutionem boni deſiderati hoc inſtigat: retrahendo ſcilicet ſpiritus, ac muſculos comprimendo. Et ita fit *fuga.*

Dum verò id mali præſens eſt, tunc aggrauatur triſtitia, quæ ſupra motum odij quendam exceſſum moleſtiæ addit ob actualem antipathetici mali oppoſitionem, & violentiam. Tali effectui nomen *triſtitia* aſcribitur; quatenus opponitur gaudio. Hæc verò etiam ab iraſcibili commouetur: quia cor propter triſtitiam, quodammodo premitur, & contrahitur. Porro ad triſtitiam reuocantur *inuidia*, *miſericordia*, *pœnitudo, &c.* Sed videamus modo ipſas iraſcibilis paſſiones: ſi tamen priùs

ſuppoſuerimus, hunc appetitum vltra ſimplicem inclinationem addere quandam magnanimitatem, qua animal ſeſe mouet ac ſtimulat ad ſuperanda mala, quæ ſui melioris boni aſſecutionem, vel poſſeſſionem impediunt.

Eæ autem paſſiones quinque ſunt: *Spes, deſperatio, timor, audacia, ira.* Spes ex opinione boni euenturi oritur: dum ob id animal erigitur ad illud continuo exoptandum, ſeque diſponit ad euincenda impedimenta illius. Ab audacia, & cordis laxatione adiuuatur, quòd maiorem rei expectatæ firmitatem efficiat: quæ cùm in timidis, & frigidis eſſe nequeat; hi vel ſperando magis vacillant; aut ſperant nihil.

Deſperatio ex opinione boni non aſſequēdi naſcitur, fitque ex cauſis contrariis, quam ſpes, quia vt feruor ſpirituum, ſpei; ſic eorumdem refrigeratio, deſperationi occaſionem præbent.

Timor ex opinione mali euenturi oritur, cùm inde ob frigiditatem cor nimis conſtringitur. Ad hunc reuocantur *erubeſcentia, verecundia, terror:* Sunt enim timores quidam. Erubeſcentia eſt timor de conuicij expectatione; verecundia, de turpitudine rei factæ; horror de malo euentu.

Audacia ex opinione boni potiundi cum fiducia proficiſcitur: cùm ob fiduciam, & certam æſtimationem de bono aſſequendo ſpiritus cordis intenduntur, ipſumque dilatatur: perinde ac ſi hoſtem imbecilliorem aggredi vellet: ita enim tunc ſeſe animal commouet, incitatque ad ſuperanda propoſita impedimenta: Ideo ex maiore cordis feruore oritur. Cor tunc palpitat, quia magna ſanguinis vis eò confluit, & calor cordis exardeſcit. Atque hinc fit, vt qui palleſcunt irati, fortiores iudicentur iis, qui rubent iraſcendo, quia in illis maior ſanguinis copia ex omnibus artubus vi cordis attrahitur. In his verò contrà, cor languidius eſt, quam vt poſſit ita ſanguinem in ſeſe allicere.

Ira denique perturbatio eſt ex cupiditate vlciſcendi proueniens: per hanc animal omnes ſuas vires commouet ad repellendam iniuriam. Ideoque in primis fellis humorem, ſiue bilem excitat: cuius vapor cor ſollicitans inflammat ſanguinem, ac ſpiritus: vnde ira ſolet à quibuſdam definiri *ſanguinis feruor in corde ex euaporatione fellis obortus*. Ob exceſſum æſtus eiuſmodi totum corpus contremiſcit, actiones naturales impediuntur: vapores è corde in cerebrum attolluntur.

Iræ tres ſpecies ſunt, *fellea, biliosa, furor.* Prima diuturnior eſt ob maiorem corporeæ concretionis caliditatem. Secunda, initio ardens eſt, & turbida, mitigabilis poſtea. Tertia, vindictæ inſatiabiliter appetens. Iræ triſtitia communiter ineſt de offenſione.

Ex his omnibus apparet omnes hos affectus præciſè non poſſe diſtingui ex motibus, qui cientur in corpore, cum exceptis lætitiæ & triſtitiæ motibus, cæteri vel ex his mixti ſint, vel quandam ſolùm intenſionem, vel remiſſionem adiungant: quamobrem ad diſtinctionem eorum aſſerendam oportet differentias illas boni, & mali, ſub quibus appre-

hendantur, attendere, vt supra diximus.

Secundo, Apparet rectè dictum à Platone, quod voluptas & dolor sint fontes omnium perturbationum: quia omnes pendent ex præfatis duobus motibus.

Tertio, Constat huiusmodi passiones multò distinctiùs vigere in homine, quam in brutis, saltem quoad eas, quæ procedunt ex opinione boni, vel mali futuri, aut absentis, quia hominis cogitatiua multò perfectiùs futura & absentia prospicit, quam brutorum æstimatiua.

Quarto denique constat quænam sint causæ passionum. Efficiens enim est anima: nam sine illius impulsu commoueri corpus non potest tot, tamque diuersis motionibus, vt patet in cadauere. Quamobrem ridiculi videntur ij, qui per solum affluxum corpusculorum à foris incurrentium in cerebrum, sic volunt impelli spiritus in musculos, ac per eos agitari cætera membra, vt ab appetentibus, irascentibus, voluptate fruentibus, &c. moueri cernimus; perinde ac si animæ virtus nulla intercederet; vt infrà copiosiùs edisseremus.

Finalis causa est bonum salutis, conseruationis, & generationis animalium.

Formalis est ipsa inclinationis determinatio, per talem corporis motionem expressa.

Materialis circa quam, est obiectum bonum aut malum, quod causa quoque motiua dici potest.

Instrumentalis est spiritus, &c.

§. 3.

De vi motiua.

FRVSTRA datus esset animalibus appetitus, nisi simul haberent facultatem sese mouendi etiam localiter ad ea prosequenda, quæ cupiunt, & fugienda, quæ oderunt.

Est ergo ea facultas in anima propria quædam eius vis, gradum animæ necessariò consequens, vt vis vegetandi, sentiendi, & appetendi. Neque alia huius virtutis principia quærenda sunt, quam natura, & excellentia essentiæ, à qua fluit: sicut si ab Epicureis quærerem, vnde proueniat in atomis vis grauitandi, quæ illis inest: aut talis vel talis figura, quid aliud respondebunt, quàm quòd hæc sit illarum natura; & talis proprietas? Idem nos hic dicimus: vim scilicet mouendi sese cum corpore peculiariter à Deo datam esse omni animæ: quemadmodum ab eodem talis concessa est Angelis, vt corpora, quæ non informant agitare, mouere, impellereque valeant.

Huic tamen idonea sunt à Deo suppeditata instrumenta, scilicet nerui, musculi, cum spiritibus animalibus: vt enim rectè Plato, *neruorum,*

carnisque genus effinxit Deus, vt neruis quidem membrana reliqua vincientibus, intensis, remissisque circa cardines ipsos, corpus vniuersum ad flexionem; tensionemque promptum, & agile redderet in Timæo. Nerui sunt ipsi canales, per quos in totum corpus spiritus animalis influit: musculi sunt carnosa quædam substantia, quasi membranaceus follis carne infartus, qui neruos motui seruientes vndique munit, & gubernat. Tales quodlibet membrum plurimos habet. Articuli sunt iuncturæ ossium. Cum enim ad liberum motum partium requiratur, vt ossa non continuentur, debuere ipsa dissepararі, iterumque colligari: quemadmodum in illis imagunculis, quibus circulatores ludos pueriles exhibent, videmus inesse partium flexuras, funiculosque, quibus partes ad motum coaptatæ colligentur: sic in animali ossa discreta copulantur per tendines, qui neruosæ, & quasi semicartilagineæ substantiæ sunt: hi ossa inuicem commissa, & inserta vniunt, ita vt ab vnius ossis capite excrescentes, & alterius ossis latus prætercurrentes, inferiori eiusdem rursum accrescāt. Quò fit, vt ad huius tendinis attractionem, attrahatur sequens illud, vt se inflectat: ideo in medio habent musculos. Iuncturæ ossium vocantur vertebræ: suntque velut cardines motus. Denique his aduenіens spiritus animalis, motum ciet. Quanta enim mouendi vi polleant spiritus, patet ex iis, quæ de terræ motu, & ventis diximus in meteoris: visque illorum augetur ex feruore, copia, & compressione, vt patet ex alibi dictis. Hi ergo dum pro phantasiæ impetu in huius, vel illius musculi ventrem sese effundunt, illum ceu follem distendunt, & oppositum constringunt: vnde sequitur membrorum flexio. Motus autem, quibus solent musculi moueri, sunt agitatio, expansio, contractio, impulsio, continuatio, &c. Quò autem plures sunt musculi, eò facilior, & multiplicatior motus efficitur: quo etiam sunt maiores, eò motus fortior est. Hæc autem omnia indicantur ab Aristot. lib. de motu animal. c. 8. sic: *Quamobrem recta ratione constructa sunt, quæ intrinsecus iacent; & ad initia instrumentalium partium vt cōmutentur, & ex compactis mollia fiant; & ex mollibus compacta, &c. quæ cùm hoc contingant modo, & cùm actiuum & patibile talem habeant naturam, qualem sæpe diximus, cum certè contigerit, vt aliud quidem patibile sit, aliud verò actuosum, neutrique desit aliquid, quod ad eorum proportionem requiratur, confestim aliud quidem agit, aliud verò patitur.*

Quæritur modo, quodnam sit principium impulsiuum & directiuum spirituum in musculos. Sunt enim nonnulli, qui omnem animæ necessitatem volentes extinguere, asserunt sufficere corpuscula, quæ ab externis obiectis impinguntur in quandam cerebri glandem, ex qua per neruos inde procedentes mouent reliquos spiritus in succedentes musculos pro diuersa scilicet ratione, qua cerebrum ab obiectis immutatur. Coguntur tamen vel inuiti (ne fidem videantur deseruisse,) concedere aliquando in nobis à voluntate cieri motus eiusmodi.

CONCLVSIO: Principium primum efficiens, siue efficienter primo impellens, est anima non rationalis modo, sed & sensitiua. Ita omnes,

qui pro heteroclitis cluere noluerunt, & semper. Patet autem ex ipsa notione animæ, qua ipsi est ab omnibus semper vis mouendi se corpusque principaliter attributa. *Secundò*, cur saltem aliquando in recente cadauere, vbi eadem seruantur machinamenta, nec desunt spiritus, iique adhuc calidi, ab obiectis moueri membra non contingeret? *Tertiò*, videmus ab animalibus ad præsentiam eorumdem obiectorum innumerabiles motus edi, & modo quiescere, modo currere; nunc huc: nunc illuc: huic modo blandiri: modo alteri, nec vniusmodi, &c. item dormiendo, & sopitis sensibus variè commouentur: atque alia similiter efficiunt, quæ impossibile est sine peculiari animæ influxu explicari. *Quartò*, vt sensus se habent ad suum principium: ita motus animales ad suum: sed sensus, siue liberè moueantur, vt in homine; siue necessariò, vt in brutis, semper ab iisdem principiis pendent: vti & à similibus organis. Ergo etiam motus animales, siue liberè exerceantur in homine: siue necessario in brutis, ab eodem semper principio pendent: atqui constat (saltem apud omnes verè Catholicos,) spiritus animales neruosque, aut musculos moueri sine appulsu nouarum specierum: itemque sæpiùs cum sensus internus, siue phantasia sic mouentur ab obiectis, vt naturaliter motus prohibitos debuissent excitare, sola vi animæ, voluntate iubente, vel nullos elici tunc motus, vel certè oppositos. Ergo inest animæ quatenus anima est, vis quædam per se mouendi spiritus animales, & neruos. Hinc rectè Aristoteles *omnino inquantum animal appetitiuum est: sic sui ipsius motiuum est.*

Conclusio secunda: Phantasia, siue æstimatiua est principium directiuum huiusmodi motuum. Hoc patet experimento, quia provt bonum, aut malum à nobis apprehenditur diuersi motus excitantur: bene ergo Aristoteles cit. *appetitiuum autem non sine imaginatione*: sed & rectiùs addit: imaginatio autem omnis aut rationalis est, aut sensitiua. Maior sane difficultas est in modo explicando, quo phantasia sic appetitum, seu facultatem motricem dirigit. Aristoteles in l. de anim. motu cap. 7. hæc ait: *cogitata species calidi, aut frigidi, aut suauis, aut formidabilis, quodammodo id existit, qualis vnaquaque est res: & idcirco sola cogitatione perhorrescunt, & expauescunt*; videtur ergo insinuare id quod suprà iam diximus, ab obiecto in phantasiam agente produci physicè in organis potentiæ motricis qualitates consimiles: verùm licet id aliquando contingere posse non diffitear: tamẽ cum oppositum sæpe contingat, arbitror standum esse in eo quod diximus, nimirum dirigi facultatem motricem ab æstimatiua propter sympathiam, & naturalem consensionem virium eiusdem animæ: facultas etenim motrix seruit inclinationi, eiusque velut pedissequa est: ei adiuncta vt ad bonum concupitum pertingere, vel malum declinare queat. Ideo eius exercitium, quo huc vel illuc, tale vel tale membrum actu moueatur, pendet à determinatione inclinationis: hæc autem à phantasia. Et ita hæc directrix inclinationis, vel appetitus merito dicitur; facultas verò motiua, executrix.

CONCLVSIO TERTIA: Hæc virtus mouet corpus mediante spiritu cum debito flexibilitatis instrumento. Hoc patet sensui: neque enim moueri possunt membra paralytica, quia carent spiritibus requisitis: neque possumus flectere cruris tibiam, neque curuare genu antrorsum, quia vertebra sursum deest; neque mouere auriculam, quia musculis caret. Ita de cæteris: & merito, quia non potest anima mouere corpus, nisi quatenus corpus est mobile. Sed quidni mouere potest anima musculos immediatè sine spiritibus, sicut intelligentia mouet cœlum immediatè? Respondet Piccolominæus vim motricem in anima esse potentiam organicam; non verò in Angelo: ideo illam egere medio corporeo; non istam. *Contrà*, sic non soluitur quæstio, sed eluditur. Quæritur enim, cur saltem in homine, vis illa motrix corporis debeat esse organica? Resp. ergo minorem virtutem motricem requirere medium mobilius, & agilius, vt per illud moueat id, quod moueri difficilius potest: virtus autem motrix animæ multò tenuior est virtute intelligentiarum. Aliunde spiritus ex se maximè mobiles sunt, ita vt ad libitum appetitus vim suam executricem applicantis, illi confestim moueantur eo modo, quo appetitus concupierit. Ita proportionare Deus voluit vires animæ cum viribus corporis, vt infimas vires animæ præficeret immediatè subtilissimis & perfectissimis partibus corporis: quales sunt spiritus animales. Imo & iis quoque administris vtuntur Angeli, dum corpora nostra commouere volunt: præsertim, dum affectus nostros prouocare contendunt. Ad id quod de intelligentiis dicebatur. Resp. illarum virtutem esse præstantissimam; aliunde cœlos esse subtilissimos, & summè mobiles naturâ suâ: denique figura motui aptissima, nempe orbiculari præditos, quæ vicem organi competentis, obtinet: vide Aristotelem 2. lib. de cœlo text. 50.

Restat hic vnum, quod maximè aduertendum est, scil. in omni motu locali supponi semper aliquid immobile, vt iam in Physic. cap. 33. §. 5. prænotauimus: & sæpius Aristoteles repetit cùm in lib. de motu animal. tum in 3. de anima tex. 55. id patet inductione: homo non potest sese ex vno loco in alium traiicere, nisi aliqua sui corporis parte incumbat priùs in aliquid immobile: sic auis cùm incipit volare: nauita cum incipit nauem à portu soluere, &c. semper repercussione, vel impactione aliqua in aliquod corpus quiescens promouere sese incipiunt. Et quamquam forte id non sit necessarium ad hoc vt quidpiam ab alio moueatur: (nā cur non posset lapis moueri vel in vacuo ab Angelo?) tamen necessarium id maximè arbitror, quoties siue Angelus, siue anima, siue corporea substantia corpus mouere incipiunt per corporea instrumenta: imo & in progressu motus eiusmodi hoc ipsum reperitur: ideo qui super arenam mobilem ambulant, difficillimè procedunt: aues subtiliori aëre volare non possunt, quia non satis resistit pennis à quibus verberatur, &c. densior verò, qua parte resistit, ea æquiualet immobili.

Quatuor porro sunt res immobiles, super quibus motus animalium fit: duæ sunt externæ, quarum *prima* est obiectum, quod mouet appeti-

tum: hoc enim ſine ſui motu mouet. *Secunda* eſt ſolum, vel locus immobilis, in quo vel circa quod mouetur. Aliæ duæ ſunt internæ, quarum prima eſt cor ſecundum Ariſtotelem; vel cerebrum ſecundum Galenum: eſt enim hoc primum principium immobile, à quo mittuntur ſpiritus, vel mediatè, vel immediatè. *Tertia* eſt iunctura oſſium, ſiue articulus, in quo tanquam in cardine muſculi laxantur, vel abducuntur. Et cùm os vnum circa vel intra aliud voluitur, ſemper vnum quieſcit, dum aliud vertitur.

In hac autem agitatione, os quod ſuſtentat, comprimitur, dum interim aliud pellitur: muſculi tum tenduntur, & retrahuntur, laxantur, denſanturque. Quamobrem omnes hi motus ſunt quodammodo violenti. Ideoque ſi motus diuturnior fuerit, naſcitur fatigatio: quam auget ſpirituum conſumptio.

CAPVT XXV.

DE INTELLECTV POSSIBILI.

§. I.

Quid ſit, & cuius obiecti.

ABSOLVTIS iis, quæ ad ſentientes facultates pertinebant, tandem ad intellectiuas ſurrigimur: & primò quærimus quid ſit, non an ſit: quoniam de illius exiſtentia nemo eſt, qui addubitet: quid autem ſit, & quid ſpeculetur, colligi poteſt ex iis quæ diximus cap. 2. Et clariùs elucidabitur ex iis, quæ ſequentur. Dicitur in primis intellectus *poßibilis*, ſeu *paßibilis*, (ita vocant Scholaſtici, minùs quidem eleganter,) potentia illa ſpiritualis, qua intelligimus verum immateriale: vel materiale modo ſpirituali. Sicque diſtinguitur ab intellectu agente, cuius nomine ſolet intelligi ſuperior quædã facultas, qua fiunt ſpecies illæ intelligibiles, de quibus infrà.

De hoc ergo intellectu quæritur à Philoſophis, an ſit potentia paſſiua: & quo ſenſu. D. Th. 1. p. qu. 79. art. 2. explicans quid ſit pati: ait communiter id illi attribui, quod è potentia exit in actum, atque adeo quidquid perfectionem aliquam non habet ex eſſentia: ſed acquirit. Et ſubdit hoc modo ſolum intellectum diuinum reſpectu omnis veri eſſe ſemper in actu; & nunquam in potentia. Secus intellectum creatum, cum hoc tamen diſcrimine, quòd intellectus Angelicus, ſit in potentia, ſed ſemper actuata reſpectu ſuorum intelligibilium propter propinquitatem ad intellectum primum, qui eſt actus purus: eo modo, quo cœlum conſtat materia; ſed ſemper actuata. Intellectus verò humanus ſit in potentia, quæ paulatim & ſucceſſiuè in actum redigatur.

Quæritur

Quæritur tamen inter Thomistas, quomodo & in ordine ad quid intellectus patiens dici queat. Multi enim in hoc propositum multa congerunt. Henricus quodl. 4. putauit intellectum nullo modo pati, dum intelligit: quoniam existimauit eum intelligendo producere operationem, quæ solum terminetur ad obiectum, & nullo modo ab eo tanquam è principio pendeat: si quæras an intellectus recipiat species ab obiecto: id cum multis aliis negat: qui consequenter asserunt, eas vel non requiri, vel fluere ab ipsamet anima, vel à Deo immediatè infundi, vt videbimus inferiùs. Quamobrem ita nullo modo ab obiecto è potentia intelligendi reuocatur in actum intellectionis.

Alij volebant intellectum nostrum nequidem intellectionis suæ principium efficiens esse, sed subiectum duntaxat, quod eam ab obiecto, vel à Deo susciperet: sed hoc repugnat naturæ, ac notioni actus vitalis, cuiusmodi est intellectio. Is enim essentialiter exigit à viuente, cuius est actus, exire: Aut certè vitalis actus non erit. Alij aliter sentiunt. *Godofrid. quodl. 5. Iandun. Ægidius.*

Thomistæ plura dicunt. *Primum*, quòd intellectus actiuè in intellectionem suam verè influat: propter ratioňe mox allatam, quæ sic confirmatur: actus secundus vitæ postulat essentialiter prodire à viuente secundum modum, quo viuens est, siue quo distinguitur à non viuente. At ille in eo formaliter positus est, vt viuens à seipso se moueat; non viuens verò moueatur ab extrinseco: ergo actus secundus vitæ siue operatio ipsa vitalis, qua viuens denominatur viuere in actu secundo, ab ipso prodit, quatenus ab intrinseco trahit ita operandi principium. Atqui intellectio est actus vitalis: imo primarius inter omnes actus secundos, &c.

Hinc meritò inferunt etiam visionem beatificam effectiuè ab intellectu beati lumine gloriæ sublevato exeri: & quoniam cauillis philosophicis aliqui propugnare student posse visionem in lapide, intellectionem in trunco diuina virtute collocari, ad hoc Respondent, si posset hoc effici, quod multi iure negant, tunc actus illos vitales non fore, sed mortuas quasdam qualitates, & similitudines impressas, non expressas: ac per illas lapidem, truncumque nec videre, nec viuere: sicut si quis me cogeret mouere pedes eo modo, quo dum ambulo: talem quidem in me motum efficeret; qualis in cadauere fieri posset: sed non propriè censerer ambulare, neque certè propterea viuerem.

Igitur intellectio sic effectiuè prodit ab intellectu, vt in eo quoque recipiatur. Quomodo autē possit idem esse simul agens & patiens, haud difficulter intelligetur, si ponderaueris aliunde procedere vim agendi; aliunde vim patiendi: illam ex eo quòd in actu ponitur per speciem, aut per irradiationem: hanc verò ex eo quòd ex se solo in pura potentia intelligendi est.

Secundum, quod Thomistæ dicunt est, quòd intellectus ab obiecto moueatur recipiendo nimirum species, vel determinationem, qua ipse hanc potiùs, quam illam similitudinem vitalem exprimat, quæ dicitur intellectio. Existimant enim cum D. Thoma species intellectiles dari,

easque neque innatas esse; neque à Deo immediatè infundi, sed mediante phantasmate ab obiecto in intellectum corriuari operâ intellectus agentis, vti dicemus postea: atque ita in suscipiendis speciebus, atque influxibus obiectorum passiuum intellectum constitui.

Quoad obiectum verò. Notandum est *quòd obiectum intellectus est commune quoddam scilicet ens & verum, sub quo comprehenditur etiam ipse actus intelligendi,* vt ait S.Th. 1. p.q. 87. a.3. ad 1. tamen in q. 84. probat ipse obiectum proprium intellectus nostri esse solam quidditatem materialem. Quocirca Thomistæ distinguunt duplex obiectum, vnum *motiuum*, & alterum *terminatiuum*. Illud esse volunt quod habet vim excitandi, ac mouendi intellectum: istud verò id quod præcisè secundum se dicitur intelligi, siue id ad quod virtus intelligendi extenditur, v.g. cùm volo concipere Deum, priùs effectus diuinitatis, vel imagines analogas eius in rebus corporeis effulgentes meditor: inde ad quidpiam omni ente corporeo sublimius intelligentiam extendo, quod primum meditatus sum, *motiuum*; quod deinceps, *terminatiuum*; illud ergo volunt esse quidditatem materialem. Istud verò non semper: sed iterum hoc diuidunt in obiectum adæquatum, siue specificans; & in obiectum proportionatum intellectui nostro, quandiu hic in terris vnitus corpori manet: illud esse ens vt verum: quia omne ens intelligibile est: & omne intelligibile est ens: ergo conuertuntur. Ratio autem formalis, qua ens spectatur ab intellectu, & fit intelligibile, est ratio veri: sicut ratio cur appetibile sit, est ratio boni: siquidem notione veri exprimitur relatio entis ad intellectum: vt notione boni, eiusdem relatio ad appetitum: quo fit, vt ipsum etiam ens rationis, priuationes, &c. necessariò cognosci debeant per aliquod ens reale, ac verum.

Obiectum verò proportionatum volunt esse quidditatem materialem: vnicum fundamentum est id quod ex Aristotele desumitur: quòd scilicet omnis cognitio nostra intellectiua ortum ducat à sensu, & à rebus materialibus, & singularibus, vti ostendimus in Logica: vnde sic argumentantur ex D Th. super Boëtium de Trin. q. 1. a. 3. illud est obiectum proprium, & connaturale intellectui nostro, quod fit intelligibile in actu per operationem intellectus agentis abstrahentis speciem ex phantasmate: atqui sola quidditas rei materialis est huiusmodi: vt ex sententia S.Thomæ ostendemus infrà: volunt itaque omnem cognitionem intellectus nostri terminari, vel ad res materiales, vel ad immateriales mediantibus materialibus. Inde D.Th. 1. p. q.87. docet animam non cognoscere seipsam, neque suos habitus, neque actus voluntatis immediatè, per se, ac primo; sed solum *secundum quod hæc fiunt actu per species à sensibilibus abstractas per lumen intellectus agentis.* Idemque docet q. seq. de Angelis ac de Deo: quòd scilicet hi à nobis modo cognosci non possint, nisi quatenus fiunt intelligibiles actu per species à sensilibus abstractas. Ista est doctrina sancti Thomæ, quam qui fusiùs disputatam legere voluerit, adeat Bannez in 1. *p.q.* 84. *& seq.* Complutenses *de anima disp.* 17. qui addunt obiectum proportionatum intellectus humani

separati à corpore esse quidditatem rerum spiritualium, quæ sunt eiusdem immaterialitatis cum ipsamet anima rationali: cuiusmodi esse volunt reliquas omnes animas separatas: non verò Angelos. Idque ex D. Thomas desumunt 1. p. qu. 89. art. 2. Hæc sane doctrina multùm est probabilis, quia plurimùm congruit experimentis: quibus constat nos modo vix quidquam posse contemplari, quin id priùs aliquo sensu menti nunciatum fuerit; vel ex iis, quæ nunciata fuerunt, ratiocinando concludatur. Aliunde nulla potentia potest ferri in obiectum ordinis superioris, quam ipsa sit: aut seipsa immaterialius; nisi per aliquid sibi propinquius propriæ suæ concretioni quasi condescendat, ac contemperetur, vt patet in omnibus sensibus.

Dices, obiectum proportionatum idem est ac obiectum adæquatum: quia omnis potentia debet esse proportionata obiecto: ergo & contrà. Resp. negari posse Antec. vt patet in oculo noctuæ cuius specificatiuum est lumen vt sic: proportionatum verò lumen multis tenebris immixtum: proportionatur ergo potentia obiecto variè secundum varios status: sicut aliter vis gustatiua ægroti proportionatur vino; aliter sani. Ita & contrà, aliter & aliter ipsi proportionatur vinum: sic de intellectu dissere.

Instabis, si quidditas materialis sit obiectum proportionatum: ergo, quo magis materialis fuerit, eò à nobis magis intelligibilis erit: ergo similiter quidditas illa singularis erit magis intelligibilis, quam vniuersalis: hæc autem omnia sunt contra D. Thomam. Respondent Thomistæ negando consequentiam, sicut non sequitur, si lumen obscurum est obiectum proportionatum noctuæ, ergo quò id obscurius fuerit, eò magis videri potest. Debet igitur seruari proportio in quodam gradu materialitatis, qui maximè congruat potentiæ intelligenti. Hæc autem in hoc sic existit dependenter à corpore, vt tamen secundùm essentiam ab eo sit independens: sic obiectum exigit, quòd in existendo pendeat quidem à materia: quoad essentiam verò quodammodo ab ea præscindatur: talis autem est quidditas vniuersalis. Hæc enim & abstracta est, vt vniuersalis; & à materia nihilominus pendet, vt existens.

Instabis, nulla potentia ferri potest vltra obiectum proportionatum pro statu in quo est: sed modo intellectus noster fertur vltra quidditatem materialem, dum scilicet rationes merè spirituales in sese versat, ac meditatur. Resp. sic modo intellectum ferri vltra huiusmodi quidditatem, sicut sensus fertur vltra sensibile proprium, dum commune percipit. Itaque potest intellectus ferri vltra obiectum proportionatum per modum sequelæ, vel illationis, aut per quandam actus extensionem; non verò per modum actus directi, & immediati, aut perse primò ab intellectu eliciti. Hæc modo sufficiant: donec inferiùs ista ex Platonicis copiosiùs discutiantur.

§. 2.

De speciebus intelligibilibus secundum Peripateticos.

INFERIVS Platonicorum fontes aperiemus. Interim decuit Peripateticorum, ac præsertim Thomistarum sententias exponere.

Communior ergo inter Peripateticos opinio est, dari species intelligibiles. Solet id ex 3. de anima t. 3. 6. & 38. erui; vbi intellectum vocat *susceptiuum, locum, speciemque specierum.* Legendusque est D. Thomas ibidem.

Rationes verò alias alij referunt. Iandunus q. 17. l. 3. de anima vult speciem intellectilem esse apparatum quendam in ipsa mente ad actum intelligendi excipiendum; atque ideo esse principium patibile, siue dispositionem, qua mens præparetur ad suscipiendam intelligentiam.

Alij censent à specie intellectum solum determinari ad hoc, aut illud intelligendum; sicut materies aliunde recipiendis formis idonea in genere, debet nihilominus particulatim disponi, vt hanc potiùs, quam illam formam excipiat.

Scotus & alij duas rationes adhibent, alteram vt obiectum per vicariam sui similitudinem ponatur in conspectu mentis, eique coniungatur: alteram vt obiectum repræsentetur à materia indiuiduali abstersum, ac denudatum.

D. Thomas & Zimara huiusmodi species inducunt, vt sint actus primi, ac rationes formales agendi: ita vt quemadmodum calor in aqua est principium formale constituens illam in ratione principij ad calefaciendum: ita species eiusmodi addita intellectui, eum formaliter constituat in actu primo proximè valentem edere intellectionem. *Confirmatur,* quia sicut pater non potest concipere filium sibi similem, nisi virtute formæ, secundum quam ipse fit illi similis: sic intellectus non potest concipere aliquam intellectionem, seu verbum internum, nisi aliqua forma obiecti, cui verbum illud fit simile, imbuatur, eius virtute fœcundus euadat. Sed omnium potissima ratio potest in hanc formam redigi: obiectum mouet potentiā ad cognoscendum: ergo vel illi debet immediatè per se applicari; vel repræsentari per aliud: sæpe autem obiectum abest: vt quando concipio naturam leonis, aut plantæ, &c. ergo repræsentari debet per aliud, per quid autem, nisi per speciem? an verò phantasma sufficiet? at cum hoc singulare sit, & singularis corporis repræsentatiuum, quomodo repræsentare posset vniuersale, idque incorporeum? an intellectus? at si sufficit ipse, cur non semper ipse intelligit? His rationibus persuasi Thomistæ, nec non alij quam plurimi Philosophi admittunt species intellectiles, & immateriales in intellectu, quæ sint qualitates intentionales, ac similitudines formales obiectorum quemadmodum diximus suprà de speciebus sensilibus.

Præcipua autē difficultas, quę aduersus illa solet fieri, petitur ex parte principij, à quo ipsæ species fiunt, quod vocatur intellectus agens: sed de hoc infrà.

Hinc multæ mouentur quęstiones, quoad eiusmodi species. PRIMA est, quomodo ipsæ repræsentent obiecta formaliter, an solum efficienter & virtualiter? *Toletus. Torrez. Suar. z. Rubio.*

Recentiores communiter hoc secundum affirmant: considerant ei im speciem sicut semen, vel habitum, quibus sola competit vis simile producendi; non formalis repręsentatio: tum hoc probant; quia eo intellectus sit actu intelligens: quo fit actu similis obiecto: ipsumque actu repræsentat: posita autem formali similitudine, vel repræsentatione, ipse fit actu similis, &c. Ergo posita semel specie per eam præcisè intellectus fieret intelligens in actu secundo, quod est falsum, quia per speciem solum ponitur in actu primo.

Thomistæ verò contra contendunt species esse similitudines formales, ita vt formaliter obiectum repræsentent: volunt enim id quod est *repræsentare* obiectum esse illis propriam naturam: idq; illis ita cõpetere, sicut luci competit ipsum *lucere*: tam ergo species formaliter repręsentat, quam lux formaliter lucet: eatenus autem illis per se hoc modo repræsentandi actus conuenit, quatenus sunt similitudines intentionales, siue rationes formales obiectorum sub esse accidentis contentæ, cõstituentes formale principium assimilationis in intellectu: in quo verè cum semine merentur comparari: quia in semine continetur ipsa formalis ratio fructus; licet sub esse corporis ignobilioris. Ita, &c. Speciei autem sola receptio non est intellectio: quia duplex distinguitur formalis repræsentatio: vna effectiua, quæ formale principium est similitudinis actualis: altera vitalis, quæ proprie conceptio dicitur, estque actus à priore prodiens: illa impressa; hæc expressa similitudo dicitur. Denique illa comparatur cùm ratione formali prolis gignendæ, quæ inest semini: hæc cum prole ipsa. Ita vides non sufficere primam, vt intellectus sit intelligens in actu secundo, sicut ratio seminalis sola non sufficeret, vt genitor prolem ha[b]eat. Sed requiritur præterea ipsa conceptio: quamobrem per primam intellectus solum in potentia proxima est res intelligibilis: per secundam ea fit actu.

SECVNDA QVÆSTIO est, an species intentionales sint eiusdem naturæ cum obiectis in esse intentionali: atque adeo vtrum secundum illud facultas cognoscendi per identitatem fiat res cognita. Partem negantem multi amplectuntur: quibus videtur accedere S. Thomas q 8. de verit. a. 11. ad 3. *Constat*, inquit, *quòd species lapidis, in anima est longè alterius naturæ à lapide in materia*: fundamentum præcipuum huius sententiæ est: *primo*, quod species illæ sint accidentia; obiecta verò sæpe substantiæ: *secundo*, quòd obiectorum rationes sæpe sint contrariæ, nec non repugnantes, quæ nequeant simul in eodem sese compati: secus species: *tertio*, quòd species non percipiantur: secus obiecta, &c. *Tolet. q 34. Rub. de spec. Fonsec. 2. met Molin. 1. p. q 12. Vasq. ibid.*

Nihilominus Thomistæ partem affirmantem amplectuntur: vt illud D. Thomæ explicent quodl. 8. a. 4. *Species intelligibilis est similitudo ipsius essentiæ rei, & est quodammodo ipsa quidditas, & natura rei, secundum esse intelligibile: non secundum esse reale, prout est in rebus.* Id quod sæpe *1. p. q. 12 a. 2. q 14. a. 1. 2. cont gent. 49. 2. de anim. 7 de ver. &c.*

alias habet. His tamen verbis nihil aliud videtur velle Sanctus ille Doctor, nisi quod per speciem eadem res, quæ in natura existit, repræsentetur, v.g. cum video solem: species solis quam oculis hausi, est sol secundum esse visibile, id est, repræsentans solem ipsum. Hinc Salmanticenses prolixissimas disceptationes extrahunt, quæ rebus Theologicis alioquin sat arduis, magnam obscuritatem affundunt.

Vt tamen Thomistatum opinio explicetur, ac probabilior appareat. Notandum est naturas rerum posse sub esse multiplici existere, vt iam aliquoties diximus. Aliter enim sunt in diuinis ideis; aliter in imaginibus corporeis; aliter in propriis suppositis, &c. In propriis suppositis habent esse naturale; in cæteris verò habent esse repræsentatiuum, quia insunt rebus, quæ naturâ suâ sunt earum repræsentatiuæ. Quoniam autem quidditas rei cuiuslibet secundum se vna est: multiplicari quidem subiectis potest: secundum se verò non potest: sed eadem omnino est, quæ participatur à pluribus: participabilis autem est non solum à diuersis; sed etiam diuersimodè, secundum quod res à quibus participatur variè ad illam se habent. Ideo quæ illam participant vt eius supposita, eam sub esse naturali possident; quæ vt signa, sub esse intentionali, vel intelligibili: quæ vt conceptus vitales, & insubsistentes: sub esse vitali, & intellectiuo, &c. Ita natura rei cognitæ secundum esse illud intentionale, vel cognitum dici potest eadem, ac illa, quæ aliud habet esse naturale: & hoc volunt Thomistæ, qui addunt res propriè dici substantias, vel accidentia, itemque exercere contrarietates, & repugnantias; Et quęcumque sunt eiusmodi. Secundum esse reale, quod participant in propriis suppositis, aut subiectis: non verò secundum esse intentionale, quod habent in signis aut conceptibus; quemadmodum neque in ideis. Nam quemadmodum non repugnat quidditates accidentium contineri sub esse substantiali diuinæ ideæ: nec quidditatem substantialem domus sub esse accedentali ideæ architecti: ita neque quidditates reliquas sub esse intentionali specierum.

TERTIA QVÆTIO, Quid immediatè repræsentent species intelligibiles, singularia, an vniuersalia? Respondent Thomistæ, duo esse genera specierum intellectilium: alias enim esse primarias, alias secundarias: illas primò immediatè ab intellectu ad præsentiam phantasmatis exprimi; has verò post aliquam intellectionem ex prioribus speciebus editam, rursus ab eodem intellectu formari. Tum subdunt primarias species per se ac directè solùm repræsentare quidditatem materialem, vt vniuersalem, seu vt abstractam à conditionibus indiuiduantibus: secundarias verò posse repræsentare indiuidua.

Primum desumunt ex Arist. qui 1. Phys. t. 20. ait *intellectum esse vniuersalium; sensum verò, singularium*. Et 3. de anima t. 11, saltem vt exponitur à S. Th. ibid. lect. 8. docet intellectum solam quidditatem carnis secundum se directè cognoscere; carnem verò hanc & in singulari reflexè. Atque hinc S. Thomas, Aristoteli quoad potuit addictissimus, eandem doctrinam perpetuò docuit, præsertim 1. p. q. 85. a. 1. *Proprium*,

inquit, *intellectus nostri est cognoscere formam in materia existentem; non tamen prout est in tali materia. Cognoscere verò quod est in materia indiuiduali, non prout est in tali materia, est abstrahere formam à materia indiuiduali. quam repræsentant phantasmata. Et ideò necesse est dicere, quod intellectus noster intelligit materialia, abstrahendo à phantasmatibus: & per materialia sic considerata in immaterialium aliqualem cognitionem deuenimus: sicut è contrà Angeli, per immaterialia materialia cognoscunt.* Hinc ad 3. subdit: *virtute intellectus agentis resultat quadam similitudo in intellectu possibili ex conuersione intellectus agentis super phantasmata: quæ quidem est repræsentatiua eorum, quorum sunt phantasmata, solum quantum ad naturam speciei: & per hunc modum dicitur abstrahi species intelligibilis à phantasmatibus.* Consequenter ergo q. 86. a. 1. concludit, quod *intellectus noster directè non est cognoscitiuus nisi vniuersalium. Indirectè autem & quasi per quandam reflectionem potest cognoscere singulare.*

Ratio ergo hinc eiusmodi formatur: species quæ repręsentat obiectum primarium, & per se primò proportionatũ intellectui nostro, repræsentat solum directè, ac per se quidditatem materialem vniuersalem. Sed prima species quam intellectus primo abstrahit à phantasmate, talis est. Ergo. Ma. patet ex iis quæ §. pręced diximus de obiecto proportionato intellectus: Mi. probatur sic: species quę fit ab intellectu per virtutem abstractiuam, quæ directè, & per se primò ipsi proportionata est, solum debet repręsentare quidditatem abstractam à materia indiuiduali. Sed prima species quę fit ab intellectu per huiusmodi virtutem fit. Ergo. Ma. explicatur. Intellectus habet vim abstractiuam, quæ ipsi connaturalis est, ac propria; & qua differt à phantasia: eaque superior est, atqui ea necessariò talis debet admitti, vt verè abstrahat speciem intelligibilem, ad intelligẽdum obiectum suum adæquatum, quod est quidditas materialis à materia indiuiduali abstracta. Ergo vel neganda est virtus intellectus agentis, vel necessariò ea per se primò proportionari debet virtuti naturali, & adæquatæ intellectus possibilis. Ergo primò, ac directè debet species cudere, quę obiectum eius proprium per se repræsentent.

Confirmatur, quia phantasma exhibet illam quidditatem, cum conditionibus indiuiduantibus: vt autem exhibet quidditatem, proportionatur intellectui; vt verò conditiones indiuiduantes, sensui. Ergo concurrere debet cum intellectu solùm ratione primi. Hęc est itaque principalis ratio Thomistarum, quę quidem, si agentem intellectum admiseris, videtur efficacissima. Nam reuera primariũ eius, ac directum officium esse debebit, vt à phantasmate primo, & directè seligat id quod pertinet ad adęquatum, & proprium obiectum intellectus possibilis.

His tamen sese opponunt Scotus, & Nominales cũ alijs recẽtioribus, eo quod à phantasmate nequeat elici, nisi quod in eo est: At inest solum ratio naturæ singularis. *Item*, Angeli habent species intelligibiles singularium, cur non intellectus humanus? *tertio*, cognitio vniuersalium pendet à cognitione singularium. Ergo priùs debent singularia cognosci, quam vniuersalia. *Denique*, si non darentur species, quę directè sin-

gularia repræsentarent, ea non possent clarè ac distinctè cognosci: quia eatenus tantum cognoscerentur, quatenus repræsentarentur in communi: at hoc solum est cognosci confusè. Alia multa eiusdem ponderis in Thomistas, seu veriùs in Aristotelem vibrantur argumenta. Quibus tamen vt facilius respondeant,

Species secundarias, quæ directè ac distinctè indiuidua repræsentent, admittunt hoc modo: per species primarias intellectus vniuersale cognoscit: inde per illationem ratiocinandi extenditur ad singularia: quorum vtique format conceptum distinctum, & proprium; ex quo deinceps species conficit, quæ eadem singularia per se, ac directè represententent. Ita non negant posse dari speciem intellectilem singularium: tales admittunt non modo in Angelis; sed etiam in nobis. Illisque sufficit, quòd non primùm ab intellectu abstrahantur.

Quamobrem ad primum argumētum respondent in phantasmate sub esse repræsentatiuo cōtineri naturam vt contractam: sed virtute luminis intellectiui ex tali repræsentatione erui speciem sibi connaturalem, qua eadem natura repræsentetur, vt non contracta. *Ad secundum* responsum est, quamquam est adhuc disparitas, quia in Angelis species à Deo: in nobis verò, ab intellectu agente procreantur. Deus autem illas omnibus modis dare potest: intellectus verò agens modo sibi connaturali:

Ad tertium respondent sufficere, si cognitio quidditatis præcisè sumptæ supponat cognitionem sensuum: deinde duplex est vniuersale, fundamentale, & formale: illud naturæ secundum se competit; istud prætereà denotat ordinem conuenientiæ, quem habet ad singularia, quatenus reuera multis illa conuenit: ad cognitionem primi præsupponitur cognitio sensus: ad cognitionem secundi requiritur vlterius cognitio multorum singularium, siue reflexa, siue directa; haud refert. *Ad quartum*, patet ex dictis.

Hinc Thomistæ inferunt primum cognitum intellectus esse vniuersale: in quo etiam impugnantur à recentioribus: verum istud clariùs, atque ni fallor, efficaciùs comprobabitur ex doctrina Platonicorum, de qua infrà. Interim sufficiat id posse manifestè confici ex iis, quæ dicta sunt. Addere tamen possumus, quod licet primum, quod sub aspectum mentis cadit, esset singulare corporeum: non tamen propterea id propriè dici oportere primum cognitum intellectus, vt intellectus est: Etenim tres gradus in eo sunt; vnus, quo Angelis affinis est; alter quo sensibus: tertius, qui animæ rationali proprius est. Primo, aptus est sinceras rerum rationes intueri: secundo, res externas & sensibiles: tertio, vniuersas naturas, & abstractas: quando ergo sensibilia cognoscit, ea solum infimo suo gradu attingit, & nondum vt intellectus: quin etiam necessitatem nullam video, cur hæc sensibilia cognosci debeant per intellectū: sufficiunt enim sensus: & abunde anima per phantasiam illa inuicem cōparat, vt quò desinit phantasia, inde incipiat prima operatio intellectus, qua vniuersalis physici, & confusi notitia generetur: Ita verissimum erit primum cognitum intellectus propriè esse vniuersale hoc confusum

sum

sum, & physicum. Cætera patebunt ex infrà dicendis.

§. 3.

Sententia eorum, qui negant species intelligibiles.

QVAMQVAM defendi queat opinio mox explicata, tamen probabilior mihi semper ea visa est opinio, quæ species illas negat saltem quales solent communiter Philosophi admittere: ex ipsis nimirum phantasmatis abstractas. Alioquin per modum idealium illustrationum lubentissimè illas amplectemur: de quibus loquemur aliàs. Graues quoque authores nobis patrocinantur: aliunde à grauissimis difficultatibus liberamur: superflua reiicimus, & omnia conuenientiùs explicamus.

Quoad authoritates, possem omnes Platonicos in huius patrocinium adsciscere. Sed eorum omnium instar vnius mihi sufficiet August. qui 10. de Trinit. c. 5. ait *illas animæ partes, quæ corporum similitudinibus informantur, etiam cum bestiis nos communes habere sentimus.* Idem profectò ex omnibus fere ipsius libris colligi potest, vbique enim supponit, aut probat nobis irradiare desuper lumen æternæ veritatis, in quo rationes rerum abunde conspiciendæ exhibeantur, vti constat ex his quæ diximus in Logica. Quamobrem has rationes incommutabiles ex ideis diuinis irradiantes aliquando vocat species intelligibiles, vt quãdo l. 11. de Ciuit. Dei c. 27. ait, *habemus enim alium interioris hominis sensum isto longè præstantiorem, quo iusta & iniusta sentimus: iusta per intelligibilem speciem: iniusta per eius priuationem.* Similiter alibi affirmat à Deo in animum nostrum emicare intelligibilem speciem, &c.

Ex Peripateticis hoc idem tenuere *Themistius, Auempace Ep. de luce, Theophr. Priscian. Lydus, Zabarella, Piccolomin. Gianninius, ex Theologis Baco 1. sent. q. 2. prol. Durand. Gabriel, Ocham, &c.*

Rationes multæ possent adduci: sed præcipuæ sunt istæ, quòd nimirum difficillimè possit ostendi, atque explicari, à quo ipsæ fiant: Nam supponendum est speciẽ esse per se repræsentatiuam proprij sui, ac formalis, necnon & specificatiui principij: v. g. species albi habet ipsum album pro principio formali, à quo exit, & à quo determinatam, & specificam rationem repræsentandi hoc potiùs, quàm aliud accepit; ita de cæteris. Quamobrem videndum est quodnam possit esse principium formale, ac specificatiuum speciei intelligibilis. Illud nequit esse, nisi vel Deus, vel intellectus, vel phantasma: non phantasma, quia hoc materiale est, ac singulare, & essentialiter accidentis singularis & corporei repræsentatiuum. Ergo non potest esse principium formale, & specificatiuum speciei immaterialis, rationem substantialem incorpoream, & vniuersalem repræsentantis: quod enim est principium eiusmodi, debet ea forma esse præditum, quæ sit origo, mensura & exemplar primitiuum rationis participatæ ab illa specie, quia omne huiusmodi princi-

pium formale, ac specificatiuum semper tale est respectu sui effectus. At impossibile est, vt phantasma rei singularis, accidentariæ, & corporeæ sit origo, mensura & exemplar speciei, quæ participat rationem omnino illi oppositam, nempe quæ sit per se repræsentatrix quidditatis substantialis, incorporeæ, & vniuersalis. *Confirmatur*, quia eatenus species dicitur repræsentatrix alicuius, quatenus eius rationem participat sub esse intentionali; sed species intelligibilis non participat rationem phantasmatis; vtpote sibi oppositam. Ergo. Neque est quod hic ad cõcursum instrumentalem recurratur, quia non est quæstio de principio instrumentali: sed de principio formali & specificatiuo. Præterea, si phantasma sit instrumentum intellectus: species deberet potiùs assimilari intellectui, quam phantasmati, sicut pictura potiùs repræsentat ideam artis, quam formã penicilli. *Si dixeris* phantasma esse agens subordinatum intellectui. *Contrà*, effectus assimilatur causæ propinquiori, vt homo homini, non Soli.

Quòd verò id non sit intellectus etiam probatur, quia principium eiusmodi debet continere sub esse reali, ac naturali rationem formalem rei per speciem repręsentandę: atqui secundũ Peripateticos mens nostra non continet rationes rerum per species intelligendarum. Ergo, &c. Ma. patet, quia omne principium formale sic continet rationem rei in effectu suo, ac per ipsum exprimendæ: tum quia non ob aliud requiritur species impressa, nisi vt per eam constituatur principium formale conceptionis: atque adeo intellectus impleatur forma, quæ mensura sit, & exemplar imaginis exprimendæ.

Confirmatur, si intellectus sine forma, vel sine ratione formali ipsius per se honestatis, v.g. vel animalis, vel lapidis, &c. possit vt causa principalis speciem impressam honestatis, vel animalis educere, cur sine specie impressa non poterit producere actum intellectionis, vel speciem expressam? Quòd si supponas in intellectu rationes rerum omnium intelligendarum, cur cum illis solis non poterit ipse actuales notitias elicere, sicut per illas educeret species intentionales?

Restat ergo discutiendum, an à Deo esse valeant. Certè nihil hic repugnantiæ video, quominus à Deo immitti quædam species à lumine intus animum illustrante distinctæ valeant, vt multi quoque Peripatetici profitentur, & diximus in Logica c.53. Sed neque vllam discerno necessitatem. Quòd enim à Deo queant effici posset inde ostendi, quod in eo sint ideæ, in quibus ipsa rerum omnium ratio intelligibilis verè supersplendet. Ideo potest formulas quasdam siue species, tanquam formale ac specificatiuum principium procreare. At quod nulla sit nenecessitas, patet ex Logica c.45. §.5. & c.53. §.3 Item ideæ diuinę cum lumine intellectuali, vel rationes innatæ possunt sufficere: nam vel cognoscuntur singularia corporea: & ad hoc sufficere possunt phantasmata, vel intelliguntur rationes rerum vniuersales, aut res incorporeæ, & tunc reuera sufficit lumen illud quod signauit Deus super nos: in quo verum omne intelligibiliter lucet, vt dicemus infrà.

Aliæ multæ rationes solent in eandem sententiam congeri: vt quòd species intellectiles, si darentur, per se constituerent intellectum in actu primo proximè ad intelligendum expeditum: vnde sequi actualem notitiam oporteret: sicut posita specie in sensu necesse est sensionē sequi: ergo cum species illæ dicantur iugiter conseruari: neque seruari alibi queant quam in intellectu; certè iugiter intellectus in actum secundum speciebus illis debitum prorumperet: quod tamen est falsum. Item postquam species semel eductæ fuissent, quandiu conseruarentur, posset mēs per illas sine conuersione ad phantasmata speculari. At hoc est contra Arist. 3. de anima t. 30. *quapropter nunquam sine phantasmate intelligit anima.* Denique nulla potest adduci efficax ratio, qua suadeatur necessitas specierum. Ergo hæ non sunt admittendæ. Ant. patet soluendo rationes oppositas.

Præcipuas retulimus initio § secundi. In primis, quoad Aristotelem, *Zabarella, Gianninius, & alij,* cum explicant de ipso actu intelligendi, quem volunt vocari speciem, seu similitudinem, qua intellectus fit actu res ipsa, quæ intelligitur: non fit autem res illa secundum esse reale, quo in proprio supposito existit; sed solum secundum esse ideale quo id repræsentatur in animo: vnde ait in 3. de anima t. 38. *non enim lapis in anima, sed species,* τὸ εἶδος. quod autem id de actu intelligendi dictum sit, patet ex t. 14. vbi ait, quod *potentia quodammodo intellectilis est intellectus, sed actu nullum, antequam intelligat.* Ita is inter intellectum omni specie denudatum, & ipsum actum nihil ponit medium, alioquin difficillimè posset defendi, quin per speciem impressam esset actu, secundum similitudinem & speciem: cùm hæc actu contineret imaginem obiecti:

Ratio Ianduni profectò inanis est, quia quorsum ille apparatus ad suscipiendum actum vitalem?

Æquè futilis est ratio aliorum, qui censent passiuè determinari animum per speciem: cum enim intellectus concurrat actiuè, cur opus illa determinatione passiua? an tale quid in phantasia, sensibusque externis? an in voluntate? nec valet exemplum materiæ primæ: dispositio enim in ea prærequisita peti debet potiùs ex natura formarum, quæ nequeunt esse sine quibusdam accidentibus sibi germanis, ac maximè propriis: tum etiam hæc dispositio facit ad expulsionem formarum antecedentium, quæ cum certo quodam accidentium apparatu cohabitare non possunt. At nihil tale in intellectu accidit.

Prima ratio Scoti, quæ cum secunda D. Thom. coincidit, scilicet, quòd debeat obiectum sisti coram intellectu, eique connecti per speciem, facile soluitur, *primò*, secundum Peripateticos, dicendo sufficienter obiectum exhiberi præsens per phantasma, vt constabit ex iis, quæ modo subiiciemus. *Secundò*, adhuc faciliùs secundum Platonicos asserendo abunde id suppleri per rationes innatas.

Restat ergo vltima ratio, quæ secunda Scoti, & prima S. Thomæ est: quod scilicet intellectus debeat poni in actu primo per formam, cui conceptus assimiletur: non difficile soluitur: *primo* enim secundum Plato-

nicos dici posset animam ipsam per sensus cognoscere sensibilia: per rationes verò innatas incorporea: ac ita non opus esse, vt aliter ea constituant animum in actu primo, quam vel per seipsa, vel per has rationes innatas: quòd si mens etiam cognoscat singularia rerum corporearum, id modo spirituali & mentali fieri dicent, sicut eadem cognoscuntur ab Angelis, & seruata proportione à Deo. Angeli autem corporea spiritaliter cognoscunt non per species inde haustas; sed sola diuinarum idearum, per quas vtique Deus omnia perspecta habet, irradiatione: vnde

Secundo, Responderi potest intellectum nostrum abunde in actu primo respectu cuiuscumque intellectionis constitui per lumen illud, quod fatetur D. Thomas 1. p. q. 84. a. 5. nobis à Deo iugiter irradiari, *esseque nihil aliud, quam participatam quandam similitudinem luminis increati, in quo continentur rationes æternæ.* Cur ergo, *inquies*, non semper actu intelligimus, si quidem ita semper essemus in actu primo? Resp. id regeri posse in authores: si sint species in intellectu: eæ semel acquisitæ, semper deinceps immanent: an non ipsæ constituunt intellectũ in actu primo? cur ergo non semper intelligimus? quidquid responderis, nostrum erit. Dico igitur actum primum vel significare præcisè principium completum, eaque forma & virtute præditum, quibus oportet, vt talis, aut talis actus ab eo possit emanare, & est actus primus formalis: vel secundo significare omnes conditiones requisitas vt hic & nunc agat: estque actus primus causalis: primo modo potest esse actus primus sine effectu: non secundo. Quid ergo requiritur, vt intellectus hoc modo potiùs, quam illud cogitet? Resp. vt ab anima hic & nunc ad hoc, aut ad illud cogitandum applicetur? applicatur autem vel excitata per phantasma: vel cùm ex cogitatione vnius determinatur ad cogitandum aliud: sic ignis ex se in actu primo formali ad igniendum, calefaciendum, addensandum, & rarefaciendum per calorem semper constituitur: non tamen in actu primo causali: quia requiritur applicatio. Et si facem applices prismati crystallino, colores in eo multos hæc pariet, eosque varios, prout sub diuerso situ prisma illud ad facem obuertetur: & tamen fax ipsa per lucem in actu primo formali constituitur ad pariendas omnes has colorum apparitiones. Sic mens nostra per lumen diuini vultus signatum super se, constituitur in actu primo formali ad cognoscenda omnia, quæ rationibus æternis correspondent: sed debet nihilominus applicari, aut excitari: at quomodo excitabitur animus à sensibilibus, nisi habeat species spiritales, per quas sensibilia norit? Resp. ad hoc sensum sufficere: nam verè per hunc anima sentit corporea: ea autem sic sentiens ob sympathiam determinatur ad eliciendum actum intellectualem circa hæc; aut circa aliud inde connexum.

Tertio, sic potest responderi: tria sunt obiectorum genera, quæ possunt modo in nobis cognosci: *primum*, res sensibiles externæ: *secundum*, sincera rerum quidditas: *tertium*, vniuersale confusum & physicum. *Primi*, notitia gigni potest in mente, virtute animæ per sensio-

nem, & imaginationem determinatæ: quidni enim anima in præstantia suæ naturæ hanc perfectionem virtualem habeat, vnde possit notitiam rei tantò inferioris gignere? *secundi* notitia fit à rationibus æternis, vt tam sæpe dictum est: *tertium* denique potest mens colligere ratiocinando ex multis singularibus corporeis apprehensis, inuicemque collatis. Neque ad hoc requiruntur nouæ species; sed sola sagacitas naturalis, visque ipsa differendi.

CAPVT XXVI.

DE INTELLECTV AGENTE.

§. I.

Peripateticorum, ac præsertim Thomistarum opiniones recensentur.

DIximvs quid sit intellectus passiuus, siue possibilis, paucis expediamus quæstiones de intellectu agente. Est autem is virtus intellectiua, cuius efficacitate fit in intellectu possibili, vel actus intelligendi, vel species intelligibilis, vel vtrumque.

Eum dari sic ex Arist. 3. de anima t. 17. D. Thomas ibidem lect. 10. probat: *Quia in omni natura, qua est quandoque in potentia, & quandoque in actu, oportet ponere aliquid, quod est sicut materia in vnoquoque genere, quod scilicet est in potentia ad omnia, qua sunt illius generis; & aliud quod est sicut causa agens, & factiuum, quod ita se habet in faciendo omnia sicut ars ad materiam: sed anima secundum partem intellectiuam quandoque est in potentia, quandoque in actu. Necesse est igitur in anima intellectiua esse has differentias, vt scilicet vnus sit intellectus, in quo possint omnia intelligibilia fieri: & hic est intellectus possibilis: & alius intellectus sit ad hoc quod possit omnia intelligibilia facere in actu, qui vocatur intellectus agens.* In 1. p. q. 79. a. 3. idem confirmat his verbis: *forma in materia existentes, quas intelligimus, non sunt intelligibiles actu: nihil autem reducitur de potentia in actum nisi per aliquod ens actu sicut sensus fit in actu per sensibile in actu. Oportet igitur ponere aliquam virtutem ex parte intellectus, qua faciat intelligibilia in actu per abstractionem specierum à conditionibus materialibus: & hac est necessitas ponendi intellectum agentem.* Ex quibus vltimis verbis hoc infero, quòd D. Thomas potissimum inductus fuerit ad huiusmodi agentem intellectum admittendum, quia hoc docuerat Aristoteles 3. de anima t. 17. vbi omni passiuo voluit actiuum respondere, quod ad illud sese habeat vti ars. Ideoque *est*, inquit; *intellectus hic quidem talis, vt fiat omnia; ille verò vt omnia faciat.* Præterea necessitatem huius intellectus agentis in eo præcisè stabilit, quòd debeant abstrahi species

vniuersalium à phantasmatibus, vt ea quæ per hæc obiiciuntur, fiant actu & proximè intelligibilia: quamobrem cum Angeli non debeant ita suas notitias ex sensuum simulacris educere, quippe quibus ab initio Deus species indiderit, ideo his negat intellectum agentem.

Maior adhuc difficultas est, vt explicetur, quid sit, & quænam exerceat officia. Quoad primum, quæritur an sit pars animæ, necne; si primum, vlteriùs disputatur, vtrum sit quid distinctum ab intellectu possibili, an idem. Si secundum, an sit intelligentia creata, an verò Deus. Hinc quatuor opiniones ortum ducunt.

Prima eorum est, qui sensere intellectum agentem solùm dici principium effectiuum intellectionis. Hi consequenter tradunt eum non distingui ab intellectu passiuo, nisi sola ratione, ita vt eadē omnino potentia, quatenus mouetur ab obiecto, & à phantasmate, dicatur patiens; quatenus verò intellectionis actum parit, dicatur agens. Ita *Piccolomin. l. 1. de hum. mente.* & ante ipsum *Nyphus l. 1. de intellig. Maior in 2. dist. 16. &c.*

Secunda sententia eorum est, qui dicunt intellectum agētem esse vim quandam animæ realiter distinctam ab intellectu possibili. Ita *Albert. Mag. Scot. in 1. d. 3. D. Thomas* innumeris locis, & omnes eius discipuli.

Tertia eorum, qui crediderunt infimam quandam intelligentiam nobis singulis vnam in intellectum agentem assignari. Ita quidam Arabes, vt *Auicenna.*

Quarta fuit eorum, qui dixere Deum solum esse, qui munere intellectus agentis fungi queat: quam quidem opinionem explicabimus infrà. Interim quænam ex tribus prioribus verosimilior sit, videamus. Sed priùs decet officia mentis effectricis exponere. Quatuor opiniones principales circunferuntur.

Prima est, quæ vnicum hoc munus agnoscit, vt scilicet actum intelligendi effectiuè parturiat: ita Piccolominæus lib. 1. de humana mente: sed ea inde refellitur, quòd ita sensus omnis, quatenus actum sentiendi promit, debeat sensus agens nuncupari: ita visus agens; auditus agens, &c. quod inusitatum omnino, ac superfluum apud philosophos eluit: vt omittam quòd operationes immanentes ab eodem principio recipi debeant, à quo fiunt: ergo idem intellectus, qui exerit intellectionem, eandem suscipit: neque intelligit, vt alterum ex his duobus duntaxat exercet: si enim solum efficit, & non suscipit actum; ergo eum non habet in se: neque per hunc perficitur, neque ex eo quod potestate erat, fit actu: quæ tamen omnia in eo, qui actu intelligit euenire necesse est. At si suscipit tantum, & nō efficit, quomodo vitalis, ac immanens actio erit? & cùm visus videndo suam eliciat visionem, cur id intelligenti negabitur? ergo intellectus agens idem qui passiuus vocaretur contrà Aristotelem, vt dicetur infrà.

Secunda sententia vult totum officium intellectus agentis esse, vt illustret phantasmata: hæc autem variè solet à diuersis explicari: *Ali-*

qui enim volunt nihil imprimi phantaſmati: ſed ſolùm ex eo quod erat intelligibile poteſtate, fieri actu intelligibile ad ſolam præſentiam intellectus agentis eo modo, quo ad ſolam luminis aſſiſtentiam colores fiunt actu viſibiles: ita intellectus agens nihil aliud, quam lumen quoddam intellectuale dici debebit. Sic ſenſit *Ioan. Bacco. in prol. 2. ſent. Caietan in 1. p. q. 79. &c.* ſed tunc magna oritur diſputandi ſeges: nam ſi phantaſma nihil accipit, ita omnino ſe habet præſente hoc lumine, ac abſente: ſed eo abſente phantaſma non poteſt mouere intellectum, neque eſt actu intelligibile; ergo neque eo præſente: præterea ſicut præſente lumine nihil apparet in coloribus, niſi quod in iis ineſt: ita pæſente intellectu agente, nihil apparet in phantaſmate, niſi ratio rei corporeæ & ſingularis. *Alij* volunt virtute intellectus agentis phantaſma denudari conditionibus indiuiduantibus: ac ita reddi actu intelligibile: Sed tunc grauiſſima exurgit difficultas, quid poſſit detrahi phantaſmati: neque enim hoc commutatur in ſpirituale ſimulacrum. At ſi manet corporeum, neceſſariò quoque manet ſingulare, & imago rei ſingularis: præſertim cum eodem phantaſmate inter reminiſcendum iterum imaginatio vti ſoleat. *Alij* dicunt imprimi actum quendam phantaſmati, quo ipſum valeat ſpiritaliter mouere intellectum: ita *Ant. Monteatinus 3. de anima.* At eritne is actus corporeus, an ſpiritalis? ſi corporeus; quomodo ab agente incorporeo deriuabitur? & quid proderit? ſi ſpiritualis, quomodo recipietur in phantaſmate corporeo? ſed eſto, ſit motio quædam ſpiritualis, qualem in voce admiſimus aliquando cum D. Thoma, ad conceptus animorum exprimendos: quid efficiet illa motio? eleuabit phantaſma: ſed ad quid? ad rationem aliquam intelligibilem actu exhibendam: ſed quam? eamne, quam habet phantaſma; an quam habet intellectus eleuans? at neutrum dici poteſt. Eſto, poſſit phantaſma corporeum motione ſpiritali ab agente ſpiritali moueri ad exprimendum aliquid intellectui: ſed nunquid poterit aliud exprimere, quàm quod vel habet in ſe; vel eſt in cauſa principali, virtute cuius agit. Atqui neque phantaſma habet rationem vniuerſalem; quia corporeum eſt. Neque intellectus agens habet illam, quia fruſtra hæc quæreretur ex phantaſmate. Ergo.

§ Tertia ſententia eorum eſt, qui dicunt intellectum agentem duo hæc officia exercere: *primum*, vt ex phantaſmate eliciat ſpeciem intelligibilem: *ſecundum*, vt conſtituat intellectum poſſibilem in actu primo, eumque compleat ad intelligendum, ſpeciem ſcilicet imprimendo: ita *D. Thomas, Zimara, Scot. in quodlib.* & certè hæc in doctrina Peripatetica videtur cæteris multò probabilior: quam D. Thomas ſic explicat q. 10. de verit. a. 6. ad 7. *In receptione, qua intellectus poſsibilis ſpecies recipit à phantaſmatibus, ſe habent phantaſmata, vt agens inſtrumentale, & ſecundarium: intellectus vero agens, vt agens principale, & primum: & ideo actionis effectus relinquitur in intellectu poſsibili ſecundum conditionem vtriuſque, & non ſecundum conditionem alterius tantùm, & ideo intellectus poſsibilis recipit formas, vt intelligibiles actu, ex virtute intellectus agentis,*

ſed vt ſimilitudines determinatarum rerum ex cognitione phantaſmatum.

Præcipuum fundamentum huius ſententiæ deſumitur ex arctiſſima illa dependentia intellectus à phantaſia, quam Ariſtoteles experimento perſuaſus induxit: ex qua neceſſariò concluditur, quendam ordinem cauſæ inter vtramque hanc potentiam intercedere oportere: nec poteſt aliter conuenientiùs phantaſia in intellectum agere, niſi per phātaſma concurrendo inſtrumentaliter eo ſaltem modo, quo mox dicemus. Neque enim quod corporeum eſt, poteſt principaliter agere in ſpiritum, vt omnes fatentur. At ſi phantaſma non poteſt agere, niſi vt inſtrumentum: debet aſſignari agens aliquod incorporeum, æquè vel magis perfectum, ac intellectus poſſibilis: quod tamen ſe ſolo non poſſit complere intellectum poſſibilem in ratione proprij intellectiui: eumque determinare loco phantaſmatis: alioquin non opus eſſet vt intellectus, dum ſpeculatur, ſemper conuerteretur ad phantaſma. Ergo tale agens, neque Deus eſt, neque intelligentia vlla ſeparata: ſed virtus quædam intellectus, quæ huius ſit efficaciæ, vt ex phantaſmate eliciat ſpeciem intelligibilem: eamque producat in intellectu poſsibili, & ita eum in actu primo cōſtituat. Si dixeris ſufficere quod debeat intellectus ſola phantaſię operatione excitari, vti ſæpe diximus in Logica. Reſp. D. Thom. 1. p. q. 79. & 84. haud quaquam id ſufficere: quoniam alioquin poſſet anima interdum ex inclinatione ſuæ naturæ, vel excitata per alium ſenſum ſe conuertere ad intelligentiam ſeparatam, à qua formaretur ad intelligendum: & ſic cæcus natus poſſet habere ſcientiam de coloribus. Attamen maxima difficultas eſt in explicando, quomodo phantaſma moueatur ab hoc intellectu agente: ſiue quomodo illuminetur: nam non ſolum Thomiſtę à cęteris, ſed inſuper ipſimet inter ſe plurimum diſſentiunt, quorum diſceptationes vide apud *Bannez 1. p. q. 79. a. 3.*

Dicam igitur ſic poſſe rem explicari ſecundum mentem S. Thomæ: *Primo*, ſupponi debet in anima rationali virtus quædam incorporea, & omnino ſpiritualis, per ſe ordinata ad ſupplendam abſentiam obiecti incorporei, & proportionati: cuius virtutis efficacia non ſit intelligere, ſed efficere, ac præſentare ſpecies intelligibiles, in quibus intelligibilia actu exhibeantur: *ſecundo*, hæc virtus agit vt ſubordinata animæ: nam ſicut anima ipſa eſt, quæ per intellectum intelligit: per voluntatem operatur; per phantaſiam imaginatur: ita eadem per hanc virtutem ſibi conficit ſpecies intelligibiles. Ergo eadem in ſe ſe ſibi conſociat, & amico iungit fœdere facultates omnes, cùm ſenſitiuas, tum intellectuales, tanquam in communi radice: Hinc omnes hæ in homine mutuam habent ſymmetriam, mirabilemque conſenſionem. Ita vt inferior ſuperiori ancilletur, eique inſtrumentariam ſuam accommodet operam: quemadmodum calor naturalis ſubordinatur facultàti nutritiuę; hæc generatrici, &c. & ſicut calor natiuus ex coniunctione, quam habet per animam cum facultate nutritiua, deriuat naturaliter, ac mutuatur vim quandam, qua cenſetur ſemper quaſi eleuatus, vt in genere cauſæ inſtrumentalis

mentasis concurrat ad introductioné animæ in alimentum: dum anima suam vim nutritiuam adhibet. Ita phantasia, ex quo radicatur in anima, quæ pollet vi abstrahendi species rerum vniuersalium: censetur quasi naturaliter eleuata, vt concurrat instrumentaliter ad subministrandas eiusmodi species, cùm anima suam, qua pollet, virtutem abstractiuam exercet. 3. concursus iste adhuc faciliùs exponetur, si dixeris animã ipso phantasmate admonitam, & pulsatam, quadam similitudine formali rerum sensibus perceptarum informari, quæ quoddam quasi semen cognitionis intellectualis est: quo anima fæcundata per virtutem illam abstractiuam, similitudinem superioris ordinis elicit, qua distinctè & actu repræsentatur quod solùm confusè, & potentialiter exhibebatur in phantasmatis semine: nam ratio speciei confusè, seminaliter, & inchoatiuè, ac denique potentialiter repræsentatur in quolibet indiuiduo: & spirituale vmbratiliter præcontinetur in corporeo. Hac itaque ratione phantasma concurret instrumentaliter; quia virtute quâ pulsat, afficitque animam, coagit quoque intellectui agenti, dum extrahit speciem: Concurrit item materialiter, quia exhibet quodammodo quidditatem materialem, cuius est species, quæ extrahitur: exhibet, inquam, illam inuolutam proprietatum indiuidualium notis: sine quibus repræsentatur à specie, quæ illo succurrente extrahitur. Ita defendi potest opinio præcitata.

Ex his patet discrimen, quod est inter sensum, intellectum Angelicum, & nostrum: sensus habent obiecta eiusdem secum ordinis, à quo recipiant species, aut è potentia reducantur in actum: mentes Angelicæ initio constitutæ fuere in actu per species concreatas. Ideo nihil in his requiritur, quod munus intellectûs agentis exerceat: & quia mentes humanæ à corpore separatæ non conuertentur ad phantasmata, sed more Angelorum intelligent, ideo otiabitur in his tunc intellectus agens, seu vis illa specierum fabricatrix.

Patet secundò, eatenus phantasma concurrere ad productionem specierum, quatenus concurrit ad perficiendam animam, dum eam similitudine formali rei cognitæ afficit, signat & imprægnat: quod quî fiat dictum est, cum de sensibus loqueremur, certum est tamen id fieri: Hinc autem anima ponitur in actu virtuali, vt possit speciem immaterialem ex seipsa educere. Hisque sic præsuppositis, non video quidquam posse iuxta doctrinam Peripateticam obi c quod tantillum negotij facessat.

Restat modo quarta opinio, qua mentis agentis officium explicatur: estque Platonicorum, qui volunt ab ea intellectum nostrum, quem Peripatetici vocant possibilem perfici, ac notiones intelligibiles recipere; sed de ea fusiùs infrà.

Concludamus igitur secundum doctrinam Peripateticam admittendum esse intellectum; qui neque Deus sit, neque intelligentia separata ob rationes, quas suprà retulimus. Neque item sit ipsemet intellectus passiuus: quia hi duo intellectus habent diuersos actus; diuersa obiecta;

diuersaque officia, vt patet ex dictis. Ergo, &c. Quamobrem sicut lux oculo innata, quæ visui adest ad eius species præparandas, est quid realiter distinctum à visu: sic, quod vocatur intellectus agens, cum non sit aliud, quàm lumen quoddam intellectuale, datũ intellectui ad efformãdas species conuenientissimè debet concedi distinctus ab intellectu, quo intelligimus. Aristoteles eum comparat cum *arte, lumine, habitu*: sed hæc tria sunt virtutes intellectiuæ intellectui contraditæ ad ipsum corroborandum, illustrandum, determinandum: at non sunt ipsemet intellectus.

Nec tamen propterea putandum est intellectum agentem esse habitum primorum principiorum, vti sensisse videntur aliqui: nam secundum doctrinam Aristotelis, etiam prima principia debent addisci per abstractionem à phãtasmatis rerum singularium vt demonstrauimus in Logica *c.* 41. §. 3. Ergo ipsorum habitus præsupponit intellectum agentem: atque hæc ad intelligendam doctrinam S. Thomæ sufficiũt. Cætera poterunt apud Thomistas legi.

§. 2.

Opposita sententia, quæ nullum agnoscit intellectum agentem, præter Deum explicatur.

QVAMQVAM, quæ hactenus diximus de intellectu agente secundum doctrinam S. Thomæ probabilia debeant æstimari: tamen ob grauissimas difficultates, quæ vix dum ab vllo sufficienter potuerunt explicari, multi etiam ex Peripateticis opinati sunt intellectum agentem esse propriè Deum ipsum. Ita enim sensit *Alexander Aphrod. Zabarella, Gianninius, & alij multi*: Idem quoq; docuit Theophrastus vt patet ex Prisciano Lydo, & Marsilio Ficino eiũs interprete *l. de phãtas. & intell. c.* 4. Et reuera hæc videtur quoque fuisse sententia Aristot. cum loquens de intellectu agente hæc dicat: *Et est quidam intellectus, qui omnia fiat; quidam verò, qui omnia facit vt habitus quidam, quale est lumen. Quodam enim modo & lumen facit, colores actu esse, qui solum erant tales potestate & hic intellectus separabilis est, & impermixtus, & impassibilis, substantia sua existens actio, &c.* Cuinam quæso, conuenire potest, quod sit suum operari, nisi Deo? Fuit tamen non parum hac in re perplexus Aristoteles: alibi enim affirmat fœlicitatem, quam voluit in contemplatione perfectissima consistere, à Deo missam non esse, neque Dei donum esse: aliunde in cit. t. 18. hos duos intellectus facit differentias animæ: itemque agentem vult esse quasi habitum, &c. Sed si habitus, aut potentia sit de genere accidentis, quomodo ait eum esse mentem separabilem, quæ substantialiter sit actus, &c. Hęc ergo multa diuinanda relinquunt Peripateticis: Sed profecto sincerior eius interpretatio ea mihi videtur, quam *Auerroes & Auicenna* secuti sunt, vt scilicet, mens effectrix sit intelligentia quædam instar Dei simplex, & re-

3. de anima t. 18.

rum omnium notitiis per essentiam plena.

Sed Platonici omnes hac in re consentiunt asserentes mentes omnes participatas non posse quidquam intelligere, nisi participatione luminis,& notionum à prima mente venientium. Quos secuti sunt commumuniter sancti Patres: vt patet ex S. Cyrillo, S. August. & Origen. quos citauimus in Log. c. 4. §. 5. Itemque ex D. Athanasio, qui *orat. contra idol.* ait mentem nostram esse conditam, *vt Deum spectet, & ab illo illustretur.* Sanctus Augustinus nihil aliud spirat, vt iam innumeris locis diximus: nec potuit loqui clariùs. In Ioan. enim tract. 15. *Lux,* inquit, *illa superior, qua mens humana illuminatur, Deus est.* Et l. 12. de Trinit. c. 15. *Sed potiùs credendum est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, vt rebus intelligibilibus naturali ordine disponente conditore subiuncta, sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt qua in hac corporea luce circumiacent, cuius lucis capax, eique congruens est creatus. Denique cur de solis rebus intelligibilibus id fieri potest, vt bene interrogatus quisque respondeat* (alludit ad puerum à Socrate interrogatum) *quod ad quamque pertinet disciplinam, etiamsi eius ignarus est? Cur hoc facere de rebus sensibilibus nullus potest, nisi quas isto vidit in corpore constitutus, aut eis, qui nouerant indicantibus credidit, seu literis cuiusque, seu verbis?* Et l. 2. de serm. Domini in monte: *omnis anima rationalis etiam cupiditate cæcata, cùm cogitat, & ratiocinatur quidquid in ea ratiocinatione verum est, non est tribuendum ei, sed luci ipsi veritatis, à qua vel tenuiter tangitur.*

Rectè ergo Plato dixit in 6. de Rep. quòd ipsa idea boni, quæ sine dubio Deus ipse est, solem hunc adspectabilem, *in hac secum genuit comparatione consimilem, vt quemadmodum ipse* (Deus seu Dei Filius) *in loco intelligibili ad intellectum, & ea qua intelliguntur, se habet; sic iste* (Sol) *in loco visibili ad visum se habeat, & ad ea qua videntur.* Vnde inferiùs subdit: *Illud quod veritatem illis qua intelliguntur, præbet* (*q. d.* quod facit intelligibilia actu:) *& intelligenti vim porrigit, ideam boni esse, scientia ac veritatis intellecta causam.*

Porro fundamenta huius doctrinæ possunt hæc adnotari: primum quòd sic euitentur omnes difficultates, quæ singulis diebus crescunt in explicando, quomodo intellectus agens eruere possit species intelligibiles è phantasmatum inuolucris: & quomodo phantasma corporeum possit agere in intellectum: per quid eleuetur? Qua virtute ex imagine corporea corporei accidétis, quod non modo singulare est, sed essentialiter nota singularitatis, possit extrahi ratio incorporea substantiæ, vel formæ spiritualis, vniuersalis & alia, quæ supra retulimus c. præced. §. 3. hæc sanè, & similia possunt vtcumque saltem voce tenus explicari: sed explicata nemini, nisi volenti, ac nimium credulo satisfacere possunt: alioquin non tot sectas peperissent.

Secundum, quod ille sit habendus intellectus agens, qui primùm, propriè, per se, ac suapte natura est actu intellectus, actuque ipsum intelligibile: sed Deus est eiusmodi. Ergo. Mi. est euidens. Ma. patet, vel ex

ipſo Ariſt.3.de anima t.18 & *confirmatur*, quia in quolibet genere, quod eſt primũ per ſe, atque actu tale, cauſa eſt cæterorum, quæ poteſtate, ac participatione ſunt talia. Cum ergo intellectus noſter ſolùm ſit in potentia intelligens, nec ſit ipſum intelligibile, niſi quatenus poteſt tale per participationem euadere: neque aliud ſit, quod ſit tale actu niſi Deus, vt fateri conuincimur, ſequitur ſolum Deum eſſe propriè intellectum agentem. Reſpondet D. Thom. ſpecies intelligibiles intellectus noſtri reduci quidem ad Deum: ſed mediantibus formis rerum ſenſibilium. At hoc difficultatem patitur, quia formæ illæ ſunt minùs ipſa intelligibilia, quam ipſemet intellectus: quomodo ergo is accedet ad actualitatem primi intellectus, per id quod magis ab ea recedit? Addit D. Thomas intellectum agentem eſſe actu. Sed quomodo? neque enim eſt intelligens actu, quia nullo modo eſt intelligens: neque eſt ipſum intelligibile actu, quia non continet in ſe rationes intelligibilium, cùm eas ex phantaſmatibus emendicet. Quid ergo? an fiet intelligibile actu, per phantaſmata, quæ non ſunt ipſa intelligibilia, niſi in potentia remotiſſima, & vmbratiliter?

p 1.q.84 a. 4 ad 1.

ad 3.

Tertium fundamentum eſt, quòd ab eo infundi ac communicari debeant notiones intelligibiles, quod propria obiecta intellectus continet: ſicut in ſenſibus, ab eo profluunt eorum notitiæ, in quo elucent obiecta ipſorum primitiua; & propria. Sed obiecta prima, & propria intellectus continentur in primo intellectu, vt oſtendemus inferiùs. Ergo &c.

Quartum eſt, quòd rectus ordo ex poſtulet, vt imperfectiora perficiantur à perfectioribus, non contrà. Ergo intellectus noſter à Deo, non à ſenſu debet expoliri, & perfici. Vide quæ diximus de Moral. cap. 1. §. 3.

His adde nihil poſſe incongrui ex hac doctrina inferri; vt patet ex his, quæ in Log. diximus c. 41. 45. & 53. Neque poteſt quidquam obiici, quod ipſa adhuc Ariſtotelis auctoritate leuius non ſit. Quod enim dici ſolet, fore vt ſi Deus ſit intellectus agens, aliquando poſſemus aliqua per ſolam conuerſionem ad Deum addiſcere, ſine vlla ad phantaſmata conuerſione. Reſp. 1. non ſequi hoc, quoniam excitari debet animus per ſenſum. Reſp. 2. etiam aliquando id fieri: multa enim animus ſecum conferendo deprehendit, quæ omnium phantaſmatum conditionem exuperant.

Dices, hinc vlteriùs ſequi, quòd animus non perficiatur ex vnione ad corpus. Imo potiùs contrà, animus enim obnubilaretur in corpore, nobiliorque foret extra corpus: ergo per vnionem ipſi adeo naturalem, à perfectione quæ naturaliter deberetur, omnino deficeret: atque inde impediretur agere, vnde initium ſeſe perficiendi expectat. Reſp. animum perfici in eo quod actuat, & complet ſpeciem creaturæ rationalis: item in eo quòd ad cognoſcenda ſingularia, indiget ſenſibus: nec impeditur præcisè ab vnione: ſed ob naturalẽ tenuitatẽ, qua deficit ab actualitate mentis Angelicæ. Adde quod occæcatã plurimum fuiſſe

mentem hominum propter peccatum originale inficiari nequeamus, *diminuta enim sunt veritates à filiis hominum.*

Sed quæritur, quomodo possit intellectus excitari per sensum, ipsaque singularia corporea percipere? Respondet Marsil. Ficinus, quod quando phantasia in se simulacrum huius v.g. Socratis contuetur, mox lumen agentis illud simulacrum pulsat, vt solis radius aquam, & repercussus generat speciem puriorem, &c. Perbella sanè sunt hæc: sed ad Philosophorum examen vocata, mox vt Chymicum aurum igne probatum, euanescunt: quomodo enim lumen intellectuale ad phantasma corporeum reflectetur, repercutieturque? Dixeris ergo melius animam per quandam reflexionem ad vim, rationemve innatam, dum quodammodo pulsatur, & admonetur à phantasiæ actu, quasi apud se excutere quod latebat.

At potestne quod nobilius est & spirituale ab ignobiliori, & materiali pulsari & affici? Resp. quidni vt ab excitante, atque vt à disponente, vti diximus supra c. 16. §. 1. Imo non video, cur potentia spiritualis non possit forte moueri obiectiuè ab obiecto materiali: hoc enim cùm sympathetica quadam communione viribus quæ sunt in illa contemperetur, hoc ipso, quòd præsens sit, potest virtute huius sympathiæ, prolicere, & excitare intelligentem, vt vim suam circa illud exerat: hæc motio non Physica, neque alteratiua est, sed Metaphorica & occasionalis: neque imperfectionem arguit in eo, quod sic mouetur: quoniam ita moueri, sese ad præsentiam alterius perficere est: & è potentia in actum reducere semetipsum. Sic quidni dicamus intellectum Angeli etiam moueri ab homine, cui cominus adest, vt eum videat, potiùs quam Leonem?

CAPVT XXVII.

DE VERBO MENTIS.

§. I.

Quid sit, & quale.

NOMEN hoc verbi multifariam vsurpatur. Aliquando enim pro voce, quæ ore profertur: interdum pro vocis imaginatione, aliàs pro conceptu, quem apud nos cogitando formamus: & vocatur λόγος ἐνδιάθετος, verbum internum. Hoc autem sensu diuersimodè quoque à S. August. in libris de Trinit. vsurpatur: nam aliquando pro simplici mentis notitia, qua rectè de aliqua sincera veritate iudicamus: Ideo, inquit, *cum dubitamus, non est verbum de re, de qua dubitamus: sed de nostra dubitatione est verbum.* Inde vocat verbū cogitationem

formatam: vultq; è scientia id oriri, eiusq; velut expressam esse imaginẽ. *Necesse est, cùm verbum loquimur, id est, quod scimus loquimur, ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascatur verbum, quod eiusmodi sit eiusmodi est illa sciẽtia, de qua nascitur: Formata quippe cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est, quod in corde dicimus.* 15. de Trin. c. 10. Hinc inferiùs explicãs, quid sit illa scientia, ex qua procedit verbũ: & vnde pendeat, subdit hæc: *quid est hoc formabile, nondumque formatũ, nisi quiddam mentis nostræ, quod hac atq; hac volubili quadã motione* cogitationis *iactamus, cùm à nobis, nunc hoc, nunc illud sicut inuentum fuerit, vel occurrerit, cogitatur? Et tunc fit verum verbum, quando illud, quod nos diximus volubili motione iactare, ad id quod scimus peruenerit, atque inde formatur, eius omnimodam similitudinem capiens, vt quomodo res quæque scitur, sic etiam cogitetur.* Præterea ipse frequenter verbum accepit pro conceptu formato, & vero rei amatæ. *Verbum*, inquit, *amore concipitur*, 9. de Trinit. c. 7. *nascitur verbum, cum cogitatum placet. Verbum ergo nostrum, & mentem, de qua gignitur, quasi medius amor coniungit.* c. 8. *verbum est cum amore notitia.* cap. 10. &c. His positis.

Quæritur modò quid sit verbum, & quomodo ad Intellectionem se habeat: Aliqui voluere verbum non esse aliud à re concepta, sic *Aureolus* apud Capreolum. Alij non distingui à specie impressa, sic *Ægidius* apud Scotum. *Nominales* censent omnem intellectionem esse verbum: quatuor enim conditiones tantum ad verbi constitutionem desiderant. *Primam*, vt sit aliquid in intellectu: *secundam*, vt sit ab eo genitum: *tertiam*, vt sit imago rei cognitæ: *quartam*, vt sit expressiuum rei cogitatæ, & conceptûs, quo cogitatur. Hæc verò competunt intellectioni, & sufficiunt. Ergo, &c.

Scotus in 1. *sent.* docet verbum esse intellectionem: non quidem omnem, sed perfectam duntaxat, siue distinctam. Negatque quidquam ipsa intellectione produci: eo quòd intellectio sit vltimus terminus, quo nulli alteri conferatur vt sit: siue quo quidpiam aliud gigni non possit.

Thomistæ verò docent verbum esse quidpiam verè ab intellectione distinctum; ab eaque genitum. Vt autem hæc sententia magis declaretur; Notandum est hanc esse vim intellectus, vt cogitando intrinsecus apud se sibi rei cogitatæ formet exemplar, ita vt eam sibi videatur cernere intus præsentem: in quo à sensu externo distinguitur; hoc enim res extra nos positas percipimus, sed vt absentes: & eo quod sunt interuallo à nobis separatas. Secus si animum à rebus extraneis auocantes, velimus intra nos v. g. cœlum recogitare, illud quasi nobis intimè præsens, & ex arcanis memoriæ latebris erutum, necnon euolutum introspicimus: atque vt ante cogitationem nihil tale percipimus; sic ea finita id disperit, & euanescit. Vnde saltem tria hæc debent adesse, vt verbum eiusmodi concipiatur: *primum*, vt imago rei cogitatæ formetur, in qua, & per quam res ipsa, vt præsens videatur: *secundum*, vt cum ipsa cogitatione fiat: *tertium*, vt ab ipsa intellectione quatenus est actio vitalis, distinguatur: itemque à specie impressa, vt constabit inferiùs. Duo priora certa sunt: tertium dubitatur: sit ergo

CONCLVSIO PRIMA: Per omnem intellectionem distinctam & perfectam naturaliter producitur verbum: Ita D. Thomas: patet autem 1. ex D. August. suprà cit. item ex D. Fulgentio l. 3. ad Monimum. *Cum ergo*, inquit, *mens cogitat, & cogitando verbum intra se generat, de sua substantia generat verbum, & sic illud verbum generat de se, vt genitum habeat apud se.*

Ratio erui debet ex ipso experimento: cur enim intellingendo videmur videre intus rem cognitam, non verò sentiendo? Si sola vitalis perceptio sufficit, an non sensio vitalis est actus, æquè ac intellectio? quando ergo rem aliquam vt verè intus existentem attendimus, debet esse aliquid respondens attentioni, qua externa percipimus, & hoc est ipsa intellectio: debet & esse aliud, quod vicem obiecti teneat, illudque quasi præsens sistat animo: & est verbum: quamobrem ratione illius intellectio vocatur conceptio: ac per illud expressam Dei Patris filium intelligendo apud se gignentis imaginem gerimus. Nihilque horum conuenit sensui: nam quis vnquam visionem expressit conceptionis nomine? quis illi verbum attribuit? & cum de intelligente qui conceptum apud se format, soleamus asserere, quod apud se tacitus loquatur, dicat, exprimat id quod cogitat, quis idem de visione vnquam affirmauit, quòd videndo loquatur, conceptum formet, &c. Quòd si dixeris non opus esse, vt formetur verbum, in quo res intellecta videatur vt præsens, cùm ea sit semper præsens in rationibus æternis, siue ideis, quæ vbique sunt. Resp. neque id sufficere: quia cum hæ non possint videri per se immediatè, debet formari earum similitudo, in qua *finitum esse cognitum* habeant, vt dicetur inferiùs.

CONCLVSIO SECVNDA: Hocce verbum reuera distinguitur ab intellectione. Ita clarè D. Thom. de pot. q. 8. a. 1. *Intelligens*, inquit, *intelligendo ad tria potest habere ordinem: scilicet ad rem, quæ intelligitur; ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu primo ad suum intelligere; & ad conceptionem intellectus*: & subdit hanc ab actione intellectus distingui: quia consideratur, vt eius terminus, & quasi quiddam per ipsam constitutum: q. 4. de verit. a. 2. ad 3. ait conceptionem intellectus, id est, verbum, esse mediam inter intellectum & rem intellectam, quia ea mediante operatio intellectus pertingit ad rem. Idem patet ex D. Aug. 9. de Trinit. c. 7. *In illa æterna veritate, ex qua temporalia facta sunt, formam secundum quam sumus, & secundũ quam vel in nobis, vel in corporibus vera, & recta ratione operamur, visu mentis adspicimus, atq; inde conceptam veracem notitiam tamquam verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus.* Ergo verbum est quasi soboles illius actus, quo regulam idealem conspicimus: ergo ab eo distinguitur: ille autem actus quis est, nisi intellectio? ex supradictis etiam constat, quod verbum non sit ipsa cogitatio simpliciter: sed vt *formata à re, quam scimus*: formari autem eam, quando *similitudinem omnimodam capit*: Ergo aliud est verbum: & aliud simplex intellectio.

Ratione probatur breuiter, quia quod per se terminat intellectionem,

reuera distinguitur ab intellectione: sed vebum est id quod terminat intellectionem. Ergo. Ma. patet in omni alia cognitione; nam, quod terminat visionem, non est visio: & ita de cæteris: vnde non minus est intelligere, & intelligi: illud actum, hoc obiectum designat: atque illius ad hoc relatio realis interuenit: ergo realiter distinguitur. Mi. quoque patet ex dictis: quoniam nequit aliud assignari, quod terminet actum intellectus: non res, quæ foris est, quia videretur, vt exterior: non idea diuina secundũ se: quia videretur quãta, & qualis est in se, sicut à beatis, quod falsum est: vnde ait S. August. l. 9. de Trinit. c. 11. *in quantum Deũ cognoscimus, sumus similes; sed non ad æqualitatem similes; quia non tantum eum nouimus, quantum ipse est: & quemadmodum cum per sensum corporis discimus corpora, fit eorum aliqua similitudo in animo nostro, quæ phantasia memoriæ est &c. Ita cùm Deum nouimus fit aliqua Dei similitudo illa notitia: tamen inferior est, quia in inferiore natura est.* Ex quibus collige, quòd ita verbum ad simplicem intellectionem se habeat, sicut phantasia memoriæ, ipso scilicet phantasmate informata, sese habet ad visum, vel auditum: ergo quomodo posset non esse distinctum?

Denique idem posset ex mysterio sanctissimæ Trinitatis confirmari; sed id relinquo Theologis: solùm notauerim non immeritò posse hinc deduci argumentum, quoniam cùm mens creata gerat imaginem increatæ, magna quoque actuum debet admitti proportio: saltem quantum creaturæ limitata capacitas ferre potest.

CONCLVSIO TERTIA: Verbum mentis distinguitur à specie impressa: patet ex dictis; vel enim non datur eiusmodi species, vel est prior intellectione, eiusque principium est: at verbum est posterius intellectione, & ab ea gignitur. Ergo. tum si species vlla eiusmodi occurrit, ea certè tunc est, & exercetur, quando visu mentis formã secundum quam de re vera iudicamus in ipsa æterna veritate conspicimus. Atqui ex D. August. verbum ex illo visu sequitur: eumque non præcedit. Ergo. Denique ex eod. August. suprà: *verbum ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascitur.* Atqui, si quid est in nobis specierum impressarum, & intelligibilium, aut illis æquiualens id certè in memoria, & in illa scientia habituali, aut virtuali continetur: at verbum eo prorsus inferius est.

Notandum ergo formationem verbi, quæ conceptio dicitur: merito comparari conceptioni prolis animatæ: nam sicut debet esse mater grauida, vnde concipiat: sic mens debet quoddam in vtero suæ memoriæ fouere, aut recipere semen verbi efformandi, quod vel species impressa est: vel forte melius sigillatio, & illapsus rationis idealis, vt dictum est suprà. *Secundo*, requiritur vis formatrix, & assimilatrix, qua fœtus conformetur parentibus. Ita in mente debet esse quædam vis assimilatrix, quæ conceptum perficiat, similemque omnino scientiæ, ex qua nascitur, reddat: & ea quæ in speciebus impressis, seu rationibus innatis, vel signatis, velut in seminario sunt occulta, in lucem prodat, euoluat, & perfectum in statum adducat. *Tertio*, vt præcipua vis agens venit à patre:

cùm

cùm mater præcipuè materiam ſuppeditet. Ita præcipua vis efficiendi verbum mentis à Deo pendet: eſtque *lumen illud vultus ſui*, quod ſignauit ſuper nos; quod *nihil eſt aliud, quam quædam participata ſimilitudo luminis increati, in quo continentur actiones æternæ.* 1 p. q. 84. a. 5. Ideo S. Auguſt. in illud Ioan. 4. *voca virum tuum*, ait Deum eſſe virum humanæ mentis. *Quartò*, ſicut conceptio eſt fructus amoris. Ita ex D. Auguſt. 9. de Trinit. c. 12. *Partum mentis præcedit appetitus quidam, quo id quod noſſe volumus, quærendo & inueniendo, naſcitur proles ipſa notitia .... Idemque appetitus quo inhiatur rei cognoſcendæ, fit amor cognitæ, dum tenet, atque amplectitur placitam prolem: id eſt, notitiam: gignentique coniungit.*

§. 2.

Soluuntur quædam dubia.

SCOTVS, *Durandus*, *Nominales*, *& alij*, nonnulla obiiciunt, quæ hic ſolui oportet. *Primò*, ex Ariſtot. 9. met. operatio immanens à tranſeunte diſtinguitur, quòd illâ nihil producatur; ſecus iſta. At intellectio eſt operatio immanens. Ergo. *Confirm*. Idcirco actio immanens dicitur eſſe id vltimum, quo potentia perficitur. Ergo non parit vllum terminum. Reſp. *primum*, eo diſtingui operationem immanentem ab alia, quod ex ſuo genere non producat aliquid à ſe diſtinctum, quia poteſt eſſe aliqua, quæ nihil parturiat: cum tamen tranſiens ex ſua propria differentia id habeat, vt ſemper opus à ſe diſtinctum relinquat. *Secundo*, diſtinguitur eo vel maximè, quod tranſiens effundat opus aliquod in ſubiectum extraneum. Immanens verò nunquam, ad confirmationem Reſp. actionem immanentem, quæ parit terminum, non cenſeri vltimum potentiæ, niſi quatenus completa, formataque fuerit: ſic autem intellectio complectitur verbum.

Secundo obiic. ſi per intellectionem producitur verbum, neceſſe eſt id cognoſci ab intellectu, quandoquidem non ponitur, niſi vt ſit obiectum cognitum: atqui non cognoſcitur, vt teſtatur experientia. Ergo. Reſp. in eo diſſidere Thomiſtas, an verbum cognoſcatur: alij enim negant; affirmant verò alij eo quod D. Thom. q. 4. de veritate art. 2. ad 3. dicat *verbum non ſolum id eſſe quod intelligitur, ſed etiam id in quo res intelligitur.* Qui negant, comparant verbum cum ſpecie, quæ nobis in ſpeculo noſtram repræſentat imaginem; non enim videmus ſpeciem, ſed nos per illam; qui verò affirmant, comparant verbum cum pictura, quæ repreſentat v.g. hominem: ſic enim in ea vides hominem, vt reuera picturam videas: Ita volunt res in verbo; verbumque ipſum cum rebus diſpici; nec immeritò, quia id quod primi aſſerunt ſpeciebus impreſſis, ſi dentur, potiùs competit, quam expreſsis, quæ verba ſunt.

Confirmatur hoc ex Ariſt. l. de mem. & reminiſc. c. 1. dicente eundem eſſe motum ad imaginem, & ad rem cuius eſt imago. Caietanus verò in 1. p. q. 27. diſtribuit notiones verbi ſic; verbum inquit ſimul eſt

imago, ceu pictura; & *qualitas*, neque enim potest ad aliud genus entis pertinere: videtur autem vt *imago*, non vt *qualitas*, nisi mens in illud reflectatur, eius genus inuestigans. quid plura? tale quid ipsum est, vt res cogitata in eo resplendeat: ipsumque *esse cognitum* rei cogitatæ, proprium quoque *esse* verbi est. Est enim id ipsum ens quoddam intelligibile in ratione talis, aut talis rei cogitatæ: quod in ipsa profectò anima resplendescit: atque ex eius substantia educitur: vt patet ex D. August. suprà. Nam anima cogitando sese vi luminis diuini, in illud esse intelligibile, ac sigillare rei cogitatę transmutat, ac transfigurat, sicut pupilla oculi tui respiciendo rosam, in esse rosæ visibilis, virtute luminis solaris, tráſformatur. Quamobrem si visus tuus ad illud esse visibile rosæ, quod reuera productum est in oculo tuo terminaretur, sicut mens ad illud terminatur, dum te respicio; certè rosam videres velut in oculo tuo existentem. Ita fit in animo.

Tertio obiic. D. August. cit. vocat verbum notitiam. Ergo non distinguitur ab intellectione. Resp. verbum dici notitiam, non qualemcumque, sed completam, & perfectam: siue cogitationem formatam: quia reuera non debet considerari seorsum à cognitione, cum totum eius esse, sit *esse cognitum*, cùm intellectio ad eum statum peruenit, in quo perfectam similitudinem rei scitæ pepeterit, ea simul conformatur & terminatur, & tum hæc intellectio sic formata, dici potest verbum: licet verbum non sit, nisi ratione huiusmodi termini.

Restant modo quædam alia dubia hic breuiter explicanda: *Primum* est, an mens nostra, dum seipsam contemplatur, itemque Angeli dum sese per suam essentiam intuentur, verbum pariant? Resp. in vtramque partem hoc agitari: sententia tamen affirmans videtur probabilior, & conformior S. Augustino. Is enim in 9. de Trinit. ait, *Cum se mens ipsa nouit, sic est eadem notitia verbum eius, vt ei sit par omnino, & æquale:* & mox: *Et imago, & verbum est, quia de illa scilicet mente exprimitur, cum cognoscendo eidem coæquatur; & est gignenti æquale, quod genitum est.* Idem ait D. Thomas 4. q. de verit. a. 2. *Etiamsi*, ait, *res cognoscatur per suam essentiam, in eius tamen cognitione producitur verbum.* Vide Ferrar. in 4. contra Gent. c. 11. & in 1. c. 51. Bannez & Caiet. in 1. p. q. 27. Ratio esse potest, quia hæc est virtus naturalis creatæ mentis, vt quoties sese applicat, ad perfectè quidpiam intelligendum, formet conceptum quoque perfectum, quantum formabilis est. Quemadmodum & mens diuina, licet seipsam per essentiam suam cóprehendat, verbum nihilominus gignit perfectissimum: quamobrem hanc infinitam intellectus diuini prærogatiuam mens creata finito tamen modulo æmulatur: tum quia mens creata sæpe se aliter nouit, quam in se sit: In se enim est singularis: se verò cognoscit aliquando in abstracto: fatendum ergo erit cum D. Thom. essentiam Angeli supplere quidem posse vicem impressæ speciei: at non expressæ. Contrarium tamen de verbo ipso dixerim, quando cognitione reflexa cogitatur, vt enim vna relatio refertur ad aliam per seipsam, sic verbum seipso sui cognitionem ter-

minat: alioquin daretur processus in infinitum.

Secundum dubium est, an aliquando separari possit verbum ab intellectione. Resp. *primo*, secundum D. August. non exprimi verbum quando intellectio est imperfecta, & dubia: *secundo*, in doctrina Thomistarum visio beatifica, est intellectio perfecta, quæ tamen verbum ab intellectu productum non habeat: eo quòd, inquiunt, formabile non est verbum vllum creatum, in quo videri Deus clare, atque intuitiuè sicut ipse in se est, valeat: Ideoque censent diuinam essentiam immediatè per seipsam fungi officio speciei impressæ, ac expressæ: quod quî fiat, non est huius loci exponere: solum prænotauerim duplicé esse actionem; vnam quæ verè ad prædicamentum actionis pertinet; estque tendentia, siue via quędam ad nouum effectum producendum: aut potius quędam effectus distincti progresio ab agente. Et hæc nequit esse sine suo termino: Alia est, quæ actus potiùs, quā actio dici debet, & ad prædicamentū qualitatis merito reuocatur: actionis in eo specimenferens, quòd sit actuale potentiæ actiuæ exercitium; seu actualitas vltima potentiæ operantis; vt visio, & ambulatio, &c. hæc non tam productiua, quam vnitiua, vel applicatiua, censenda est: Ex hac per se nullus emanat terminus, saltem ex suo genere: licet contingat aliquando talem, ac tam perfectam esse, vt ex speciali eius præeminentia ipsummet sibi obiectum proximum cudat, cui vniat operantem: & in quo, ac per quod operans obiecto mediato, & vltimo vniatur. Talis autem est intellectio, quæ cùm perfecta est, exprimit conceptum, siue verbum sibi proportionatum: Hoc est finitum, ac limitatum. Quod tamen à Deo per seipsum suppleri nihil vetat, non minus, quam hypostasin naturalem: Ideo licet productio substantiæ semper naturaliter exigat supposito naturali terminari; eoque limitato: si nihilominus voluerit Deus eam supposito infinito terminari, debuit loco creati, increatum suppositum sufficere. Ita de verbo disseratur.

Interim ex his collige intellectionem per se non esse formalem repręsentationem obiecti; sed causalem: ex se verò solùm esse operationem vitalem, qua percipitur vel ipsummet obiectum secundum se, vt in beatis; vel ipsius imago expressa, vt in cæteris. Et hæc perceptio non est aliud, quam adeptio, possesio, vnioque.

Tertium dubium, an phantasia simile quid intus producat? Resp. affirmatiuè, quia par est ratio. Experimur enim obiectum, quod aliàs sensimus, etiam vt præsens intus in animo repræsentari: & quidem abstractum à loco, & tempore, licet non à cæteris conditionibus indiuiduantibus. Ipsum autem eiusmodi non verbum, sed phantasma nominatur.

CAPVT XXVIII.

DE ACTIBVS INTELLECTVS.

§. I.

An intellectus plura simul possit intelligere.

NON est dubium, quin plura genera actuum possint ab intellectu elici: de quibus legendus est D. Thom. 1. p. q. 84. & 85. Potest enim vel simplici mentis intuitu ferri in obiectum, vel differendo: simplici rursus intuitu potest, vel rationes æternas, & vniuersales, vel res singulares & temporaneas contemplari: rursus differendo vel iudicat, vel concludit. Vtrumque vel opinando, vel sciendo, vel credendo facit: sed de his omnibus abunde in Logica diximus: quare restat modò solùm vt hæc explicemus; *primum*, an intellectus plura simul intelligere valeat: *secundum*, an quidquam hic speculari possit sine conuersione ad phantasmata; *tertium*, quid sit reminisci, & à quo hic actus procedat.

Quoad primum distrahuntur Doctores, *Scot. Greg.* Lychetus, & *Nominales in* 1. *d.* 3. id affirmant: Hoc negat S. Thom. 1. p. q. 85. a. 4. cum suis asseclis. Notandum ergo non hic esse quæstionem, an possint plures habitus perfecti scientiarum simul esse in eodem intellectu: item neque, an vna specie intelligibili, vel aliquo alio æquiualente possint plura repræsentari; & ita simul cognosci: hoc enim posse cócedit S. Thomas. Fatetur quoque multa confusè repræsentata per modum vnius videri posse. Nimirum vel vt partes per modum vnius totius; vel vt mutuo coordinata, & collata per modum vnius comparationis. Addunt Thomistæ per speciem simplicem debere à S. Thoma intelligi etiam species coordinatas sub aliqua ratione simplici; vti quando propositiones eiusdem demonstrationis simul proponuntur, licet diuersis speciebus obiiciantur, censentur tamen vna simplici obiici; Ideo possunt hæ simul cognosci.

CONCLVSIO. Sententia S. Thomæ sic explicata, valde probabilis est. Probatur, quia magna certè proportio est animorum ad corpora; & alioquin constat, quanta consensione intellectus cum visu congruat: atqui videmus in vno corpore non posse simul plures actus eiusdem ordinis, disparatos tamen, imprimi; neque enim visus simul plura, sine vllo coniunctionis ordine percipit; neque idem corpus simul diuersis coloribus; neque diuersis figuris actuatur; quidni à pari dicemus non posse naturaliter intellectum simul à diuersis obiectis totalibus sine vlla subordinatione, ac sine vllo vnitatis nexu moueri? Adde quod finita cùm

sit vis animorum: quò pluribus ij sese applicant, eò minùs singulis intendunt quò autem minùs, eò confusiùs. Ergo saltem distinctè atque perfectè non possunt applicari, nisi vni. Hinc fit, vt vnius cogitatio remittat, aut impediat cogitationem alterius.

Hinc patet duobus modis posse defendi doctrinam S. Thomæ: *primo*, ita vt nullo modo possit intellectus plura discernere, nisi per modum vnius: *secundo*, ita vt perfectè, ac distinctè non possit plura intelligere; possit verò confusè, ac imperfectè. Prior modus est conformior menti S. Thomæ: secundus, quem sequitur Soto lib. 1. Post. videtur facilior: sed tamen non est necessarius: quin imo prior magis videtur congruere ordini diuinæ prouidentiæ in causis naturalibus elucenti: is enim exigit vt vires omnes naturales ordinatæ sint, & ordinatè procedant in obiecta: ordo autem omnis est vnius in multa progressio sub ratione vnius. Ergo conuenientissimum quoque est, vt omnis potentia sub tali ratione vnius operetur quotiescumque operatur. Et quemadmodum quoties multa & diuersa agentia, vni principali subordinata, operantur, vel vnum efficiunt, vel multa ratione vnius, sicut cum multi artifices vnius directione ad vnum ædificium concurrunt: sic cum multæ species eidem animæ subordinatæ simul mouent intellectum, solum eum mouent vel ad vnum quid intelligendum, vel ad multa sub ratione vnius.

Obiicies *primò*, potest visus plura cernere simul vt equum, hominem, pratum, &c. ergo & intellectus: *secundo*, possunt simul plures formæ actuare eandem materiam: ergo similiter plures species possunt simul producere actus sibi proprios. Anteced. patet, quia color, & sapor actu simul afficiunt pomum: species albi & nigri simul sunt in aëre & in oculo, &c. 3. plures partes simul videntur: præmissæ simul cum conclusione percipiuntur, &c. 4. quando comparatur homo cum equo simul cerni debent: ergo.

Resp. *ad primam* obiectionem fateor à visu videri multa, sed per modum vnius: & per species coordinatas. Ita soluitur *tertia*: *ad secundam* nego Anteced. si formæ sint eiusdem generis: ideo non valet exemplum coloris & saporis: species verò albi & nigri sunt simul, *distinguo*: vt agũt actu *nego*: vt potentiâ, *concedo*: tum ibi sunt coordinatæ ad eliciendam vnicam visionem à quolibet vno oculo: ad quartam Resp. videri hominem, & equum ratione communis comparationis. Ita D. Thomas cit. sed *Dices*, non dantur species, nisi hominis, & equi. Ergo non possunt repræsentari sub vlla alia ratione: atqui sub ratione hominis, & equi, non sunt quid vnum: *Confirm.* quia comparantur homo & equus secundum ea, quibus differunt: ergo etiam simul cognoscuntur vt multa. Resp. non esse quidem alias species: sed easdem sufficere, quatenus tamen ordinatæ sunt ad formandum vnum iudicium, vel de conuenientia; vel de differentia.

Ad confirm. Resp. cognosci quidem posse multa, vt multa: id est, secundum differentias singulorum præcisè sine subordinatione ad superiorem aliquam rationem vnius, *nego*: cum subordinatione ad vnam

aliquam rationem, nempe aut conuenientiæ, aut differentiæ, vel alius, *concedo.*

§. 2.

An possit intellectus aliquid cogitare sine conuersione ad phantasmata.

ARISTOT 3. de anima t. 39. definit, *eum qui contemplatur, oportere phantasma quoddam contemplari.* Propterea *qui non sentit aliquid, nihil vtique addiscere, neque intelligere.* Plato verò contrà nihil quod sentiri possit, ab eo qui scire aliquid exoptet, cogitandum esse affirmauit. *Si quis*, inquit, *sursum inhians, nunquam conuersus, sensibile aliquid deorsum percipere studet, discere ipsum nequaquam assero*: & infrà, *cum quis ad differendum se confert, absque sensibus ratione duntaxat ad ipsum quod est, quodlibet*, id est, rationē idealem, & incommutabilem, *nititur.* In Theæteto. Quæritur ergo, quis vero similiùs sit locutus? Multi multa hic dicunt. Auicēna censuit ad scientiæ vsum nequaquā prodesse phantasmata: Græci quàm plurimi contendunt eadem menti non adminiculari, cōmunia & incorporea speculanti: qui verò Aristotelem sequi desiderant, non omnes vno modo loquuntur: Aliqui contendunt nullam prorsus modo esse posse intellectionē ab hac conuersione ad phantasmata independentem: alij solam exstaticam contemplationem, quæ diuinitus fit, excipiunt: alij aiunt mentē adhæc phantasmata necessariò debere conuerti, vt inde primùm species intellectiles eliciat; tum vt primas cognitiones ab his dependentes exerceat. D. Thom. 1. p. q. 75. a. 6. ait intelligere cum phantasmate propriam esse operationem mentis vnitæ corpori: at seperatæ aliam fore, nimirum similem angelicæ, ita vt species influxu diuini luminis sit acceptura, vt docet q. 89. a. 1. & 2. Scotus in 1. d. 3. vult modo quidem non aliter nos posse intelligere: sed hoc ex ipsa cæcitate prouenire, quam peccatum primi hominis induxit: verùm prima eiusmodi dissensionis origo ducitur partim ex ipso experimento, quo phantasiæ necessitatem persentimus; partim ex ipsa ratione, quæ suadet multa posse à nobis concipi, quæ phantasiæ captum transcendunt.

Nota duplicem posse sensum intelligi, cùm dicitur mentem, dum contemplatur, ad phantasmata conuerti: primus est, quòd omnis mentis operatio ab iis actu pendeat: secundus, quòd mentis operationem aliqua phantasiæ actio debuerit præcedere, vel concomitetur.

CONCLVSIO: secundus iste sensus verus est: primus probabiliter falsus. Primam partem probo ex duplici capite: *Primùm*, quia mens nostra saltem secundum præsentem statum nullum singulare percipere potest independenter à phantasmate: hoc enim abunde constat propriis singulorum experientiis: tum quia possemus alioquin naturaliter nosse absentiam panis in sacramento altaris, discernere habitus mentis, præ-

ſentiam angeli cuſtodis, &c. aliunde quoque non minùs certum eſt non poſſe nos de rerum communibus rationibus cogitare, niſi per aliquorum ſingularium inſpectionẽ determinemur, vel excitemur: nam ſiue rationes rerum intus habeamus in anima, ſiue ſpecies rerum vniuerſalium à Deo inditas, hæ certè cauſæ vniuerſales ſunt; perſe nequaquã determinatæ, vt hic, & nunc agant: Ergo determinari debent per aliquid magis ex ſe determinatum: talis autem eſt inſpectio ſingularium, quæ hic & nunc in phantaſmate collucent animo. Idem dici debet, ſi admittamus à Deo tunc ſigillari animum lumine ideali, quando ſpeculatur: nam ipſemet Deus, prout nobiſcum iuxta ordinem naturalem operatur, ſemper vt cauſa quædam vniuerſalis agit: ideo non ſeſe determinat ad hic & nunc operandum hoc, vel illud, niſi quatenus hæc, vel illa cauſarum ſecundarum diſpoſitio exigit. Quòd ſi ſpecies deberent è phantaſmate abſtrahi, nulla tunc ratio dubitandi occurreret: Cur verò voluerit Deus modo à nobis ſingulare nullum agnoſci poſſe independenter à phantaſmate, difficile ſcire poſſumus. Vel enim id ſequitur ex imperfectione naturali animi noſtri; vel ex ſola conditione ſtatus præſentis, qui debuit eſſe talis, vt fidei merito non obeſſet: obeſſet autem in rebus plurimis, ſi mens perſeipſam ſingularia quæuis diſcernere potuiſſet: vel forte etiam in pœnam peccati originalis id contigit.

Secundum caput, quo probatur hæc prima Concluſionis pars, eſt mira ſympathia mentis cum corpore, & conſequenter cum phantaſia: vnde fit, vt nihil animus poſſit cogitare, quin phantaſia ſimile quidpiam ſibi fingat: Adde nimiam conſuetudinẽ rebus corporeis adhærendi: vnde D. Auguſt. 8. de Trinit. cap. 2. *Noli quærere*, inquit, *quid ſit veritas, ſtatim enim ſe opponent caligines imaginum corporalium, & nubila phantaſmatum, & perturbabunt ſerenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum dicerem, veritas. Ecce in ipſo primo ictu, quo velut coruſcatione perſtringeris, cùm dicitur veritas, mane ſi potes, ſed non potes. Relaberis in iſta ſolita, atque terrena: quo tandem pondere, quæſo, relaberis, niſi ſordium contractarum cupiditatis viſco, & peregrinationis erroribus?* Idem S. Greg. Naz. de Theol. orat. 2. egregiè confirmat dicens quod *quemadmodum nulla ratione fieri poteſt, vt quiſquam qualibet incedat, vmbram prætereat ſuam: ſic etiam fieri non poteſt, vt qui corporibus incluſi ſunt, ſine corporearum, ac ſenſibilium rerum adminiculo ijs, quæ animo & ratione intelliguntur,* coniungantur: ſemper enim obiter ſenſibile aliquid incidit: quantumuis maximè noſtra mens à rerum adſpectabilium contagione ſeparetur, &c.

Secunda pars quoque probatur, quia quæ ſuperant omnes phantaſmatum vires, ea nequeunt phantaſmatum occurſu dignoſci, ſed multa modo purâ intelligentiâ deprehenduntur, quæ ſuperant omnes phantaſmatum vires: Ergo, &c. deinde id confirmatur experientia: dum enim volumus profunda meditatione aliquid rimari, ſolemus quoad poſſumus ab omni ſenſilium turba, & attentione mentem auertere. Denique mens noſtra *etſi corporalium imaginum quaſi quodam nubilo ſub-*

texitur, non tamen inuoluitur, atque confunditur. Sed interest, vtrum ego sub illa, vel in illa caligine tanquam à cœlo perspicuo secludar, an sicut in altissimis montibus accidere solet, inter vtrumque aëre libero fruens, & serenissimam lucem suprà, & densissimas nebulas subtus aspiciam, inquit S. August. 9. de Trinit. cap. 9. Ideo vbi animus ea parte, qua rerum sensibilium percipiendarum capax est, sufficienter informatus fuerit, tum alterâ, qua cum rationibus æternis connectitur, potest multò nobiliùs perfici: diuina, & non corporea meditando. Simile quid docet D. Dionys. ep. 9. *Par enim erat, vt ipsa vita humana quæ indiuisibilis simul est, & diuisibilis* (alludit ad dictum Platonis ex Timæo) *lucem diuinæ cognitionis, prout ipsi propriè competit, susciperet: & ea pars animæ, quæ à passione libera est,* (intellectiua) *ad simplicia, intimaque sine penitissimè indita deformium imaginum contemplamina dirigatur, atque intendat: ea verò quæ passionibus obnoxia sunt, curaretur: & modo naturæ illius consentaneo ad res diuinas per typica symbola artificiosè obducta pertraheretur: quippe cui huiusmodi operimenta cognata sint, & excitandæ intelligentiæ idonea.*

Confirmatur ex D. August. qui 14. de ciuit. Dei, narrat Presbyterum quendam nomine Restitutum à sensibus sese abstrahere, quando ei allubescebat, consueuisse: & 12. de gen. multa eiusmodi recitat, præsertim de puero, qui frequenter sopitis ob nimium dolorem sensibus, mira spiritu cernebat, atque cum Angelis loquebatur.

Hic tamen quædam cauenda subnoto: *primum*, quòd citra diuinam, angelicam, vel dæmoniacam operam nemo mortalium possit modo sic sese à sensibus abducere, vt sine operatione phantasiæ vel præuia, vel concomitante, res merè spirituales, ac præsertim singulares intuitiuè dispiciat: alioquin prophetiæ, ac raptus possent naturaliter accidere: atque adeo tam in vigilia, quam in somno, vt subdoiè mentitus est Auicenna in gratiam sectæ Mahumetis epileptici: & contrà dictum S. Petri, quòd *voluntate humana non est allata prophetia*. Ideo quod Restituto contingebat, forte Angeli; quod verò illi puero; dæmonis ope factum fuisse credendum est. Hinc tamen patet huiusmodi modum cognoscendi non esse omnino præternaturalem homini.

Secundum, quod notari velim est, quòd sine dubio in statu naturæ integræ, ante corruptas naturæ vires, mens hominis multò liberiùs circa diuina; atque etiam sinceriùs versari potuisset, quam modo, ait enim D. Augustinus 15. de Trinit. cap. 27. *Quæ causa, vt ipsam lucem fixa acie videre non possis, nisi infirmitas? & quis eam tibi fecit, nisi iniquitas?* hoc probari posset ex iis, quæ diximus in moral. cap. 1. §. 3. & cap. 11. §. 1. & 2. sed non vacat dicta repetere. Ita præter Scotum citatum sentit Gerson in centur. 6. partic. & alij.

§. 3.

De Reminiscentia.

IN Logica cap. vlt. diximus quid secundum Platonicos sit reminiscentia: suprà cap. 23. §. 1. etiam insinuauimus, quî à memoria hæc distinguatur. Quamquam autem ea possent sufficere, tamen ad ampliorem notitiam pauca hæc debui subdere: *primo* solere communiter menti attribui memoriam intellectiuam, cuius primum officium sit seruare species intelligibiles; secundum verò, elicere actum reminiscentiæ. Et quia eiusdem est facultatis species recipere, seruare, & iis vti: inde non opus est memoriam eiusmodi ab intellectu distinguere. Si tamen loco specierum admittere velis rationes innatas, cum eæ ab anima realiter distingui non soleant, sequeretur animam ipsam prout his rationibus fœtam, dici posse verum memoriæ: sed si cum Zabarella, Gianninio, & aliis dixeris nec rationes illas admitti, neque species intelligibiles permanentes, fatendum erit intellectum præditum habitu cognitionem semel exercitam iterandi, memoriam dici posse. Quare secundum diuersa principia, diuersa quoque est memoriæ acceptatio.

Secundo notare oportet memoriam intellectualem plurimùm pendere à memoria sensitiua: quam non arbitror posse germaniùs describi, quam hisce verbis Platonis in Theæteto: *Cum in alicuius animo*, inquit Socrates, *cerea effigies* (sic memoriæ organum vocat) *profunda, & multa, & lenis, ac probè subacta est, quæ per sensus influunt, in hoc insculpta, quod Homerus animi cor vocauit, cera hanc similitudinem indicans, vt pote pura signacula, & funditus insidentia, diuturna fiunt; ac primo homines sic instituti dociles sunt, & acuti; deinde etiam memores: postremò simulacra sensuum non commutant, vnde vera nimirum operantur. Nam cùm sint ea perlucida, & ampla in regione, velociter distribuunt, diuiduntque in propriam effigiem singula, quæ quidem existentia, veraque dicuntur: virique tales sapientes iure nuncupantur. Quando igitur densum alicuius est cor, quod sapientissimus poëta laudauit; vel cum lutulentum est, neque ex defœcata cera, vel molle nimis, aut durum non rectè omnino se habet. Nam mollis nimium cera, celeres quidem ad percipiendum efficit: sed eosdem obliuiosos: dura verò contrà, diu memores sed ineptos, tardosque ad percipiendum: & qui densam & asperam, lapideamve, vel terream, vel fæculentam habent, obscura simulacra continent; obscura quoque qui duram: profunditas quippe non adest. Obscura præterea, qui molliorem: nam ex confusione facile euanescunt. Quòd si præter hæc, inuicem quoque congesta sint, ob sedis angustiam, siquidem exigua sit animula, obscuriora quoque illis simulacra fient. Homines ergo huiusmodi omnes, quales descripsimus, ad opinionem falsam proni redduntur: nam cùm quid vident, aut cogitant, quia singula singulis reddere nequeunt, tardi sunt, & præuaricantur: peruersè enim vident plurima, audiunt, & aliud sæpe pro alio cogitando concipiunt.* Ita Plato sub ceræ comparatione organum

memoriæ sensitiuæ optimè describit: videtur illud in corde constituere, vt aliàs diximus: licet explicari sic possit, vt metaphoricè ipsum cerebrum cor animæ vocare voluerit.

Porro in memoria intellectiua conseruari dicimus prima principia, cùm speculatiua; tum practica rerum sciendarum ab homine, aut agendarum. Illa sub habitu intelligentiæ, vel primorum principiorum communiter indicantur: ista sub nomine iuris naturalis primarij. Vtraque naturaliter nota sunt, nec possunt ignorari, vt diximus partim in Logica cap. 52. partim in moral. cap. 12. vbi diximus non posse inculpabilem accidere ignorationem iuris naturalis, nimirũ primarij, quod in his primis principiis practicis consistit: alioquin enim ius naturale secundarium, quod vel ius gentium dicitur; vel quidpiam ex primis illatum, inculpatè ignorari posse nihil vetat.

De voluntate nihil hic subdemus: sat enim multa de hac in moral. cap. 14. vsque ad 17. diximus. Et quod hic solet quæri, an ipsa realiter à libertate distinguatur, sufficienter inde solui potest: voluntas enim primò ex natura ordinatur necessariò ad finem, siue ad bonum vt sic: & sic dicitur voluntas vt natura: deinde eadem ordinatur ex seipsa, non necessariò ad media; seu ad hunc vel illum actum: & vocatur vis electiua, siue liberum arbitrium, siue libertas, quæ in indifferentia quidem actiua consistit, sed negatiua, vt volunt Thomistæ, quemadmodum diximus in moral. cap. 14. nec opus est hic plura subdere. Ergo eadem omnino facultas est, quæ & natura, & libertas consideratur. Hac itaque prærogatiua suam Deus in nobis insigniuit imaginem, liberos nos primùm efficiens, vt tamen in cœlo faceret deiformes. Vtinam hac sic vtamur, vt Deo in æternum fruamur, cui gloria in secula seculorum. Amen.

CAPVT XXIX.

DE PRIMO COGNITO intellectus.

DISSERTATIO PLATONICA.

§. I.

Peripateticorum dissensiones.

PRIMVM cognitum potest tripliciter intelligi: quod enim potest ab intellectu percipi, est primum vel dignitate, vel specificatione, vel origine: primum dignitate sine dubio est Deus. Primum specificatione est id quod alioquin vocatur obiectum adæquatum, à quo

vtique primò, ac præcipuè specificatur potentia intellectiua: & tale communiter dicitur ens vt sic, quatenus verum. Primum origine est id, quod primo loco ab intellectu percipitur: antequam illud comprehendat: De hoc solo digladiantur Peripatetici.

Scotus, Gregor. Arim. &c. volunt primum, quod actu cognoscitur ab intellectu esse speciem infimam: imo & singulare, quia nimirum id videtur esse primum, quod in phantasmate exhibetur & ex eo excerpitur: adde, id esse primò cognitum, quod fortius mouet animum: tale autem est singulare, quia magis est actu. *in 1 d. 3. q. 2.*

Ex opposito stant S. Thomas in procem. phys. 1. p qu. 85. art. 1. Alb. Magn. Themist. &c. qui volunt ens vniuersale ac maximè indeterminatum esse primũ cognitum. Ratio huius opinionis est *primo*, quia omne agens ducens aliquid ex potentia ad actum, prius origine producit actum imperfectum, mox perfectum. At notio vniuersalioris est imperfectior. Ergo. *Secundo*, illa notio, quæ pauciora includit actu; quæ est simplicior; cuius accidentia efficaciùs, & per maiorem distantiam mouent sensum; quæ est magis totum & confusum: cuius singularia faciliùs apprehenduntur; quæ ex pluribus potest elici; quæ supponitur aliis; & supponit nihil: huiusmodi notio faciliùs abstrahi, ac nosci potest, estq; ideo prima. Sed notio cõmunior est eiusmodi: nam experimur, quòd si eminus prospicimus Alcibiadem, primò noscimus eũ esse corpus; deinde animal, tum hominem, &c. Quòd si gradus corporis longinquiùs mouet sensum, certè etiam cominus mouebit vehementiùs: tum is est, qui vim habet primò & faciliùs determinandi iudicium mentis: similiter si viridarium ingrediar, primò discerno plantas esse, tum herbas, ac deinceps tales aut tales species, &c. Ex his patet falsum esse, quod aiunt Scotistæ, singulare fortius mouere sensum. Contrarium enim patet ex dictis. Ad illud verò, quòd notio rei singularis faciliùs, & priùs excernatur à phantasmate, Respondent Thomistæ id falsum esse, vt suprà vidimus: vide D. Thomam 1. p. q. 85. a. 3.

Ex hac doctrina Henricus Gandau. altiùs assurgit, & concludit Deum ipsum esse primum cognitum nostri intellectus. Ideo supponit duplicem esse Dei notitiam, vnam naturalem; alteram rationalem: prima est quædã notio Dei contenta in primis, & naturalibus notionibus conceptuum communiorum entis: cuiusmodi sunt, quando concipio quidpiam sub ratione entis vt sic; aut vt bonum, iustum, viuens, &c. hi enim conceptus Deum saltem implicitè repræsentant & cognitione simplici, & in communi, ac sine reflexione quòd cognoscatur Deus: notitia rationalis ea est, qua ex rebus creatis mens nostra distinctam Dei cognitionem ratiocinando venatur. Hac cognoscitur Deus sub propria, & distincta notione Dei; & cum reflexione, quòd ipse cognoscatur. *in Summa a. 24. q. 7.*

Secundo supponit duplicem esse indeterminationem formæ vniuersalis: primam priuatiuã vocat, qua quidita commune est, vt sit aptum determinari ad hoc aut illud quemadmodum diximus in Logica de vniuersali Physico. Secundam vocat negatiuam, qua forma à multis parti-

„ cipabilis, consideratur vt per se existens: sicut ipsum bonum, ipsum verum, &c. & hoc respondet vniuersali metaphysico Platonico, vt diximus in Log. cap. 10. §. 3. Indeterminatum primo modo est quid confusum, in multis dispersum, vel per ordinem ad multa cognitum: indeterminatum secundo modo est quid distinctum, ac maximè vnum, multorum tamē participandorum principium: ideo huius conceptus aptum Dei repræsentandi characterem gerit. Hoc posito

„ Sic probatur Henrici opinio: vt sensus, ita & intellectus naturali cognitione semper inchoatur à magis indeterminato, vt probatum est suprà ex S. Thoma: & licet simul tempore gradus determinati cum indeterminatis cognoscantur; tamē priùs naturâ hi occurrunt animo, quàm illi. Ita dę vnoquoque mens priùs intelligit, quòd sit ens, quàm quòd sit hoc, vel illud ens: quòd sit bonum, quam quòd tale, aut tale bonum. Ergo conceptus simplices primarum notionum entis, quibus vera Dei notitia continetur, priùs naturaliter formantur ab animo, quam magis compositi, & determinati: illisque repræsentantur simpliciter gradus diuini, nimirum cum indeterminatione negatiua, quia dum notionem entis format vt sic: illud non considerat, vt est commune multis.

„ Ita nihil in rebus creatis concipere potest mens humana, vt bonum, vt verum, vt iustum, vt pulchrum, vt ens, &c. nisi naturaliter priùs, licet quandoque simul tempore, cognoscatur id, quod est per se, ac simpliciter bonum, verum, iustum, pulchrum, ens, &c. *vt in ipso Deo sit principium, & finis nostræ cognitionis; principium quoad eius notionem generalissimam; finis quoad eius nudam visionem particularem: atque ita sit principium, & finis rerum omnium in esse cognoscitiuo, sicut est principium & finis earum in esse naturæ.*

„ Præterea non potest de creaturis cognosci id quod earū est proprium, nisi priùs cognoscatur, quod est proprium Dei: etenim iam constitit non posse elici conceptum rei singularis, nisi priùs naturâ formetur conceptus rei vniuersalis, siue re, siue ratione distinctus: non potest autem formari conceptus rei vniuersalis, quatenus is est proprius creaturæ, nisi formetur eadem de re conceptus proprius Dei: etenim conceptus rei vniuersalis, quatenus est proprius creaturæ, in eam rem fertur, quatenus ea forma quædam est apta esse in hoc, & in illo supposito: conceptus verò proprius Dei est, qui fertur in ideam huiuscemodi rei: nam hæc Deus est: fertur autem in eam, quatenus concipitur forma secundum se, v. g. ipsa bonitas; ipsa humanitas, &c. atqui non possumus concipere aliquid cum ordine ad aliud, nempe vt aptum esse in hoc vel in illo, &c. nisi priùs concipiatur secundùm suum esse absolutum, seu quatenus ipsum. Ergo conceptus Dei semper naturâ prior est conceptu reliquorum.

„ *Confirmatur*, quia vel notiones intellectûs nostri veniunt immediatè à Deo per irradiationem idearum, vt volunt Platonici; vel per quandam eliquationem, & sublimationem phantasmatis, vt volunt Peripatetici. Si primum, certè conueniens est, vt id à quo mens nostra incipit illumi-

nari, sit quoque primum nostræ illuminationis obiectum. Si secundum, etiam debet id primum per intellectum ex phantasmate excerni, quod per ipsum adumbratur minùs cõtractè; quodque in eo indeterminatius, atque abstractius intermicat: sed quod eiusmodi est, Dei notio est: ergo. Ita species hinc abstracta priùs naturâ conceptum parit entis, vel boni, vel vnius vt sic, &c. quam conceptum quidditatis specificæ, vt hominis, temperantiæ, &c.

Vlteriùs. sicut dum lucem videmus coloribus mixtam, lux priùs natura percipitur à visu, & per eam iudicamus de coloribus: ita tamen vt propter densitatem, & corpulentiam subiecti colorati, quæ lucem contegit, distinctiùs de coloribus, quam de luce iudicemus: sic intellectus in rebus participatis, lucem formæ participabilis primo videt, quamquam videre eam se non aduertat. Videt confusè, ac in actu exercito ipsius per se entis, per se boni, &c. ideas, & rationes: ac per eas de quolibet ente, de bono, &c. iudicat: illas interim non videt in actu signato, seu reflexo ob illarum subtilitatem, simplicitatem, ac sublimitatem: secus solùm nobis videmur percipere res creatas, vtpote crassiores, obscuriores, atque tenui nostro intellectui affiniores, &c.

Ita verissimum est quod ait tam sæpe D. August. non posse quidquam veri verè cognosci, nisi in prima veritate: *Bonum hoc, & bonum illud. Tolle hoc & illud & vide ipsum bonum, si potes, ita Deum videbis, non alio bono bonum; sed bonum omnis boni: Neque enim in his omnibus bonis, vel quæ commemoraui, vel quæ alia cernuntur, siue cogitantur, diceremus aliud alio melius, cùm verè iudicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod & probaremus aliquid, & aliud alij præponeremus*. 8. de Trinit. c. 3.

§. 2.

Quod rationes æternæ, siue ideæ sint proprium, & adæquatum obiectum intellectus nostri.

HACTENVS vidimus Deum esse primum cognitum dignitate, & origine; nunc paucis perscrutemur, an dici queat saltem ratione idearum, quas continet, primum cognitum in genere obiecti specificatiui.

Affirmant profectò Platonici omnes, & vel solus Plato hic sufficiet. In 6. enim de Rep. duplex intelligibile memorat: vnum primum, & alterum secundum: hoc potissimum in rationibus mathemamaticis constituit; de quibus longa posset texi oratio, sed tota extra propositum excurreret. Ideo his omissis, ad primum intelligibile redeo, quod Plato dixit ideas omnes in diuina mente resplendescentes continere: Ideo ibidem docet mentem primam, siue Deum ipsum omnis veritatis, & scientiæ authorem esse: in eo veritatem & ens intelligibile emicare, à quo rebus intelligendis esse, atque essentia impertiuntur. *Ani-*

,, *mus*, inquit, *quando illi inhæret, in quo* VERITAS, ET ENS *emicat; intelligit illud, cognoſcitque, & intellectum habere videtur. Sed cum ad id fertur, quod tenebris eſt permixtum, quod videlicet generatur, atque corrumpitur, eius obtunditur acies: opinioneſque verſat varias, ac mentis expers eſſe videtur. Illud igitur quod veritatem illis quæ intelliguntur præbet, & intelligenti vim ad intelligendum porrigit, ideam boni dicito, ſcientiæ, & veritatis intellectæ cauſam. Cum verò adeo pulchra hæc duo ſint, & veritas: ſi bonũ iſtud aliud, quam iſta, & pulchrius æſtimabis, rectè putabis. Et quemadmodum lumen ac viſum, ſolis ſpeciem quandam habere decet credere: eſſe verò ſolem ipſum nequaquam: Ita cognitionem, & veritatem boni ipſius ſpeciem quidem aliquam; eſſe verò ipſum minimè.* Legantur cætera cum iis quæ diximus in Log.c.57.§.1.c.41.45.53.& in Moral.c.7.§.2.& aliàs

Sed age videamus modo, an rationibus ſuaderi id valeat. Certè omnia mihi videntur in hanc ſententiam mirum in modum conſpirare. Sed tamen prius notari peruelim dupliciter conſiderari poſſe hominem: *Primo*, Secundum ſtatum in quo modo verſatur: & reſpectu eorum, quæ communiter contingunt: *Secundo*, Secundum ſpeciem ſuam, & reſpectu eorum, quæ propriè debentur naturæ rationali, quatenus talis eſt: Si primo modo ſumatur, admittenda erit ſententia D. Thomæ dicentis primum obiectum intellectus, prout communiter ipſum pro ſtatu corruptelæ, in qua degimus, mouere ſolet, eiuſque communiores notiones terminat, eſſe quidditatem rerum, quatenus ex reflexione ſuper phantaſmata mens aliquid ſimile, ipſumq; adeo vniuerſale phyſicum ſibi format & concipit: at ſi *primo* modo ſumatur, obiectum primum dicendum erit id, ad quod primariò, principaliter & per ſe cognoſcendum ordinatur facultas intellectiua hominis: non ſolum vltimò pro ſtatu beatitudinis acquiſitæ: ſed etiam in præſentia pro ſtatu beatitudinis obtinendæ. De hoc ergo veram eſſe Platonicorum ſententiam arbitror, ad quam probandam paucas ex multis rationes eligam.

PRIMA RATIO ducetur ex ipſa perilluſtri hominis prærogatiua, qua ipſe fulgentem in ſe Dei gerit imaginem. Hinc ſic liceat argumentari, vt ad imaginem Dei compoſiti verè ſimus, oportet vt ipſi ſecundum expreſſam ſimilitudinem conformemur. Sed nuſquam meliùs: imò vix aliter poſſumus diuino verbo conformari, quam per ſolam idearum cognitionem. Ergo, &c. Ma. explicatur aureo diſcurſu D. Thomæ q.10 de verit. art.7. *Dicendum*, inquit, *quod rationem imaginis ſimilitudo perficit, non tamen qualibet ſimilitudo ad rationem imaginis ſufficiens inuenitur, ſed expreſſiſſima ſimilitudo per quam aliquid repræſentatur ſecundum rationem ſpeciei ſuæ, & ideo in corporalibus imagines rerum attenduntur magis ſecundum figuras, quæ ſunt ſpecierum propria ſigna, quam ſecundum colores, & alia accidentia. Inuenitur autem in anima noſtra aliqua ſimilitudo Trinitatis increata, ſecundum quamlibet ſui cognitionem, non ſolum mentis, ſed etiam ſenſus, vt patet per Auguſt. 11. de Trinit. ſed in illa tantum Dei cognitione mentis, imago Dei reperitur, ſecundum quam in men-*

te nostra expressior Dei similitudo inuenitur: vt ergo cognitionem mentis secundum obiecta distinguamus, triplex cognitio in mente nostra inuenitur. Cognitio scilicet, qua mens cognoscit Deum, & qua cognoscit seipsam; & qua cognoscit temporalia: In illa cognitione, qua mens temporalia cognoscit, non inuenitur expressa similitudo Trinitatis increatæ, neque secundum conformationem, quia res materiales sunt magis Deo dissimiles, quam ipsa mens: vnde per hoc quod mens earum scientia informetur, non efficitur magis Deo conformis. Similiter neque secundum analogiam: eò quòd res temporalis, quæ sui notitiam parit in anima, vel intelligentiam actualem, non est eiusdem substantiæ cum mente; sed extraneum à natura eius: & sic non potest per hoc increatæ Trinitatis consubstantialitas repræsentari: sed in cognitione, qua mens nostra seipsam cognoscit, est repræsentatio Trinitatis increatæ secundum analogiam, in quantum hoc modo mens cognoscens seipsam, verbum sui gignit, & ex vtroque procedit amor, sicut Pater seipsum dicens, verbum suum genuit ab æterno, & ex vtroque procedit Spiritus Sanctus: sed in cognitione ipsa, qua mens ipsum Deum cognoscit, mens ipsa Deo conformatur, sicut omne cognoscens, in quantum huiusmodi assimilatur cognito. Maior autem est similitudo, quæ est per conformitatem, vt visus ad colorem, quam quæ est per analogiam, vt visus ad intellectum, qui similiter ad sua obiecta comparatur: vnde expressior similitudo Trinitatis est in mente, secundum quod cognoscit Deum, quàm secundum quòd cognoscit seipsam. Et ideo propriè imago Trinitatis est in mente, secundum quod cognoscit Deum primò, & principaliter. Hactenus D. Thomas.

Ex his euidenter, necnon efficacissimè hoc saltem conuincitur, quòd mens quæ germanam Dei gerit, exprimitque imaginem, debeat iis ipsis adhærere, quæ vel Deus ipse sunt; vel in Deo iisque conformis euadere per actualem, vitalemque, & notionalem expressionem, conformitatem, similitudinemque, sicut oculus per visionem conformatur coloribus. Hæc enim similitudo omnium nobilissima expressissimaque est, cùm per illam, cognoscens, rationem ipsam, veritatemque obiecti per quandam notionalem identitatem omni materiali vnione longè maiorem intimè hauriat, possideat, in eam transformetur, idemque quod illa euadat iuxta illud Apostoli, *gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur.*

Quòd autem talis conformatio non fiat per qualemcumque notitiam; sed per immediatā Dei, vel rationum incōmutabilium, quæ in Deo sunt, perceptionem, qua videlicet ea ipsa, quæ in diuino verbo sunt, immediatè, & ratione sui conceptum mentis nostræ terminant: patet quia illi soli obiecto per cognitionem assimilamur, cuius similitudinem formamus, illud intelligendo: atqui formamus imaginem eius tantum rei, quam immediatè cognoscimus, & quæ immediatè terminat conceptum nostrum: vt si lapidem cognoscimus, ei similitudine vitali conformamur, quatenus expressam eius speciem intus gignimus, qua is immediatè repræsentatur. Non ergo sufficit Deum nosse per creaturas, quæ ipsius gerunt imaginem, vt ei di[illegible]mur instar imaginis conformari: alio-

quin bellua euaderet deiformis, cum videt solem, qui splendidissima imago Dei est: & Angelus videndo solam hominis mentem, Deo euaderet similis, quia videret aliquid, per quod, & in quo aliqualis Dei similitudo refulget. Igitur, vt Deo propriè per modum imaginis, & non per modum vestigij, aut vmbræ conformemur, debemus immediatè Deum posse cognoscere, vel ea quæ in Deo comprehenduntur.

Hinc S. Augustinus in 12. de Trinit. c. 7. exponens illud D. Pauli col. 3. *Induite nouum hominem, qui renouatur in agnitione Dei, secundum imaginem eius, qui creauit illum*; subdit hæc verba: *Si ergo Spiritu mentis nostra renouamur: & ipse est nouus homo, qui renouatur in agnitione Dei secundum imaginem eius, qui creauit eum, nulli dubium est, non secundum corpus, neque secundum quamlibet animi partem; sed secundum rationalem mentem, vbi potest esse agnitio Dei, hominem factum ad imaginem eius, qui creauit eum*: & paulò pòst, *vt non maneat imago Dei, nisi ex qua parte mens hominis æternis rationibus conspiciendis, vel consulendis adhæserit.*. Sed adhuc clariùs qq. 33. q. 51. *Cum homo possit particeps esse sapientiæ secundum interiorem hominem: secundum seipsum, ita est ad imaginem Dei, vt nulla creatura interposita formetur*. Et paulò pòst: *Ergo iste etiam spiritus ad imaginem Dei nullo dubitante factus accipitur, in quo est intelligentia veritatis, hæret enim veritati nulla interposita creatura.* Ex quibus verbis inferre oportet: *primo*, quòd ipsa substantialis, seu habitualis imago Dei, quæ à creatura rationali separari non potest, consistit in eo, quòd posit ipsa Deum, siue incommutabiles eius rationes immediatè cernere, consulere, &c. *secundo*, quòd huic habituali imagini debeatur, ceu proprius eius actus, ipsa actualis Dei, siue rationum illarum contemplatio: *tertio*, quòd actualis huius imaginis prerogatiua concessa olim Adamo fuerit; & modo à Christo Domino per gratiam in multis renouata. Hæc sanè conuincuntur ex dictis D. Pauli, & D. Augustini sententiis: vnde fatendum quoque est, quòd per sanctum Augustinum modo videri queant rationes æternæ à mentibns nondum gloriæ vestibulum ingressis. Imo in multis locis fatetur ipse, quòd mentibus impiorum aliquando, licet rarò, lumen suum Diuinus ille Sol, ac misericors Dominus oriri faciat vti notauimus in Log. c. 45. §. 3. & supra c. 26. §. 2. Nec immeritò, quia si ea homo per naturam prærogatiua donatus sit, vt posit etiam hic in via diuina secundum se contemplari, diuinæ sapientiæ videbitur maximè consentaneum, si saltem aliquando actum Deus indulserit huic potentiæ competentem. Et inhæsitanter affirmare poterimus rationes illas ita percipere, non esse omnino præter ordinem naturalem. Possem istud ex eo roborare, quód multi locupletissimi Doctores velint horum verborum *creauit Deus hominem ad imaginem suam*: sensum esse, quòd Deus hominem formauerit iuxta verbum suum, quod ipsa est prima, & personalis imago Dei. Ita Eugub. in Cosmop. citatque Philonem, & addit hanc fuisse communem Græcorum sententiam εἰκὼν θεοῦ λόγος ὁ θεῖος, εἰκὼν δὲ εἰκόνος ἀνθρώπινος νοῦς: *imago Dei verbum Diuinum*; *imago verò imaginis humana mens*: perinde ac si homo eatenus fuisset ad imaginem

Dei confictus, quatenus verbo diuino conformari ipsisque rationibus ““ æternis, quæ in eo sunt adhærere, connectique per immediatam conuer- ““ sionem poterat. Huc accedit quod ait S. Aug. q. 83. q. 51. *Sũt etiam qui nõ frustra intelligant duo dicta esse: ad imaginem, & similitudinem, cùm si vna res esset, vnum nomen sufficere potuisse asserant, sed ad imaginem mentem factam volunt, quæ nulla interposita substantia, ab ipsa veritate* (quæ appropriatur Verbo diuino) *formetur.* Huc congere quæ suprà c. 2. §. 2. arg. 4. Denique hinc Gerson serm. in cœna Dom. pro humil. conclusit, quod ““ cum ab esse ideali prodierit quidquid extrinsecus fit in esse reali, soli tamen creaturæ rationali ad illud redire per intelligentiam ac rationem datum sit, atque hinc ad imaginem Dei, & similitudinem facta esse affirmetur. ““

Secvnda Ratio desumitur ex natura verbi, quod intelligendo intus apud nos producimus: vidimus suprà in eo præcipuè veram, genuinam, ac vitalem expressionem, similitudinemve contineri, vt autem vera sit similitudo, debet obiectum, cuius similitudo est, reuera tale assignari, quale repræsentatur, alioquin esset fallax, & mendax. Quamobrem debet semper omni vero verbo aliquid respondere, quod sit ab ipso distinctum, & per se, ac secundum naturam tale, quale repræsentatur: si quid autem sit quod huic imagini tanquam proprium & reale exemplar responderit: certe id immediatè cognitum esse dicetur.

Hinc ita liceat argumentari, quoties rationes rerum distinctè, atque sincerè in abstracto concipimus, ita vt eas tanquam per se subsistentes conspiciamus, atque adeo sine vllo finito, ac numerabili supposito; toties verba interna producimus, quæ similitudinem idearum, quasi animo intimè præsentium gerunt, ac repræsentant. Ergo ideæ tunc verè & immediatè secundũ se cognoscuntur. Antecedens vix poterit in dubium reuocari, si rite ponderetur, v.g. cogites ipsum per se hominem; ita cogitando, verbum paris, quod sit imago, atque similitudo viuax, & expressa ipsius puræ, sinceræque rationis hominis, prout ab omnibus, quæ non sunt hominis, præcisa est, omniaque quæ sunt hominis complectitur, & per se intelligibilis est. Ergo debet esse quædã talis ratio realis, ac realiter à verbo tuo distincta, quę sit propriũ, ac genuinum illius conceptus obiectum sine vlla fictione, aut falsitate: atqui nihil potest tale constitui præter ideam diuinam: ea enim vere est ipsa pura, & sincera hominis ratio, per se ab omnibus conditionibus indiuiduantibus hominis præcisa, realis, ac per se intelligibilis, &c. neque vlli alteri tota hæc descriptio competit.

Rursus obiectum talium abstractionum, est obiectum proprium & adæquatum intellectus, quia cum sit potentia immaterialis, exinde habet, vt naturâ suâ capax sit percipiendi ea, quæ à materiali quauis conditione, atque limitatione abstracta sunt, nimirum à proprietatibus indiuiduantibus, à loco, tempore, &c. Sed nihil potest verè huiusmodi esse, præter rationes ideales. Possumus sanè cõcipere naturas sic abstractas: sed vt conceptus ille verus sit, id quod concipitur, debet esse à conceptu

distinctum, & independens, eoque prius ac perennius: id autem quid nisi idea?

Confirmatur, quia cognitioni perfectissimæ mētis non debet minor veritas ex parte obiecti adesse, quam cuilibet cognitioni sensus: sed cognitioni sensus respondet obiectum per se subsistens. Ergo. Certè alioquin omnis perfecta mentis intelligentia, qua ratio rei cuiusque vt per se subsistens comprehenditur, similis esset cognitioni phantasticæ, qua spectra inania sensibus supponuntur.

Ita ergo verissimum est quod perpetuo D. Augustinus inculcat. *In Dio*, inquit, *conspicimus incommutabilem formam iustitiæ, secundum quam hominem viuere oportere iudicamus.* Item, *neque oculis corporeis multas mentes videndo per similitudinem colligimus generalem, vel specialem mentis humanæ notitiam: sed intuemur inuiolabilem veritatem, ex qua perfectè, quantum possumus, definiamus non qualis sit,* &c. tandem paulo post explicans, quænam sit hæc notitia, subdit: *In illa igitur æterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam, secundum quam sumus, & secundum quam vel in nobis, vel in corporibus vera, & recta ratione aliquid operamur, visu mentis adspicimus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam tanquam verbum apud nos habemus.*

Tertia Ratio desumetur ex natura veri vniuersalis. Suppono autem *primò*, obiectum proprium intellectus esse *verum ens vniuersale*, eo enim distinguitur à sensu, vt diximus suprà c. 25. §. 1. Et patet ex D. Th. 1. p. q. 84. dixi *verum ens vniuersale*, vt insinuem non satis esse, si vniuersale fuerit, & ab omni conditione materiali detersum: sed debet esse *verum ens*. Atqui ostendimus in Log. c. 37. §. 1. vera entia in solis ideis reperiri, vbi nimirum omnem habent integritatem, puritatem, & luciditatem.

Suppono *secundo*, ipsam propriè rei sic vniuersalis quidditatem esse obiectum primum & specificatiuum intellectus. Hinc D. Thom. q. 10. de veritate a. 4. ad 1. distinguit intellectum à sensu, quòd *obiecta imaginationis, & sensus sunt quædam accidentia, ex quibus quædam rei figura, vel imago constituitur: Sed obiectum intellectus est ipsa rei essentia, quamuis essentiam rei cognoscat per eius similitudinem, sicut per medium cognoscendi, non sicut per obiectum in quo primo fertur eius visio.* Et paulò pòst: *similiter intellectualis visio in hoc transcendit imaginationem, & sensum, quod ad illa se extendit, quæ per essentiam suam sunt intelligibilia: & ideo hoc ei attribuit August. quasi proprium.* Hactenus ille: vnde sic liceat argumentari: obiectum proprium & primū intellectus nostri est ens verum, reale, vniuersale, quidditatiuum, ac denique per essentiam suam intelligibile. Sed tale solum est ens ideale. Ergo hoc solùm est obiectum proprium, & primum intellectus. Ma. patet ex præsuppositis. Mi. etiam pluries probata manet ex iis quæ diximus in Logica c. 37. §. 1. & 41. §. 5. &c. Et paucis modo sic confirmatur: tria sunt, quibus hæ omnes conditiones competere possint: primum, quidditas rerum inclusa materialibus singularium suppositorum inuolucris: secundum, eadem vt ab intellectu cogni-

ta: tertium, ratio idealis. Quidditas in primo statu, est quid contractum, & indiuiduatum, corporeis inuolucris obtectum, veritatem non participans, nisi secundariò & impropriè, nihil denique habens lucis intellectualis. In secundo statu nihil noui & excellentioris acquirit: solumque deponit inuolucra. Quòd si ab intellectu concipiatur, vt quid vniuersale & materiale: quod obiectiuè obuersatur animo id cogitanti, cum debeat esse aliquid distinctum à conceptu & ab ipso animo, qui concipit, vel est idipsum, quod latet sub conditionibus indiuiduantibus; vel quod fulget in ideis. Si primum: ergo conceptus ille falsus erit, quia quod est in re, non adæquat id quod in animo est. Si secundum, ergo proprium vniuersale, quod est obiectum talis conceptus abstractiui, est ens ideale.

Confirmatur primò, quia, cùm quidditas rerum præsertim materialium, ex se, vt est sub esse naturali, non participet intrinsecè lucem veritatis incorporeæ, qua fiat per se intelligibilis, nec totalitatem essentiæ, qua sit verè vniuersalis: ab intellectu primò & principaliter ea participare non potest. Lucem quidem ab eo forte aliquam posset mutuari: sed externa hæc est; à diuina deriuata; & quæ videri non possunt, nisi quæ luce interna per sese intelligibilia sunt: Est enim lumen intellectus sicut lumen oculorum, quo videri nihil potest, nisi quod proprio suo lumine per se visibile supponitur: at totalitatem essentię, qui ab intellectu ea carente desumet? Restat ergo eiusmodi quidditatem per simplicem abstractionem non posse fieri verum ens vniuersale, per essentiam intelligibile, &c. Quamobrem solum id ideis competat, necesse est.

Et verò quidni verum vniuersale in ideis constitui asseremus? Neque enim id cogitatu difficile apparebit, si definitionem veri vniuersalis velimus exactiùs ponderare. Cùm dicitur *vnum aptum inesse multis*, duobus modis potest id intelligi: primo vt sit vnum aptum inesse multis per identitatem: *secundo*, vt sit vnum aptum inesse multis per participationem: primum repugnat esse verum: quia repugnat in creaturis vnum identificari cum multis reipsa distinctis, quin suam perdat vnitatem, & euadat multiplex: secundum repugnat non esse verum: quia repugnat aliquid posse participari à multis, quin sit in se aliquid vnum, & communicabile multis, & quin contineat in se totalitatem omnium participabilium proprietatum. Ergo vniuersale primo modo falsum simpliciter, imò per essentiam falsum, & impossibile: secundo modo per essentiam verum, & necessarium. At solæ ideæ sunt vniuersales hoc secundo modo, vt ex se constat.

Confirmatur, Vniuersale dicitur fieri ab homine, quatenus is concipit v. g. rationem hominis secundum se, & deinde in ea fingit relationem ad multa: sed nihil est in eo conceptu, quòd non multò veriùs, & efficacius reperiatur in conceptu, quo Deus eandem rationem hominis sic præcisam contemplatur. Conceptus autem is, Idea est. Ergo quidni tam verè, ac tam propriè vniuersale in idea erit? Ma. certa est. Mi-

» probatur *primò*, homo sic præscindens facit ens rationis, imo falsum, » nisi supponatur concipere ideam ipsam: concipit enim naturam secundum se, ac præcisam quæ nusquam sic est, nisi in ideis: *secundò*, » affingit relationem, quam omnes fatentur esse fictitiam: *tertiò*, talis na- » tura dicitur esse mensura omnium singularium: *quartò*: dicitur esse immutabilis, æterna, &c. Hæc duo postrema facile probaremus falsa » esse omnino, nisi de ideis intelligantur: sed quia hoc cuique sat potest » esse in promptu: ideo hic omittimus.

» Ratio verò hominis prout à Deo concipitur, primum est vera homi- » nis essentia: quia *secundum positionem fidei, res veriùs sunt in verbo* » *quam in seipsis*, ex D. Thom. de verbo a. 6. *Secundo*, præcisio ab om- » nibus indiuiduantibus materiæ conditionibus verissima est. *Tertio*, re- latio communicabilitatis non solum ad multa, sed ad omnia indiui- » dua maximè realis est, siue formaliter, siue eminenter. *Quarto*, est » verè mensura cæterorum. *Similitudinem enim rerum in verbo existen-* » *tes sunt mensura veritatis in rebus omnibus*, D. Thom. cit. Denique æ- ternam eam esse, & incommutabilem quis negabit, nisi Atheus? Quid » restat itaque? vide quæ diximus in Logica cap. 8. §. 4. sub finem. » Deus ergo merito ens entium appellatur, *comprehendens incircumscrip-* » *tè in seipso, ac superapprehendens omne omnino velut pelagus substantiæ in-* » *finitum & immensum*. Atque hinc est, quòd D. Dionys. rerum quæ

S. Dionys. 5. de Diu. Nom. D. Damas. l. de fide c. 12

» in Deo, vel per Deum subsistunt, quinque ordines numerat, cum ait: *Deus ipse bonus ipsorum quoque primorum constitutor ὑπερουσίως prædicatur:* » *deinde ipsorum vniuersorum: subinde ipsorum particularium: deinde* » *eorum quæ vniuersa participant: deinde eorum quæ particularia participant.* Quibus verbis, quid sibi velit, non satis vidi ab eius interpretibus ex- » pensum: cùm enim nihil reale sit extra Deum, quod particeps diuini » alicuius muneris non sit, cur vniuersa, & particularia ab iis distinxit, » quæ illa participant? Dico tamen breuiter verissimum sensum esse, quod omnia in eo verè præsint à primis ad vltima: per prima verò in- » telligit ideas communissimas, vt ipsam vitam, ipsum bonum, &c. per » vniuersa, ideas generum & specierum: per particularia, ideas singu- lorum, per ea quæ participant vniuersa, multitudines rerum creata- » rum sub aliquo vno genere contentas: per ea quæ participant ipsa par- » ticularia, res singulas. Tria prima vult in Deo subsistere verè secundùm » esse ideale indistinctum per exemplarem formationem: duo postrema secundum esse naturale distinctum, per ideatam creationem, quatenus » nimirum ea iugiter quasi creando sustentat, & continet.

» Ita ergo in Deo vera vniuersalia debemus admittere. Neque profe- ctò quidquam valet, quòd nonnulli obiiciunt, ideas in Deo esse sicut fi- » guras in sigillo, quæ profectò singulares quoque sunt in essendo. Licet » vim habeant [illegible] imprimendi, exprimendive. Itemque id omne sin- » gulare in essendo euadere, quod idem est cum singulari. Quamobrem » cum Deus si[t] singularis, & ideæ sint ipse Deus, inferunt non esse ideas in essendo vniuersales. Sed falluntur profectò illi grauissimè, quòd Deum

concipiant, velut ſuppoſitum aliquod vltimo limitationis gradu finitum, cuius circumſcriptione etiã ad pares limitationis anguſtias finiantur quæcumque in eo verè inexiſtunt. Negatur ergo paritas: figura ſigilli, quia recepta in ſubiecto limitata & actione ſingulari edita, ſingularis quoque eſt, ſicut illa vel illæ quas imprimit: ſecus ideæ. Ea quoque quæ cum ſingulari eiuſmodi finito ſunt idem, vt natura corporis, viuentis, animalis, &c. indiuiduantur: at quæ cum vniuerſaliſſimo, & omnium vniuerſalium fonte conſpirant, certè vniuerſalia eſſe oportet. Maneat ergo fixum, ac ratum, vera entia vniuerſalia, ſolùm contineri in ideis: atque ideo eas eſſe verum proprium, atque adæquatum obiectum intellectus.

Sed reſtat vulgaris & communis interrogatio, quomodo videri à nobis ideæ valeant, quin Deus ipſe videatur? Reſpondetur id quod iam in Log. cap 9. §.3. diximus. Quod ne repetam, ſolùm hic breuiter addam cognoſci quidem diuinum, id eſt, quod D. Dionyſ. cap. 5. de diuin. nom. vocat δηλαδὴ προϋπαρκτικὴν, quaſi ſpeciem, ſiue lucidiſſimum quoddam ſpectaculum ſuarum rationum incommutabilium: at non eſſentiam ipſam diuinam. His conſentit D. Cyrillus Alexand. in cap. 9. Ioan. cum ait *à Deo ineffabilis ſui ſplendoris lucidos veluti quoſdam vapores animo noſtro immitti*: vel cognoſci rationes illas æternas in verbo, quod eſt ſpecies expreſſa, ſpeculumque ænigmaticum, & conſequenter non immediatè, hoc eſt, videntur mediante alio tanquam medio: non mediante alio tanquam obiecto priùs ac per ſe cognito: ex cuius cognitione per ratiocinationem coniectentur ipſæ ideæ. Sicque puto intelligendum Diuum Auguſtinum, dum toties ait à nobis *in æterna veritate formam, ſecundum quam ſumus, viſu mentis adſpici, & clarere deſuper iudicium veritatis, ſui iuris incorruptiſſimis regulis firmum*: item *id ſolum verè eſſe, atque id ſolùm verè percipi poſſe, quod incommutabile, atque ſempiternum eſt: percipi autem ſola intelligentia*. Ep. ad Dioſc. item *quod nulla certa, & infallibilis notitia veritatis ſinceræ à quocumque poteſt haberi, niſi adſpiciendo exemplar lucis, & veritatis increatæ*. 3. contr. Academ. &c. Quibus omnibus licet agnoſcat videri per ſe rationem idealem, in ratione obiecti, eamque in luce veritatis æternæ exhiberi: non tamen vult eam videri ſine medio, in quo adhuc tanquam in ſpeculo, atque ænigmate percipiatur: vnde in lib. 11. de ciuit. videtur beatis Angelis id in prærogatiuam beatitudinis adiudicare, vt rationes ideales immediatè per ſeipſas inſpiciant, *Ipſi ſancti Angeli*, inquit, *per præſentiam incommutabilis veritatis ipſam creaturam meliùs ibi, tanquam in arte, qua facta eſt. quàm in ea ipſa ſciunt*: & 9. de Trinit. cap. 11. *quemadmodum cum per ſenſum corporis diſcimus corpora, fit eorum aliqua ſimilitudo in animo noſtro, quæ phantaſia memoriæ eſt . . . . melior eſt tamen imaginatio corporis in animo, quàm illa ſpecies corporis, in quantum hæc in meliore natura eſt: id eſt, in ſubſtantia vitali: ita cùm Deum nouimus, licet meliores efficiamur, quam eramus, antequam noſſemus, maximeque cùm eadem notitia etiam placita, dignéque amata verbum eſt, ſitque aliqua Dei ſimilitudo illa notitia: tamen inferior eſt, quia in*

inferiore natura est. Creatura quippe animus, creator autem Deus.

Aliam quoque restrictionem sæpe adhibuimus, quam & hic omittere non decet: nimirum quòd huiuscemodi contemplatio veritatis paucis modo concessa sit: ac nonnisi iis qui animum purgatissimum adhibuerint æternis illis rationibus contemplandis, vt seq. §. ex multis S. August. sententiis ostendemus. V. Log. c. 45. §. 5. sub finem. Ideo Henricus Gandau in summa sua docet beatis solùm mentibus, vel etiam sanctis viris supernaturaliter illustratis concedi, vt rationes æternas per modum obiecti cogniti attingant, licet alij multi ad eas conuerti queant vti ad rationem cognoscendi duntaxat. Hinc S. Augustinus quorundam philosophorum sibi de suæ sublimitate scientiæ blandientium arrogantiam confundit in 4. de Trinit. cap. 15. *Sunt autem quidam, qui se putant ad contemplandum Deum, & inhærendum Deo virtute propria posse purgari, quos ipsa superbia maximè maculat: quasi verò, quia præcelsam, incommutabilemque substantiam per illa, quæ facta sunt intelligere potuerunt; propterea de conuersione rerum mutabilium, aut de contexto seculorum ordine consulendi sunt. Nunquid enim quia verissimè disputant, & documentis certissimis persuadent æternis rationibus omnia temporalia fieri, propterea potuerunt in ipsis rationibus æternis perspicere, vel ex ipsis colligere, quæ sint animalium genera; quæ semina singulorum in exordijs, qui modus in incrementis; qui numeri per conceptus, per ortus, per ætates, per occasus, &c. nonne ista non per incommutabilem sapientiam: sed per locorum historiam quæsierunt, & aliJs experta, atque conscripta crediderunt?*

Patet ergo paucissimis, ac paucissimarum rerum notitiam ex ideis affulsisse, sed hoc nihil aliud probat, nisi quòd ob communem corruptionem generis humani, rarò nunc illud attingatur, quod primarium, ac principale obiectum est humanæ mentis, non secundum statum in quo nunc est, sed secundum naturæ suæ puritatem consideratæ. Idque verissimum est.

§. 3.

Quædam corollaria inferuntur.

EX dictis inferri potest multiplici modo humanas mentes à Deo perfici. Est enim Deus respectu earum lux purificans; forma assimilans; obiectum terminans; Regula dirigens; Magister instituens. Purificat vt idea boni: assimilat vt veritas: terminat vt speculum: dirigit vt lex; instituit vt verbum: Primum efficit vt efficiens; secundum vt forma; tertium vt exemplar; quartum vt Iudex; quintum vt Doctor.

Primò enim nobis est lux purificans; iuxta illud *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Item, ipse est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* vide quæ diximus in Log. cap. 41. §. 5. Ita ergo *Deus intelligibilis lux est, in quo, & à quo, & per quem intelligibiliter lucent, quæ intelligibiliter lucent omnia:* S. Aug. solil. 1. est-

que intellectui, quod ſol oculo. Quamobrem nobiliſſima illuminatio fit virtute perfectiſſimi luminoſi: Ita perfectiſſima hominis ſpeculatio humanæ menti debita, fieri nequit niſi virtute lucis increatę.

Lucis autem ſolaris tria ſunt officia: primò, reddit obiecta viſibilia: ſecundò, roborat oculum ad videndum: tertio, purgat oculi aciem. Hæc tria facit Deus in animo: beneficio enim luminis, quod ſignauit in mentibus noſtris, verè animo intelligibilia fiunt, quæcumque actu intelliguntur: deinde ab eodem procedit quæcumque perſpicacitas animorum. Atque hinc omnis noſtra eſt vera ſapientia; omniſque ſcientiarum certitudo, vt ex D. Thoma tradidimus in Logica cap. 52. & conſtat ex Eccli. 1. *Fons ſapientiæ verbum Dei: & omnis ſapientia à Domino Deo eſt*: tertio, purgari debet animus: ſed nec poteſt ſine radiis eiuſdem puriſſimæ, atque inuiolabilis veritatis. Ineſt enim naturaliter mentibus noſtris hebetudo quædam, quaſi craſſities omnem earum perſpicacitatem opprimens, & obtundens; inde orta, quòd materiæ nimis immerſæ ſint, animuſque affectu nimium ſenſuali rebus corporeis totus fere adhæreſcat: ſed vt ſolaris radius aëris craſſitiem ſæpe diſcutit: ita lux illa incommutabilis Dei hebetudinem mentis fugat, animoſque ſibi magis peruios, perſpicuoſque reddit. Hoc verò mirificè S. Auguſtinus exponit, cum ait *non inconuenienter dicitur ſic illuminari animā luce incorporea ſimplicis ſapientiæ Dei: ſicut illuminatur aëris corpus luce corporea: & ſicut teneбreſcit aër iſte deſertus luce: ita tenebreſcere animam luce ſapientiæ priuatam.* lib. 11. de ciuit. cap. 10. item in lib. 10. de Trinit. cap. 8. *Quia mens in ijs eſt, quæ cum amore cogitat: ſenſibilibus autem, id eſt, corporalibus cum amore aſſuefacta eſt, non valet ſine imaginibus eorum eſſe in ſemetipſa. Hinc oboritur erroris dedecus, dum rerum ſenſarum imagines ſecernere à ſe non poteſt, vt ſe ſolam videat: cohæſerunt enim mirabiliter glutino amoris: & hæc eſt eius immunditia.* in qq. autem 83. & 46. ſic ait *anima verò negatur ideas intueri poſſe, niſi rationalis, ea ſui parte, qua excellit, id eſt, mente .... Et ea quidem non omnis & qualibet, ſed quæ ſancta, & pura fuerit, hæc aſſeritur illi viſioni eſſe idonea, id eſt, quæ ipſum oculum, quo videntur iſta ſanū, & ſincerum, & ſerenum, & ſimilem ijs rebus, quas videre intendit habuerit.* Ita innumeris aliis in locis. vide moral. cap. 3. §. 1. & 3. & cap. 9. §. 1. &c.

Notandum autem hic eſt, non ita Deum ſuam omnibus lucem exhibere, ſicut ſol omnibus offert ſuam: iſte enim neceſſariò; Deus verè liberè: vnde D. Auguſt. de videndo Deo ait *ſi vult videtur, ſi non vult non videtur*. Hinc illud Iob 36. *in manibus abſcondit lucem, & præcepit ei, vt rurſus adueniat: & annunciabit amico ſuo de ea, quòd poſſeſſio eius ſit, &c.* à multis exponitur de luce ſpirituali, & intelligibili, quam Deus quibus vult ſubtrahit, præſertimque impiis, vt inſinuatur ab eodem Iob c. 38. *auferetur ab impijs lux ſua*. Amicis verò ſuis vltrò offert, quamquam & aliquando impiis eam non denegat, cum & de quibuſdam Ethnicis dicat D. Auguſtinus, quòd *potuerunt aciem mentis vltra omnem creaturam tranſmittere, & lucem incommutabilis veritatis quantulacumque ex parte*

" *contingere, quod Christianos multos ex fide interim sola viuentes, nondum potuisse derident.* 4. de Trinit.

" Ex quibus constat eiusmodi lucem distinctam esse realiter ab intellectu: cùm is illa possit affici, vel orbari. At distinguiturne à Deo ipso? Respondeo hic opus esse distinctione. *In primis* luminis intellectualis nomine possumus intelligere naturalem perspicacitatem, qua rerum rationes discernere, ac diiudicare valemus: *Secundo*, habitum primorum principiorum, siue habituales notitias principalium quarumdam veritatum, quæ primæ regulæ sunt omnium actuum cùm intellectus, tum voluntatis dirigendorum. *Tertio*, etiam actuales notitias, quatenus principia sunt aliarum cognitionum. *Primo* modo forte non distinguitur ab intellectu. *Secundo*, id distingui probauimus in Log. cap. 52. *Tertio*, id etiam distingui constat apud omnes. Ita quoque triplex illud lumen à Deo distingui certum est. Nam quod naturalis animorum perspicacitas: & ipsa eorum actualis notitia, non sit Deus, fatentur omnes, nisi qui vellent impiè delirare. Quòd etiam habitus primorum ab eo differat, patet ex eo quòd ab omnibus soleat admitti tanquam quidpiam à Deo animæ nostræ infixum, inseminatum, inditum, &c. vt diximus in Log. cap. 52. & certè hic nihil aliud videtur esse, quam typi quidam, characteres & sigillationes rationum æternarum, in quibus illæ principales veritates continentur, vt mox dicemus apertiùs: verum præter hæc tria opus adhuc alio lumine opus est, vt ad cognoscendas veritates alias peculiares, de quibus hactenus loquuti sumus, etiam ad naturam pertinentes: quo nimirum Deus modo hunc, modo illum, magisque, aut minùs illuminet: & reuera quæcumque hactenus ex D. Augustino retulimus, probant quoties sincerū ex veritate iudicium fertur, id semper peculiari beneficio lucis increatæ, & consequenter à nostro lumine naturali distinctæ, fieri. Ideo docens inquirere notitiam sinceræ veritatis, dicit lib. de vera relig. *Noli foras ire, in teipsum redi: ratiocinantem animam transcende: illuc ergo tende: vnde ipsum lumen rationis accenditur*: aliud igitur desuper lumen à Deo accendi debet, sine quo informis omnis nostra notitia & imperfecta, dubiaque sit, oportet: vt sæpiùs in Logica monstratum est.

" Hoc ergò lumen quid est, Deus ne, an qualitas? Respondeo id esse Deum ipsum non absolutè, sed quatenus actū quodā intellectuali (fluente quidem instar simplicis motionis; & non inhærente instar qualitatis) intellectum nostrum perficit, & perspicaciorem reddit ad intelligendam sinceram veritatem de rebus propositis. Quamobrem ipsemet Deus, vt manifestans veritatem & intimè illapsus animo lux ipsa est, quæ nos illuminat: actus ille se habet vt radius, quo intimè perfusus animus vitaliter videt, tanquam per seipsum: ita Deus se se habet, vt sol: radius ille, vt lumen, quo roboratur oculus noster ad videndum: Quamobrem sicut, cum videmus colores obliquo solis lumine illustratos: licet ille nobis suppeditet lumen, quo videmus; & coloribus, quo videntur: tamen neque solem ipsum, neque lumen eius, sed eo solum colores perspicimus:

& licet

& licet perspicuitate animi pernoscamus, quacumque pernoscimus; ipsam tamen non videmus: Ita licet luce increata veras rerum rationes discernamus; ipsam tamen non videmus, vt in se est: fitque nobis tunc ratio cognoscendi, non obiectum cognitum: quia vt ait D. August. lib. de Trinit. cap. 2. modo *est acies mentis nostræ inualida: nec in tam excellenti luce figitur, nisi per virtutem fidei nutrita vegetetur: vt ad perceptionem incommutabilis veritatis imbecillem mentem obseruata pietas sanet.* Et in ep. ad Italicam: *erit ergo tunc mens idonea, quæ illam lucem videat, quæ nunc nondum est.* Hoc itaque verissimum est de diuina luce, quatenus secundùm substantiam suam, quæ Deus est, sumitur: & in hoc sensu verissimum est, quod docet D. Thom. 1. p. qu. 84. a. 5. omnia cognosci in rationibus æternis, *vt in cognitionis principio: quia per sigillationem diuini luminis in nobis omnia demonstrantur*: non verò sicut in obiecto cognito: quia reuera paucis, & respectu paucorũ huiusmodi sinceræ cognitionis priuilegium conceditur: quia tamen non est negatũ omnibus: & sincera ratio, quæ tunc manifestatur, tota lumen est. Ideo D. August. in Epist. ad Consentium ait *inuisibili mentis, & rationis intentione conspicimus ipsum quoque lumen, quo cuncta ista cernimus, quod tam nobis certum est, quam nobis efficit certa: qua secundùm ipsum cernimus*: vel dic, quòd lumen illud videmus *vt quo*; non *vt quod*. Ita cum D. Thoma omnino consenties.

Secundo Deus est FORMA ASSIMILANS, SPECIES DISTINGVENS, CHARACTER DETERMINANS, &c. vt enim intellectus determinatam specialis cuiusdam veritatis potius, quam alterius notitiam parere valeat, debet peculiari quodam principio formali actuari; à quo indifferẽs eius concipiendi facultas determinetur ad hunc potiùs, quàm ad illum conceptum: sic vt tellus alioquin ferax triticum potiùs, quam vinum ferat, debet fœcundari peculiari aliquo semine: & verò cum intellectio sit actio vitalis, certè debet à principio intrinsecè fœcundo, non minùs quam viuentium generatio, prodire. Deus ergo suarum idearum quandam quasi sigillationem imprimit animis: ac per eam illos determinat ad conceptus his similes enitendos. Id quod optimè Henricus Gandau. ita exposuit: *proxima, & perfecta ratio cognoscendi sinceram veritatem de quacumque perfecta, & determinata cognitione, est diuina essentia: in qua vt ùm est ars, siue exemplar rerum, imprimens ipsi menti verbum simillimum veritati rei extra: per hoc quod ipsa continens est in se ideas, & regulas, & expressiuas omnium rerum similitudines, quas imprimit conceptibus mentis: per quod etiam sigillat, & characterizat ipsam mentem imagine sua expressiua: Sicut annulus ceræ: quæ non migrando; sed tanquam imprimendo transfertur.* Rationem deinde affert his verbis: *Si enim verbum veritatis in mente de re quacumque, est formata cogitatio ab ea re, quam scimus, vt dicit S. August. 11. de Trinit. cap. 9. & veritas est adæquatio rei & intellectus: verbum perfectum veritatis debet esse formata cogitatio secundum supremam, & perfectam similitudinem ad ipsam rem, quæ non potest esse nisi exẽplar illud æternum, quod perfectam & expressissimam similitudinem rei in*

se continet, nulla ex parte dissimilem: vt dicit August. in fine de vera relig.

Puto autem id intelligi à D. August. cùm toties ait mentem nostram *formari ab ipsa veritate; coaptarique incõmutabilibus regulis, luminibusque, &c.* Nam illa formatio seu coaptatio potest considerari vel secundũ esse completum ac terminatum: vel secundum principium formale, quo id fit: primo modo est ipsa notitia actualis: secundo est aliquid quod per modum actus primi complet potentiam animæ, vt possit parere verbum de veritate aliqua speciali; quod sit eiusdem similitudo expressa: ergo vt prius natura, quam animus hoc verbũ pariat, suscipere aliquid debuit à Deo ideam veritatis gerente: vnde ponatur in actu primo: illudque putauerim posse exprimi per analogiam ad characteres, siue figuras, & sigillationes, quæ corporibus imprimuntur: neque enim aliter possumus res spirituales exprimere. Neque etiam Deus in variandis, multiplicandis, disponendis, ac determinandis rerum corporearum generibus, modis, ac mensuris minùs admirabilem sese exhibuit, quàm in rerum corporearum. Concipiendum ergo est in animis aliquid analogicum figurationibus, siue notis similitudinum, quæ fiunt in materia. Et tales licebit appellitare species, siue formulas participatas, siue determinationes formales. Earumque aliæ possunt esse habituales, & in animo permanentes: aliæ sunt velut simplices dispositiones quæ non habent esse ratum, instar sigillationis, quam annulus in aqua imprimeret. Talis characterizatio vix distinguenda est à notitia, quæ gignitur: vel non aliter quam motio, qua causa prima secundã mouet, distinguitur ab eius effectu: aut potius ita se habet, sicut dispositio vocalis arteriæ, ac linguę à variis conceptibus determinata se habet ad vocẽ, articulatam, quæ inde formatur; & quæ characterem conceptus gerit: eiusque vim exprimit. Sic dum animus verbum interius parit quod sinceræ veritatis in idea diuini conceptus præcontentæ similitudinem exprimit, priùs ab eodem conceptu diuino formatur animus, vt hoc potiùs quam aliud verbum exprimat: & quemadmodum illa dispositio arteriæ non solet notari, vt distincta, vel ab animo formante vocẽ: vel à voce formata: sic illa figuratio animi subintelligi debet sub vocabulo vel Dei formantis; vel notitiæ formatæ.

Priori modo arbitror in animis nostris à rationibus æternis imprimi characteres intelligibiles veritatum omnium communium, quæ prima principia omnium scientiarum, ac virtutum complectuntur: quos solemus vocare habitus principiorum: habituales notitias initio à Deo mentibus nostris inditas: prænotiones, anticipationesque primigenias, &c. vt constat ex Log. cap. 45. & 52. itemque ex morali cap. 11. & alibi. Hæ certè non aliud sunt, quàm species concreatæ.

Posteriori verò modo tunc solùm animus ab ideis sigillatur, cum primùm sincerum fert iudicium de veritate aliqua speciali: cùm enim in rebus creatis præsertim corporeis veritas non insit nisi imperfectè ac secundariò vt dictum est in Log. cap. 37. §. 1. ideo inde nequit deriuari character perfectæ, ac sinceræ veritatis; sed solùm ex Deo, in quo primitus fulget; ad reliqua verò cognoscenda, vel sufficiunt phantasmata;

vel rationes rerum eminenter, ac virtualiter in animi essentia comprehensæ: vt dictum est suprà. Quamobrem iuxta hunc loquendi modum optimè possumus affirmare ideam diuinam esse intelligibilem illá speciem, per quam sincerum verum conspicit, quemadmodum ait D. Greg. in illud Iob 4. stetit quidam: *Quisquis inde aliquid apprehendit per coæternam eius speciem conspicit:* & D. August. lib. 11. de Ciuit. c. 27. vult iusta per intelligibilem speciem: iniusta verò per eius priuationem videri secundum interiorem hominem: quomodo certe ideam intelligit sese in animo figurantem. Denique secundum diuersam hanc consignationis rationem modulus nostræ cognitionis attenditur, certaque limitatio: vt nimirum clariùs, aut obscuriùs sincera ratio peruideatur: non verò vniuersa ideæ vis, ac essentia.

Tertio Deus est OBIECTVM TERMINANS: vt enim quæcumque lucent, ea nisi terminentur, videri non possunt: quia finita visio nequit in infinitum tendere: sic in vanum animo lux idealis affulgeret, nisi simul obiiceretur aliquid, quod intelligentis intuitum terminaret, quodque ipsa faciat apparare, ac dispici. Id autem quod sic terminare potest mentis obtutum, ad tria genera obiectorum potest reuocari: vel enim est natura singularis: vel vniuersale Physicum, & confusum: vel ratio sincera æternæ cuiusdam veritatis: primum est in phantasmate: secundum in viribus animæ: tertium in ideis: quæ quatenus terminant intellectionem eo modo, quo suprà diximus, eò distinguuntur à seipsis, quatenus characterizant, quòd vt terminantes habeant rationem obiecti: quatenus verò characterizant, rationem principij: vt obiectum, terminant similitudinem: vt species, eam fundant.

Quarto est REGVLA DIRIGENS: enimuerò quisquis indagat veritatem, bonitatem, honestatem, &c. quomodo ea quæreret si non aliquam horum notionem haberet? aut quæsita quomodo inuenisse se sciret? Quemadmodum, possesne Alcibiadẽ quærere: aut occurrentem agnoscere: si nullam eius in animo regulam te dirigentem, siue eius prænotionem aliquam habuisses? Quotus autẽ quisque est, qui naturaliter, & sine magistro nõ quærat bonitatem, honestatem, & cætera multa eiusmodi?

2. Quisquis aliquem amicum sibi, vel inimicum, honestum, vel inhonestum iudicat, an non oportet, vt quid sit amicitia; vel quid honestas præcognoscat? quomodo ergo rectè cætera bona, malaue, vera vel falsa diiudicem, nisi prius inspersa mihi, atque indita sit notitia veritatis? An poterit iudex aliquis æquum de duobus contendentibus iudicium ferre, nisi æquitatis in animo priùs infixam regulam habeat, secundum quam rectè iudicet: quid quisque iustum, vel iniustum obtendat? At quam multa sunt, quæ omnes naturaliter iusta esse rectissimè iudicamus; eaque ab iniustis solo rationis dictamine probè discernimus? horum ergo infixam animo regulam gerimus: at vnde acceptam? *vnde ergo nouit animus, quid sit iustus, qui nondum est, atque vt sit, diligit iustum? an signa quædam per motum corporis emicant, quibus ille, aut ille homo iustus apparet? sed vnde nouit illa signa esse animi iusti, nesciens quid*

omnino sit iustus? nouit ergo: sed vbi nouimus, quid sit iustus, etiam cum iusti nondum sumus? si extra nos nouimus, in corpore aliquo nouimus: sed non est ista res corporis. In nobis igitur nouimus, quid sit iustus, &c. An illud quod videt animus, veritas est interior præsens animo, qui eam valet intueri? neque omnes valent? & qui intueri valent, hoc etiam, quod intuentur, non omnes sunt, &c. August. 8. de Trinit. cap. 6.

Tertio, sicut nullus potest iudicare Xenocratem esse similiorem Platoni, quam Speucippum, si Platonis ignoret effigiem: ita *neque in omnibus bonis diceremus aliud alio melius, cùm verè iudicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod & probaremus aliquid, & aliud alij præponeremus.* ibid. c. 3.

Quarto, ea quæ sunt structuræ, musicæ ac similia, multi rudes & inscij persæpe rectissimè iudicant: vnde? *Cum arcum pulchrè, atque æqualiter intortum, quem vidi, animo reuoluo, res quædam menti nunciata per oculos, memoriæque transfusa imaginarium conspectum facit: sed aliud mente conspicio, secundũ quod mihi opus illud placet: vnde etiã si displiceret, corrigerẽ, &c.* vide alia multa in Log. vbi de Criterio 41. & de Remin. c. 53. §. 3.

Denique ipse est MAGISTER INSTITVENS: ille enim solus magister meretur appellari; qui solus illuminare sic potest intellectũ, vt percipiat quæ latebant, & ex eo quod actu nesciret, fiat actu sciens: quique speciẽ intelligibilẽ verè impertitur; ac tandem qui per se ducit ad sinceræ veritatis notitiam: sed solus Deus hoc facit. Homo hominem instruit solùm per accidens: solis enim signis ad placitum significantibus excitat notiones quodammodo consopitas, aut ordinat: & qui audit docentem similis est ei, qui iam inuenit, quod quærebat: quare quemadmodum nemo verè dicendus esset inuenisse, quod quæsiisset, nisi id priùs quodámodo cognouisset. Ita qui discit, quomodo sciret se discere, nisi priùs eius, quod inquirebat, notionem concepisset? sane dum puero proponis signa, quorum significata non tenet, docere eum non poteris. Ergo quem doces, ipse iam, quodammodo callet, quod differis: alioquin puero cur non intelligentiam confers? cur non mentis hebetudinem tollis? non ergo immeritò quidam magistrum hominem hoc exemplo describunt; si Iouis Planetam noctu in stellato cœlo quæritares, nescius vbi esset: ac tum Astrologus erecto in Iouem digito, aspectum tuũ in illum duceret: digitus ille an tibi videndi Iouis author erit? an visui tuo quidquam addidit, quo eum videres? an non potiùs claritas huius astri efficeret, vt videres? ecquid aliud, quæso, magistri exteriores faciunt? signis quibusdam analogis, sæpe æquiuocis; semper vmbraticis mentem suo aliunde lumine perspicacem modo in hoc, modo in alio figunt, quod tamen ab ea per se nosci supponunt, non faciunt: VNVS EST ERGO MAGISTER NOSTER, isque qui *scientiarũ Dominus* meritissimè appellatur; quæ cum ita sint, nonne verissimè Plato docuit *nec mente carere Deum, neque naturam humani generis ignorare: Scit enim* inquit, SE DOCENTEM ITA *secuturos homines, vt quæ docentur, perdiscant*: in Epinom. legatur porro libellus D. August. de Magistro.

BREVIS ANALYSIS METAPHYSICÆ.

ABSOLVTIS Logicæ, Moralis, & vniuersæ Physicæ libris; Videretur adhuc de Metaphysicis agendum: verùm ea quæ in his libris continentur, sparsim in cæteris Philosophiæ partibus; è re nata examinari debuere. Quamobrem nihil propemodum superest, quod vlteriùs morari nos debeat: quod vt euidentiùs appareat, constitui librorum Metaphysices, & quæstionum, quæ in iis discutiuntur, perbreuem Indicem proponere: vt hinc, quid ad hancce Philosophiæ partem pertineat, exploratum habeatur: & continuò pateat, quo in loco reliquæ Philosophiæ à nobis iam pertractatæ, agitatum fuerit.

Suppono autem in primis nomen hoc μετὰφυσικὰ, solùm ea indicare, quæ post Physica supersunt disputanda: solet tamen hæc pars sæpè prima Philosophia nuncupari; seu sapientia: quod in ea de primis scientiarum principiis agi soleat; rerumque communiores notiones exprimantur, vt quid sit ens, quid vnum, verum, bonum, quid idem, diuersum, actus, potentia, &c. Item de principiis rerum, de ideis, de intelligentiis multa quæruntur. Cæterum de multis retractatur, quæ iam explicata fuerant in aliis libris, vt de prædicamentis, de materia, de forma; de causis, de motoribus cœlorum, &c. Nec ordo satis exactus est: adeo vt videatur potiùs esse collectio conscribendorum, quam conscriptus liber. Hinc multi negant, hunc librum ab Aristotele fuisse confectum: sed à Theophrasto eius discipulo, ex iis quæ præceptor parauerat morti proximus; moriensque reliquerat indigesta, consarcinatum fuisse opus hoc, quod modo præ manibus habemus. Hinc præterea oritur, vt varij variè Metaphysicam tradant: multi nihil de ipsa effutiunt; alij vniuersam Philosophiam hac vna Philosophiæ parte complectuntur.

Nec minor est de obiecto illius, authorum dissensio: 15. enim diuersæ sententiæ numerantur. Præcipuæ sunt *prima*, quòd Deus vt naturaliter demonstrandus, sit obiectum: *secunda*, quòd substantia separata: *tertia*, quòd substantia, vt sic; *quarta*, quòd eadem vt composita: *quinta*, quòd ens, & hæc in totidem sectas diuiditur, quot excogitari potuerunt communes entis notiones, vel diuisiones. Communis tamen opinio est *Ens vt ens*, id est, vt nulla determinati generis differentia contractum, esse obiectum Metaphysices: quia sic supergreditur naturales omnes disciplinas: & communia omnium tradit principia: atque hoc cla-

rè docet Aristot. 4. Met. c. 1. & 2. item 6. c 1. Vide quæ de Metaphysica diximus in *Logica* c.47. §.3. & 4. Veniamus ergo ad ordinem horum librorum, qui quatuordecim sunt.

IN PRIMO.

Post laudatum horum librorum scopum, & commendatam sapientiam, opiniones veterum de principiis recitat, ac refutat: *De his actum est in Phys. c.1.2. & 3.*

IN SECVNDO.

Agit de veri speculandi difficultate: *vide Log. c.37. 41. 45.*

Non dari pocessum in infinitum: *Vide Phys. c.18. §. 3. Axiom. 2.*

Quales esse oporteat veritatis auditores: *vide pulchriora* ex Platone in typo Philosophiæ p. 7.

IN TERTIO.

Multa quæ ad methodum sciendi pertinent, disquirit: *Sed sufficiunt, quæ in Log. de demonstratione: & in Phys. in proœmio §.3. & 4. diximus.*

De scientiarum distinctione, vel vnitate, *vide Log. c. 47.*

De generibus, & vniuersalibus, *vide Logicam c. 8. 9. 10. &c.*

De principiis demonstrationis, *vide Log. c. 42. 43. 45.*

Multa eiusmodi alia in eo proponuntur, quæ in Logica fuere soluta, vt an præter substantias naturales, & sensibiles sint aliæ.

Resp. affirmatiuè, quia sunt Deus, Angeli, & ideæ. Item an res Mathematicæ sint essentiæ, & substantiæ. *R. eas vt existunt in materia esse accidentia; vt in ideis esse rationes & essentias abstractas, purè intelligibiles: & cum substantia diuina identificatas.*

Item an corruptibilium & incorruptibilium eadem sint principia. *Resp. negatiuè vt constat ex Log. c.23.*

IN QVARTO.

Ens vt ens facit obiectum primæ Philosophiæ.

Ens dici analogicè, *vide Log. c. 19.*

Ens & vnum conuerti, *de hoc iterum infrà.*

Hoc communissium axioma probat: *impossibile est idem esse simul & non esse. Sed præcipua demonstratio ducenda est ex lumine naturali rationis, à Deo nobis indito, quo, etiam naturaliter docemur, falsum esse, quòd res sint semper tales in seipsis, quales nobis apparent, Ita vt nulla ipsis realitas insit præter apparentiam. Hunc autem faciunt ea quæ de criterio diximus in Logica c. 41.*

IN QVINTO.

Explicat quid sint principium, & causa, Elementum, natura: necessarium, vnum, ens, substantia, prædicamenta & post prædicamenta; quid item pars, & totum, & genus, *de quibus affatim suis locis in Logica, & in Physica egimus.* Addit quid sit perfectum, imminutum, falsum accidens.

NOTA, solere præsertim in Metaph. super hæc aliquot agitari quæstiones, nempe quomodo essentia distinguatur ab existentia: qualis sit diuisio entis: quid sint, & quot summa genera, &c. quæ omnia in Logica fusè satis sumus prosequuti. Item an natura distinguatur à sup-

posito; & quodnam sit indiuiduationis principium: sed de his actum est in Phys. c. 8. & 9.

Præterea quæritur, an ens & vnum conuertantur, & quomodo hæc tria sese ad ens habeant; an addant aliquid, & quid illud sit, positiuum, an negatiuum. Ideo, vt breuiter ista hic expendamus, sequentes propositiones subiicimus.

PROPOSITIO PRIMA.

Hæc tria sumi possunt duobus modis: substantiuè, vel denominatiuè. Primo modo soli primo omnium principio per se competunt: & conceptu omnium simplicissimo constant. Ideoque neque definiri; neque intelligi possunt: suntque ipso conceptu entis priora, & superiora. Hæc propositio est Platonica: & quoad ipsum vnum declarata fuit *in Log. c. 21. §. 2. & in Phys. c. 3. §. 2.* Quoad verũ, *in Logica c. 37. §. 1.* Quoad bonum *in Moral. c. 2. §. 2.* Et certè quòd ipsi primo omniũ principio conueniant, patet: quia vnum est principium omnis multitudinis: & omnia pendent ab vno: quia sine vnius participatione: nec vnum ens potest intelligi, nec multa: quia multa nequeunt esse, nisi componantur ex vnis. Deniq; primum principium, vel est ipsum vnum per essentiam, & imparticipate: vel denominatiuè, & participatè: non secundum, quia diceretur vnum participatione ipsius vnius, & consequenter ab eo penderet, eoque esset inferius, quod repugnat primo principio. Ergo primum. Hæc ratio probat quòd sit etiam ipsum verũ, & ipsum bonum: quoniã alioquin esset tale participatione. At quidquid est participatiuè, & denominatiuè verum, id inde tale est, quo eius principiis adæquetur, vt constat ex Logica cit. Similiter quòd est participatiuè bonum, non est bonum à seipso, sed ab alio. Hæc autem repugnant primo omnium principio. Ergo. &c.

Quod omnium simplicissimo conceptu constent: patet quia principium est, ex quo cætera, ipsum autem ex nullo. Ergo si vel minima compositione constarent, non essent primum principium.

Quòd definiri nequeant, patet quia omnis definitio habet partes.

Quòd item intelligi non possint, patet quia quidquid cognoscitur ab intellectu creato, cognoscitur sub aliqua notione entis creati, & determinati: at omne tale ens creatum est quid compositum ex *eo quod est, & quo est*; item ex gradu determinabili & determinante, &c. Adde quod sicut à potentia corporea diuisibili, nequit quidquam corporeum indiuisibile percipi: ita neque quod simplicissimum est, cognosci potest à mente Metaphysicè saltem diuisibili, & composita. Rursus, sicut pura materia, & simplex forma nequeunt cadere sub actionem naturæ: ita neque pura potentialitas entis: neque purissimus actus sub actionem mentis. Item nihil cognoscitur, nisi cuius similitudo per notitiam exprimatur ab animo: at nulla potest ab eo formari similitudo; quæ sit eo simplicior. Ita innumera possent addi, quæ tamen prosequi modo non vacat. Satis sit notasse proportionẽ, quæ intelligentem inter & intelligibile debet intercedere. Solùm istud ex Plotino subdam, Enn. 6. l. 9. c.

4. Accidit dubitatio, defectusque in nobis circa Deum cognoscendum præcipuè, quia neque per quandam scientiam, neque per intelligentiam vllam cognoscimus illum, sicut alia solemus, quæ intelligibilia nuncupantur: sed per præsentiam quandam scientia meliorem. Anima verò procul euadit ab vno, neque est penitus vnum, quando scientiam alicuius assumit. Scientia enim ratio quadam est; ratio verò multa: vnum ergo transgreditur, in numerum, multitudinemque prolapsa, &c. Item omnium absolutè primum principium est prius, & superius omni gradu participabili: quia semper imparticipatum præcedit participabile, estque huius principium. Sed tria illa sunt ipsum primum principium, quod est per se imparticipatum. Ens verò est primum participabile. Ergo. *vide quæ diximus in Logica c. 19. §. 2.* Hæc carptim diximus: qui plura volet, legat P. Dorgeuillæum exam. doctr. Platon.

Interim nota hisce tribus optimè nobis adumbrari diuinam essentiam: atque ex his posse facillimè omnia Dei attributa mirabili consecutione deduci: quod forte aliàs, si Deus dederit, poterimus exhibere.

PROPOSITIO SECVNDA.

Vnum, verum & bonum denominatiuè sumpta, sunt veluti proprietates entis: cum eo conuertuntur: nec ab eo conceptu absoluto differunt, sed relatiuo duntaxat: quòd sint proprietates entis, & cum ente conuertantur, fatentur omnes Peripatetici post Aristot. hic. Etenim concipitur ens per modũ primi subiecti, de quo denominatiuè prædicatur vnũ, verum, bonum: & nullum est ens, de quo hæc non prædicentur: & de nullo prædicantur denominatiuè, quod non sit ens, nam *ens homo, & vnus homo* idem sunt: sicque de cæteris: quod autem sic de aliquo prędicatur ad conuertentiam, eius proprietas dicitur, & cum eo conuertitur.

Quòd ab ente non differant conceptu absoluto, sed solum respectiuo, patet; quoad primam partem, quia quæ differunt conceptu absoluto, saltem formalitates, & notiones absolutas, ita distinctas significant, vt vna intrinsecè alteram non includat: sed repugnat esse vel concipi ens sine his tribus: neque vllum ex his sine ente; etiam in abstracto: nam entitas est quid vnum, verum, & bonum: & vnitas est quidpiam, ergo ens. Ita de cæteris. Sunt enim primi & essentiales characteres primi principij, qui essentialiter in quolibet eius effectu fulgent: seu vires primordiales, eiusdem primi principij, quibus omne ens essentialiter continetur, ornatur, & perficitur: suntque hæc tria velut *modus, species & ordo*, sine quibus repugnat quidquam à Deo fieri, & conseruari, (quod autem à Deo nec fit, nec conseruatur, nihil est:) Modus, quo vnumquodque in se finitur, ab vnitate: species, qua formatur, ab vnitate; quæ est adęquatio ad ideam: ordo denique, quo quidque propter quid expediens, vel expetibile est, à bonitate procedunt. Ideo ab vnitate, terminatum, siue perfectum: à veritate, speciosum, siue pulchrum: à bonitate iucundum, siue ordinatum est, quidquid est.

Ex his patet, hæc tria non distingui ab ente sicut reales proprietates à subiecto

ſubiecto, à quo ſunt ſeparabiles, vt calorem ab igni, frigus ab aqua; imò neque ſicut differentiam à genere: nam licet differentia in concreto contineat genus: neque enim poteſt eſſe rationale, quin ſit animal: tamen in abſtracto neutrum intrinſecè in neutro continetur. Ipſa enim animalitas ſine rationalitate, & rationalitas ſine animalitate completæ quædam formalitates ſunt, completis, & abſolutis conceptibus exprimendę: ſecus de entitate, & vnitate, veritate, &c. vt diximus. Quin etiam neque ab ente differunt, ſicut modi illi intrinſeci, de quibus egimus in Logica c.20. nimirum *eſſe à ſe: eſſe ab alio: eſſe per ſe; eſſe in alio.* Hi enim ſic cum ente idem ſunt, vt non omnes cum omni ente ſemper coëant: ſed ſine quolibet diſiunctim eſſe poteſt ens: nam ens quod eſt creatura, non eſt ens *à ſe:* quod eſt accidens, non ens *per ſe*, &c. At nullum eſſe, aut fingi poteſt ens, quod non ſit; aut non fingatur vnum, verum, bonum. Quamobrem neſcio, an non fortè rectiùs hæc tria dici debeant ipſa prima, & eſſentialia entis principia: quæ mutuo inter ſe nexu inſolubili implicata omnem entis rationem conſtituant, determinent, ordinentque: licet in modo prædicandi ſic exprimantur, vt exprimi ſolent proprietates. Quidquid ſit, certè, nec verè proprietates reales, neque modi entis ſunt ob huiuſmodi indiſtinctionem: ſed ſolum impropriè, & quoad ſolum modum concipiendi, & prædicandi.

Diſtinguuntur autem conceptu reſpectiuo: quia diuerſæ ſuper his relationes fundantur, vt conſtabit ex notionibus ſingulorum mox explicandis. Id enim quod eſt, diuerſis modis quibus eſt, & quaſi ſecundum diuerſos adſpectus, quibus cognoſcibile eſt, deſignant. Vt *vnum* enim, conſtituitur quidpiam in ſe perfectum, ab aliis diſcretum, in ſe ſimul totum; nec vlla ſui diuiſione diſtractum, aut imminutum. Vt *verum*, conſtituitur tale quid, ſecundum æternæ alicuius rationis exemplar formatum eſſentiæ cuiuſdam particeps, & ſincerum. Denique *vt bonum*, eſt aliquid illecebroſum, ex ſe appetitum alliciens: vtile ac iucundum.

Hæ tamen notiones inuicem ita intra ſeſe complicantur, vt quælibet in cæteris: & cæteræ in qualibet, omneſque in ente: & hoc in omnibus, ſinguliſque inſeparabiliter, atque indiſcretè contineantur. Solis hiſce reſpectibus diſtinguendæ. Simile quid ex Platone citauimus in Log. c. 13. §. 3. de identitate & diuerſitate, quæ ſic à ſe differunt, vt tamen intrinſecè mutuo ſe includant.

Propositio Tertia.

Hæc tria non negatiuum quid per ſe adiiciunt enti: ſed totum id quod ſignificant, aliquid poſitiuum eſt, ac perfectum: hoc patet ex dictis; quia quæ immediatè ante diximus, ſignificant certè aliquid perfecti, ac poſitiui.

Dices, vnum definitur per aliquid negatiuum, nempe per indiuiſionem: dicitur enim *id quod indiuiſum eſt in ſe, & diuiſum à quocumque alio.* Item vnum definitur per negationem multitudinis: multitudo autem, eſt aliquid poſitiuum. Reſp. indiuiſum eſſe quid negatiuum ſolùm nomine tenus; vt *infinitum, immenſum*, &c. At quoad rem eſſe

quid affirmatiuum: diuisio enim negatio potius est, qua vnum non est aliud: quaue integritas, plenitudo, perfectio, & simplicitas de aliquo negantur. Ideo diuisio corruptioni; indiuisio constitutioni entis æquipollent: corrumpitur enim quidlibet, cum diuisionem admittit: constituitur, cum diuisa in vnum conciliantur. Ideo multitudo est quid positiuum secundum ea ex quibus constat, quorum vnum quodq; est aliquid vnum: est verò quid negatiuum secundum ipsam diuisionem, quæ vnitati opponitur. Iam vnum describitur per negationem multitudinis, secundum quod diuisionem habet: non secundum quod plures vnitates.

Redeamus nunc ad Aristotelem.

IN SEXTO LIBRO.

Rursus de Metaphysica disciplina disputat, quînam à cæteris distinguatur, *v. Log. c.* 47.

IN SEPTIMO:

De substantia & accidente: *de his in Log. de prædic.*

De vniuersalibus & ideis: *vide Logic. c.* 7. *&* 8. *& Physic. c.* 28. *&* 29.

IN OCTAVO.

De materia, & forma: nos de his in Phys. à cap. 4. vsque ad 11.

IN NONO.

De potentia & actu, quot modis dicantur: multum certè ambigua sunt ista nomina. Potentia enim vel sumitur pro possibili, & huic respondet actus essendi, vel existentia, *de quibus in Log. c.* 18. vel pro principio trãsmutandi aliud, & huic respondet operatio, & *de his vide Log. c.* 32. §. 1. *Phys. c.* 21. §. 2. *ll. de anima c.* 11. vel sumitur pro subiecto transmutando, siue pro potentia passiua recipiendæ formæ substantialis, & est materia, cuius actus est forma: *de quibus suprà*: vel pro potentia passiua recipiendi accidentis: & de hac quæri potest quid sit, & ad quod genus reuocanda. Resp. eam aliud nihil esse, quam aptitudinem quandam proximam, qua substantia & talis aut talis apta est ad tale, aut tale accidens recipiẽdum: & hæc cum non in omni substantia corporea: neque in ordine ad omnes formas inueniatur ęqualiter, oportet, vt sit quidpiam à potentia substantiali distinctum, quod reduci cõsequenter debeat ad genus actus, cuius est aptitudo, vt verum sit quod ait Arist. actum & potentiam semper in eodem genere coordinari.

IN DECIMO.

Rursus de vno, & comparatur ad multitudinem: sed de hac oppositum eorum, quæ de vno superiùs dicta sunt asserere oportet. Præcipuè tamen de vno, & multo quantitatiuo hic disputat: aitque maximè proprium esse vnius quantitatiui, vt sit mensura prima in quolibet genere rerum corporearum: quod sic intellige, vt id quo metimur reliqua, sub forma rei indiuisibilis vsurpetur: quia quod simplicius est semper assumitur ad quantitatem compositioris dignoscendam. *vide Log. c.* 24. §. 1. Hinc rectè suprà diximus primam mensurandi, ac definiendi omnia regulam ab ipso vno omnium principio desumi oportere.

Item hic de oppositione, & contrarietate multa disputat de quibus, *v. Log.c.34.5.1*

IN VNDECIMO.

Multa repetit quæ proposuerat in tertio, tum sternit iter ad disputationem de intelligentiis.

IN 12.

De intelligentiis agit, quas ex solo motu cœlorum colligit: totidemque inducit, quot orbes cœlestes, computando excentricos, cõcentricos, epicyclos: omnesque ex æquo facit actus puros, æque etiam necessarias, æternas, & beatas, ac primam, *v. Phys c.50.*

IN 13. & 14.

Ideas Platonis exagitat: hoc est, etiam eas quas Theologi admittunt in Deo. Has enim solas admisit Plato, vt iam toties demonstrauimus; & has verè noluit admittere Aristoteles: *vide Phys.c.14.28.*

Multa porro hic de intelligentiis, ac de Deo Optimo Maximo dicenda occurrerent, præsertim ex sententia Platonis; sed ea forte limites Philosophiæ naturalis excederent: vix enim quidquam in Theologia de Deo, eiusque attributis dici consueuit, quod profundissimè non possit ex illius monumentis erui, vt quasi per transennam indigitauimus, *in Phys.c.3.14.20. 8.29.31.50.& de Cœlo c.1.& 2* In his enim & aliis ostẽdimus Deum esse necessariò: esse vnum: ens à se: æternum: immensum: curam habere omnium: causam primam, cuius ope agant cæteræ: finem vltimum, cuius gratia sint omnia. Creatorem vniuersi: omnium ideas in mente gerere: lucem esse mentium: liberrimum, imo omni libertate superiorem: summum bonum; eius visione ac fruitione beari animos immortales, &c.

Neque pauciora de Angelis possemus eruere. Nam sub prima mente, quæ vnica est, quia imparticipata, plures mentes participatas esse oportere demonstratur: idque confirmatur ex motu cœlorum, vti probauimus *in ll.de Cœlo c. 11.* Item ex apparitionibus dæmoniorum, incubis, aliisque huiusmodi, *de quibus in ll. de Anima.*

Angelos autem esse Dei ministros, non in creando; neque in gignendo; sed in regendo, à Deo illos esse præpositos mouendis cœlis; gubernãdis imperiis; hominibus custodiendis; diuini fati legibus exequendis, & quæ sunt generis eiusdem vidimus *in Phys. c. 16. 28. & 29. l. de Cœlo c. 5. & 11.* An autem compositi sint; corporeique, an verò materia spirituali induantur, necne, diximus *ll. de Anima c. 2. & 3.*

Ista porro in Philosophia, vel indicasse satis esse putauimus, forte alias de his copiosiùs acturi. Theologis interim ea copiosè tractanda relinquentes Faxit tamen Deus, vt ab ipso, apud sum, & in ipso hæc omnia, vel potiùs horum omnium stabiles æternasque rationes, discussis mortalitatis nostræ tenebris contemplari: ipsique primo, & superambienti omnia principio, æterni amoris glutino, & beatificæ comprehensionis amplexu cohærere valeamus. Cui honor, & gloria in secula seculorum. Amen

INDEX CAPITVM ET QVÆSTIONVM.

PRoœmium. 3

Caput Primum. De essentia Animæ.

§. 1. *Quid sit anima in genere.* 5
§. 2. *Quid sit anima rationalis secundum substantiam.* 8
§. 3. *Quomodo componatur anima ex numeris harmonicis.* 11

Caput II. De Animæ humanæ immortalitate.

§. 1. *Errores veterum excluduntur.* 18
§. 2. *Rationes pro immortalitate animæ.* 21
§. 3. *Soluuntur argumenta opposita.* 32

Caput III. De Animæ rationalis origine.

§. 1. *Errores veterum notantur.* 35
§. 2. *Refutatio prædictorum errorum.* 38
§. 3. *Vltimus error de propagatione animarum discutitur.* 41
§. 4. *Obiecta soluuntur.* 46
§. 5. *De primo momento animationis.* 49

Caput IV. De multitudine Animarum.

§. 1. *An sit vnica solum in omnibus hominibus.* 51
§. 2. *An præter intellectiuam sit alia in homine mortalis & corporea.* 53
§. 3. *An saltem successiuè sint plures in eodem.* 58

Caput V. De vnione Animæ rationalis cum corpore.

§. 1. *Difficultas exponitur: quid sint vehicula Platonis.* 60
§. 2. *Quid secundum veritatem tenendum sit.* 64
§. 3. *Quæstiones aliquot expediuntur.* 68
§. 4. *Vtrum animarum inæqualitas ex vnione ad corpora oriatur.* 72

Caput VI. De Animis Brutorum.

§. 1. *Quid sint.* 74
§. 2. *An sint immortales.* 75

Caput VII. De indiuisibilitate Animarum.

§. 1. *Quædam monita præmittuntur.* 78
§. 2. *Decernitur quæstio.* 81
§. 3. *Obiiciuntur ac diluuntur aduersæ partis argumenta.* 83

Caput VIII. De diuisione viuentium animarum.

§. 1. *Tria esse animarum genera.* 87
§. 2. *Esse 5. potentias, & 4. genera viuentium.* 90
§. 3. *De diuisionibus viuentium in particulari.* 91
§. 4. *De stirpibus, earumque partibus.* 93

Caput IX. De partibus corporis animati.



§. 1. *Anatomica, & breuis humani corporis partium descriptio.* 95
§. 2. *Quanam partes animentur.* 103
Caput X. De præcipua sede animæ.
§. 1. *Explicatur quæstio.* 106
§. 2. *Vtriusque partis argumenta ponderantur.* 108
§. 3. *Conclusio.* 111
Caput XI. De potentiis animæ.
§. 1. *Exponitur quæstio de earum distinctione & soluitur.* 113
§. 2. *Rationes opposita diluuntur.* 116
§. 3. *An potentia distinguantur per ordinem ad actus & obiecta.* 117
§. 4. *In quo subiecto sint.* 122
Caput XII. De formatione corporis.
§. 1. *De principio materiali, formali & effectiuo corporis viui.* 124
§. 2. *An semen sit animatum.* 126
§. 3. *Vnde proueniat.* 130
§. 4. *Quomodo vterque parens concurrat.* 132
§. 5. *Vnde proueniat similitudo filiorum.* 133
Caput XIII. De Vita.
§. 1. *Quid sit vita, quidve calidum innatum.* 136
§. 2. *De affectibus vita.* 140
§. 3. *De pulsu.* 142
§. 4. *De respiratione.* 145
Caput XIV. De augmento & nutritione viuentium.
§. 1. *Quid accretio, nutritio, & aggeneratio.* 151
§. 2. *Quale sit alimentum, & quam necessarium.* 156
Caput XV. De augmentatione secundum quas partes fiat.
§. 1. *Explicatur & soluitur quæstio.* 160
§. 2. *Quomodo sese habeat ad nutritionem.* 163
Caput XVI. De sensu eiusque operatione.
§. 1. *Quid sit actus sentiendi, an passio.* 164
§. 2. *Cuius sit, siue de obiecto sensus in genere.* 169
§. 3. *In quo fiat, siue de organo.* 172
Caput XVII. De speciebus intentionalibus.
§. 1. *An sint admittenda, & quid senserint authores.* 174
§. 2. *De pradictis fertur iudicium.* 176
§. 3. *Quid sint & quibus modis explicari queant.* 180
Caput XVIII. De Visu.
§. 1. *Quodnam eius organum.* 186
§. 2. *De obiecto visus, siue de coloribus.* 191
§. 3. *Diuisio colorum.* 196
§. 4. *De modo quo fit visio.* 198
§. 5. *Quadam quæstiones ad visum pertinentes soluuntur.* 203
Caput XIX. De Auditu.
§. 1. *De ipsius organo.* 211
§. 2. *De sono ac præsertim de voce.* 213

§. 3. *Aliquot quæstiones ad sonum spectantes soluuntur.* 216

Caput XX. De Olfactu.

§. 1. *Eius organum describitur.* 220
§. 2. *De odoribus.* 223
§. 3. *Aliquot quæstiones explicantur.* 225

Caput XXI. De Gustu.

§. 1. *Quod eius organum.* 228
§. 2. *De saporibus.* 230

Caput XXII. De Tactu.

§. 1. *Quid sit & cuius.* 234
§. 2. *Aliquot quæstiones ad eum spectantes expenduntur.* 236

Caput XXIII. De sensibus internis.

§. 1. *Quid sint, & qui eorum actus precipui.* 239
§. 2. *Quomodo differant.* 242
§. 3. *De speciebus sensus interni.* 246
§. 4. *De somno & insomniis.* 250

Caput XXIV. De appetitu sensitiuo.

§. 1. *An sit, quid & quotuplex.* 256
§. 2. *Affectuum origo, & causa Physica declarantur.* 261
§. 3. *De vi motiua.* 268

Caput XXV. De intellectu possibili.

§. 1. *Quid sit, & cuius obiecti.* 272
§. 2. *De speciebus intelligibilibus secundum Peripateticos.* 276
§. 3. *Sententia eorum qui negant species intelligibiles.* 281

Caput XXVI. De intellectu agente.

§. 1. *Peripateticorum, ac præsertim Thomistarum opiniones recensentur.* 285
§. 2. *Opposita sententia, quæ nullum agnoscit intellectum agentem, præter Deum explicatur.* 290

Caput XXVII. De verbo mentis.

§. 1. *Quid sit, & quale.* 293
§. 2. *Soluuntur quædam dubia.* 297

Caput XXVIII. De actibus intellectus.


§. 1. *An intellectus plura simul possit intelligere.* 300
§. 2. *An possit aliquid cogitare sine conuersione ad phantasmata.* 302
§. 3. *De reminiscentia.* 305

Caput XXIX. De primo cognito intellectus secundum Platonicos, & S. August.

§. 1. *Peripateticorum dissensiones.* 306
§. 2. *Quod ideæ sint proprium & adæquatum obiectum nostri intellectus.* 309
§. 3. *Quædam corollaria inferuntur.* 318

Brevis Analysis Metaphysicæ. 325





FINIS.

Errata præcipua.

Pag 7. *li.* 33. idemus, *pro* videmus
20. *li* 22. iandudum. *pro* iandunum
24. *li.* 31. incommutabile, *pro* incommutabili
83. *li.* 25. diuisibiles, *pro* indiuisibiles
111. *li.* 11 maneat, *pro* manent
131. *li.* 25. quæ pro quàm
1¢4. *li.* 25. dolori, *pro* doloris
161. *li.* 34. *αὔλος*, *pro* *αυλος* sine accẽtu,
165. *li.* 18. attentiori, *pro* attentior
166. *li.* 12. perfecto, *pro* imperfecto
198. *li.* 43. formali, *pro* formale
174. *li.* 1¢. duo, *pro* plura
185. *li.* 1. ipsa, *pro* ipsomet
188. *li* 38. pultridam, *pro* putridam
[illegible] 49. reliquas, *pro* reliquos
192. *li.* 35. efficietur, *pro* efficitur
206. *li* 19. tanginus, *pro* tangimus
207. *li.* 8. minorem, *pro* maiorem
208. *li.* 24. roborentur, *pro* roboretur
221. *li.* 16. parte, *pro* partes
221. *li.* 19. *circa*, pro *circa cor*
232. *li.* 16. amariorem, *pro* amarorem
238. *li.* 38. subitis, *pro* & subitis
240. *li.* 6. mutuantis. *pro* mutuante
li. 11 quam, *pro* quæ

Pag. 241. *li.* 16. interno, *pro* externo
250 *li.* 13. deserit, *pro* deserunt
254. *li.* 3 *spiritibus*, pro *spiritus*
li. 35. in illa, *pro* in illo
261 *li.* 6. *post* verbum, *adde* non
262. *li.* 18 *pro* secunda, *lege* tertia, *&* *contrà*
263 *li.* 15. motus, *pro* metus
264. *li.* 34. benigne, *pro* benigna, *&* *dele*, *sequentem*
275. *li.* 4. Thomas, *pro* Thoma
276. *li.* 29. eius, *pro* & eius
280. *li.* 8. ratiocinandi, *pro* ratiocinando
281. *li.* 13. vnius, *pro* vnus
287. *li.* 20. *Monteatinus*, pro *Montecatinus*
294. *li.* 3. eiusmodi, *pro* cuiusmodi
298. *li.* 13. videres, *pro* viderem
300. *li.* 45. suordinatione, *pro* subordinatione
309 *li.* 40. continere, *pro* contineri
316. *li.* 15. similitudinem, *pro* similitudines
322. *li.* 9. vt prius, *dele* vt
328 *li.* 40. vnitate, *pro* veritate

Amice Lector, ineuitabilis hæc mendorum Typographicorum sors, quæ vix exactissimis parcit, erga me verò nescio vnde iniquior, errata quam plurima tibi in 6. istis Tomis exhibebit, nec tamen omnia: multa adhuc oculos legentium subterfugerunt. Ideo quod relectioni defuit, tua quæso sedulitate, ac beneuolentia supple & excusa: occurrent aliquando nonnulla quæ contrarium sensum eius, quem oportet, continent: sed ex iis quæ antecedunt, vel subsequuntur corrigenda cuique per se, si modo attentus esse velit, apparebunt: vt v. g. cum in Log. p. 104. *li.* 32. diuersas *pro* easdem: *& in Physi. p.* 131. *li.* 22. tollit necessitatem *pro* libertatem: *& similia leges, de quibus monitum te volui, ne si quando errata eiusmodi sensum reddiderint obscuriorem, ne hæsites id mendis adscribere, quod cohærenti intelligentiæ obuiabit: neve putes non erratum, quia inemendatum repereris.*